THEODORI GRASVVINCKELI
Delphensis, I.C.


LIBERTAS VENETA.
SIVE
VENETORVM
in se ac suos
IMPERANDI IVS.
Assertum contra Anonymum SCRUTINII Scriptorem.





LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ ABRAHAMI COMMELINI.

CIϽ IϽC XXXIV.



VERITATI.



NIhil de me præfabor, ô invicta, ô æterna Veritas. Tuus ut ſimplex & conſtans ſibi ſermo, ita nec alia deſideras, quam quæ ſimplicitate candoris ac fidei ſe commendent. Habitum olim ſanctiſſimum Areopagitarum tribunal, ob exordiorum illecebras edicto ſublatas. Lacones, nata Libertati pectora, hoc nomine laudatos conſtat, quòd ἄνευ προοιμίου ſeria tractare con-

fuessent. Dicam quod res est. Affectat viam ad te quantillum hoc meum opus. Venetæ Libertatis generosa exordia, progressus illustres, & duratura in omne ævum virtutum miracula, propugnavi. Quæ ut nemo ignoraret, è publico humani generis bono visum. Meum autem hoc opus an tuum? Id à principio jam tibi debebatur, ac ut debebatur sacratum est. Nec aliud mihi hactenus in votis, quàm ut tibi innixus, quorumlibet judicia subire & possem & auderem. Quicquid sit, nihil adeo eum qui artem æqui & boni profitetur decet, quam studium Veritatis. Nemo bonus alio conatus aut vim ingenii intendit. Hac spe sustentat se, intrepidus semper, immotus, invictus. Rector

ctor omnium Deus non nisi unam Veritatem petit, candidam illam, masculam, & ubique sibi parem. Hac Deum nostrum sequimur, hac tenemus, Deo proximi, etiam dum in terris versamur, tandem in totam Veritatem deducti, cœlo donatis mentibus; de ludibriis sæculi triumphum acturi. Proinde ad tribunal tuum sese hic ingenii nostri fœtus sistit. qui cum in sinu tuo conceptus sit, non alibi jam natus foveri debet aut educari. Deum & bonam fidem testor, sciens nec fallere volui, nec fefelli. Secus à me factum quisquam si probet, caussam non dico, quo minus omnibus, quibus aut Veritas cordi est aut eruditio, invisus agam. Venetorum Respublica, quam inoffensus numinis fa-

vor ad summum perduxit, Pietas subvexit, Prudentia supra mortalium primos locavit, in adversis Constantia nulli secundam reddidit, dignissima est, quam augusta ac victrix omnium Veritas tueatur semper & defendat. Libertatem ejus impetit livor, calumnia impugnat, sui fœcunda, ac sine judicio immane quantum potens. Illa te sufferre, Veritas, quæ invidiam sæculi superare, quæ Theoninos calumniantium dentes retundere, quæ incubantem mentibus caliginem dissipare & potes & soles! Quam diu illam, quam nemo te melius novit sibi quaquaversum constitisse, semper virginem, nulli temeratam, nulli domitam Serenis. Reip. Libertatem, invidiæ ludibrium debere, aut malevolentiæ

icti-

ictibus expositam esse patiere. Pugna, & feri. Hoc Venetorum pietas toti terrarum orbi testata, hoc fides, hoc in Christianum nomen non tacenda merita, hoc indefessum studium Libertatis, hoc denique illa ipsa Libertas, tot laboribus, tot periculis, tot bellis, tanto nobilissimi sanguinis profluvio signata, parta, stabilita, ac per tot retro sæculorum decursus fœliciter servata, non merentur modo, sed petunt, sed poscunt, sed flagitant. Cavendum hic tibi, ne servire magis, quam imperare parata esse videaris. Salva res est. Assurge tantum, inque robur tuum te exsere divinarum humanarumque rerum Regina. Vicimus, si modo velle te ostendis, & jam velle te probasti.

Satis

Satis jam livori, plus ſatis calumniæ, at nimium certè torpori datum. Ecce ad aram tuam me ſervum tuum, ecce famulantem hanc dexteram, ecce mancipatos uni tibi animi noſtri motus, & Batavi pectoris Libertatem non niſi uni tibi vectigalem. Fave modo, & mecum in partes veni omnium domina, omnium imperatrix.

THEOD. GRASWINCKEL.

CASPA-

Casparis Barlæi

Adlocutio ad Serenissimam Rempublicam

VENETAM,

Cum pro ejus Libertate, adversus Scrutinii cujusdam auctorem, gravissimè disseruisset Vir Clarissimus,

THEODORVS GRASVVINCKEL, in Batavorum Curia Advocatus.



Ajestas Venetûm, venerandi filia secli,
Et series augusta Patrum, quos vindicat ensis,
Jusque datum sceptro, totque inconcussa per annos
Imperii facies & formidabile terris
Nomen & ætherei regnatrix purpura Marci.
Ad laudes assurge tuas; & suspice, quanto
Acta gradu vestri se lux altissima fati
Ostentet latè populis; nec jam Adria famæ
Sufficiat, non littus atrox, quod Dalmata sævus
Calcat, & Herculei bellatrix spuma Tarenti.
Hic tibi devictas sublimis dividit Alpes
Rhætia, & aëriis victricia signa tuorum

Pro-

Prospectat vicina jugis; ac fulmina Divûm
Nimbosumque Jovem, & quicquid trux parturit æther,
Permiscet titulis. illic dispersa Timavus
Ora vomit fluctusque tuis compescit habenis,
Illyricosque sinus & duri regna Liburni
Ponè trahit. calamis alibi tibi lene susurrat
Mincius, & terræ circùm dominantis honori
Assurgit supplex Athesis, sedesque beatas
Eridanus Phaethontæis complectitur undis,
Agnoscitque Ducem. quod restat, in æquore, nullo
Fine, tenes; perque Jonii spatia ampla profundi
Sceptra procul fascesque natant. Tu maxima pulsos
Fovisti, Regina, Deos. tibi condidit aras
Diva Venus, Venerisque domus pulcherrima Cyprus,
Quæque Rhodos toto ditata est insula Phœbo.
Relliquiæ Danaûm, Teucrûmque ab origine gentes,
Quàm priscis fluxistis avis, quàm proxima tangit
Laomedontæas majorum gloria terras,
Dardanidumque domos, profugoque Antenore quondam
Euganeos inter fremuerunt Troica colles
Classica & his ipsis Priamum flevistis in oris.
Non jam concusso furiis immanibus orbi
Incubat Arctoæ furor implacabilis aulæ,
Ausoniasque ingens grassans Alaricus in urbes.
Cogit inoffensæ ripas habitare Padusæ;
Aut ferus avulsis adigit considere stagnis

Atti-

Attila, & Eois adiutus viribus Hunnus.
Non jam Phryxææ dominator barbarus Helles
Vastat opes, pavidique focos subvertit Jüli,
Thessalicasque ciet Dravo pugnante phalanges.
Nec bellatrices Ligur imperterritus armat
Neptuno indignante rates; classesque minaces
Fabricat & victor Tyrrhenum navigat æquor.
Vicistis virtute metum. secura potestas
Indomito Mavorte stetit. nunc dextera pugnans
Addidit imperio robur; nunc subdidit hostem
Imperiosa quies, & quicquid defuit armis
Consilio pacique datum. vis effera cessit
Federibus; bellique minas prudentia fregit,
Sollicitusque timor. risit solertia regum
Invidiam, regnumque sibi constantia fecit.
Tuque adeò toties aquilis adverse superbis
Magne Leo, centumque ferox innexe triumphis,
Adspice surgentem mediis è fluctibus urbem,
Et circum te stare Deos; Thetynque trucemque
Nerea tot superûm toto delubra tueri
Æquore, & objectas pelago secludere terras.
Jam minus Iliacæ Neptunia mœnia Troiæ
Esse puta, celsamque Tyrum, Antissamque Pharumque
Massylûmque lares, stantesque in littore Athenas.
Hic maris, hic tumidi domus est Tritonis & ingens
Regia Naiadum. tutæ sine mœnibus arces,

Natura famulante, jacent. sunt pontus & undæ
Præsidium, valloſque facit circumfluus æther.
Ne mihi naſcentis magni incrementa Quirini
Objice Roma potens, vaſtumque effuſa per orbem
Sceptra, vel extremo metuendum nomen Araxi.
Exiit è ſtagnis Venetus, nec ſedibus arctis
Concludi potuit Divûm genus. ille Patavi
Veronæque duces, deſolatamque Cremonam,
Bergomaque & placidis adiit te, Brixia, bellis,
Et Melam bibit, & qui lapſus rupibus altis
Addua diviſas ſpumoſior incitat undas.
Succeſſit Corcyra, Paros, Naxoſque Meloſque,
Andros, & immiti quæ tunditur Amphitrite
Gallipolis, duraque Tenos cum Chalcide victa eſt.
Hinc debellata præſtans Methona Corone
Paruit & fruſtrà toties Jadera rebellis.
Magnanimam ſileat Grajorum pagina Spartam,
Mœniaque intrepidis olim fundata Lycurgi
Juſſibus, & rigidi monitis ſubnixa Zaleuci.
Vos Patres, juſti rigor, inflexuſque ſeveri
Aſſerit obſequii tenor, atque immobilis almæ
Majeſtatis apex, & legum neſcia frangi
Vincula & æterna conſtans ſibi voce tribunal.
Qualia in inſtabili jactantur carbaſa ponto,
Et modò crudeli debent ludibria Coro,
Nunc dubium pelago obvertunt latus. horrida quando

Tem-

Tempestas stabilem abscondit sub nubibus Arcton,
Stellarumque vagi fulgent errantibus ignes:
Haud aliter, cum nulla Duces civesque coërcet,
Quam validi nequeant ævi rescindere mores,
Ferrea vox, nutat pariter cum principe regni
Culmen, adorandum populis, mutatque secures
Lubrica Lex, plebisque vagis cum legibus omne
Fluctuat officium, nec stat reverentia jussis.
Cenomani fortes, & non ignobile germen
Euganei Veteres, quorum bissena nepotes
Secla trahunt, proavûmque stupet miracula felix
Posteritas, vestris faciles applaudite cœptis.
Simplicitas & gentis amor, jurataque cælo
Cana fides, nulloque minor discrimine virtus
Invenere viam decori. parvoque potentes
Illustres animæ, fastusque ignara superbi
Pectora secreti formam servastis honesti.
Non cippos statuasque aut sculptos marmore vultus,
Aut urbes libuit mundo ostentare subactas,
Non turgent stupido victorum nomina saxo,
Nec picturatis scribuntur gesta colossis.
Non hîc præ cunctis bellax Trajane refulges
Porticibus. non rostra Titi, non compita complent
Pompei labor, & laudati castra Severi.
Ipsa sibi precium probitas & nescia luxus
Vita fuit spretisque bonæ fulgoribus artes.

Quin potius lituos inter gladiosque tubasque
Ingenijs monstrastis iter, profugæque Camœnæ
Thymbræusque pater tot præluxere trophæis.
Hinc ad vestra procul concurrunt fœdera gentes,
Et Genuas bellare timet. Vos Thuscus & acer
Appulus & qui rura colit populosa Ravennas
Horret, & illa suis plus tuta Ancona procellis.
Pannonius Cæsarque silent. compescuit iras
Rex Siculus Thracesque feri placantur amando.
Nos, quibus Auriacis Hispana potentia bellis
Atteritur, geminosque volant jam signa per axes,
Annuimus, Dux magne, tibi; venerandaque Patrum
Prosequimur sociis longè subsellia votis,
Et trans nubiferas Alpes, vallesque lacusque
Accinit Adriacis vatum fiducia sceptris.
Sic vires crevere domi. terraque marique
Extulit intrepidos Libertas publica vultus
Suffecitque sibi. & soli debere Tonanti
Dum cupit, ignorat dominos. Qui roderet unus
Livor erat, tanti levis adlatrator honoris.
Nunc Batavo debete Duces, dum jura togasque
Propugnat clari locuples facundia Belgæ.
Scilicet illa reis ac nostris inclyta rostris
Pro vobis vult lingua loqui, calamoque tuetur
Majorum trabeas, veterisque insignia regni.
Munit verba Themis, priscisque annalibus ævi

Innu-

Innumeras Astræa vices abavûmque labores
Expedit, & quantis steterit Respublica curis
Mnemosyne grandæva aperit. quæcunque vetustas
Abdidit & cæcis latuerunt clausa tenebris,
Fataque fortunasque virum solertia pandit,
Nec temerata fides. nil jam sibi vendicet Hunni
Barbaries Gothicusque furor. Romana resîdant
Imperia imbellesque aquilæ. Tyberimque repellat
Adria & Austriacis fultum rectoribus Istrum.
At Tu, summe virûm, cujus tot rapta per artes
Ignea vis animi, quicquid nescire profanum,
Mente tenet, lectumque semel lætissima reddit,
Qui loqueris, qua voce cupis; causasque clientum
Victor agis; primæ suffragia splendida famæ
Collige, & illustris Vindex generose Senatus
Perge patrocinium regum donare tiaris.
Scrutari si Livor amat, si vellicat ostrum
Improbitas, summique quatit fastigia juris,
Expediet risisse Patrès, dumque invida gliscit
Ambitio magnæque audet natalibus urbis
Obgannire malus, pro Libertate focisque
Districtum Veneto posthac scrutetur in ensem.

V. Cl.

V. Cl.

THEODORO GRASVVINCKELIO.

HInc pater est vatum princeps Heliconis
Homerus,
Æmonium potuit qui celebrare Ducem:
Nec minor Æmonio laudator Homerus Achilli
Gloria, quam cineres, Troia, fuere tui.
Cœlo Musa beat. Virtus sua præmia Musæ
Sufficit. Est meritis utraque clara suis.
Commendare tuos pariter THEODORE labores
Majestas Venetûm, justaque caussa potest:
Et Venetûm caussæ non parvum adferre decorem
Egregiusque labos, ingeniumque tuum.
Scilicet alterno pars utraque surgit honore,
Et tu materiæ, materiesque tuo.

Cognatus cognato

GUILIELMUS GROTIUS.

ARGU-

ARGVMENTA

CAPITUM.

CAPUT V. Fol. 21.

Libertas Reipub. Venetæ propius excussa, & ab ipsis ejus primordiis asserta. Errores Anonymi passim taxantur, & refelluntur. Origines urbis Venetæ. Originaria ejus libertas. Ejusdem fundamenta, & æqualitas. De Insulis Italiæ disquisitum. Insulanorum jus. Veneti nec se nec sua in alterius Principis clientelam dedere.

CAPUT VI. Fol. 33.

Falsum Anonymi argumentum à situ Venetorum desumptum. Ius & vis situs. Dubiâ libertatis interpretatione, secundum illam est respondendum. De Iurisdictione in territorio, ejusque jure. Situs multis profuit ad libertatem. Qui sint ejusdem territorij.

CAPUT VII. Fol. 37.

Frustra Anonymum à præsumptionibus præsidium petere. Italia quomodo imperio Romano subdita. Origo ejus rei. Venetorum urbem P. R. neque vi neque jure suam fecit. Veneti in insulas quare concesserint. Pro derelictis illæ antea habitæ. Labente imperio Rom. cœptæ Barbarorum irruptiones. Facies rerum in Italia tunc temporis. Aula Ravennæ sub Honorio. Ejus ignavia, & Leges. Roma sub eo à Gothis miserè vexata. Venetorum insulæ tunc temporis ab Imperatore derelictæ, nec proinde ei subditæ fuerunt.

CAPUT VIII. Fol. 46.

Nascentis urbis Venetæ origo. Quid ad eam Patavini contulerint. Falsum Patavinos urbis Venetæ fuisse auctores. Patavium à Gothis captum & incensum. Aliud de jure universitas est, aliud de universitate singuli. De Patavinis, qui lacunas maris Hadriatici insedere, propius disquisitum.

Nec

CAPUT IX. Fol. 58.

Nec Patavini imperio Romano, nec Veneti Patavinis subditi fuere. Italiæ loca quo pacto fœderata fuerint, aut subdita Romanis. Variæ fœderum formæ. Patavini amici populi Romani. Quæ Præfecturæ apud Romanos. Argumentum Anonymi à missis primitus Patavio ad Venetos consulibus discussum. Missio non est imperij argumentum. Patavinis extra territorium æque liberis jus dicere non licuisse. Consules à Patavinis missi vi jurisdictionis prorogatæ: Patavini consules biennio tantum aut triennio Venetis præfuere. Adversari sibi ipsi Anonymum ostenditur. Certamen Venetorum cum Patavinis de finibus. Consulis dignitas quæ tunc & olim fuerit.

CAPUT X. Fol. 64.

Post Consules Tribuni Rempub. Venetam tenuere. Illi à Patavinis neutiquam creati. Præcipuum Libertatis insigne eos rectores creare, quos velis. Creatio Tribunorum quando instituta. Ab Imperatoribus illi non creati. Epistola Cassiodori in eam rem excussa. Provinciæ quæ sint. Urbs Veneta Provincia non fuit. Tribuni ab Insulanis creati. Eorum imperium limitatum. Frivolæ circa hac Anonymi conjecturæ. Post tribunos Duces, post Duces magistri militum suffecti. Contradicit sibi Anonymus dum Venetos etiam sub potestate Græcorum fuisse asserit.

CAPUT XI. Fol. 69.

Argumenta Anonymi ab Historicis nonnullis & Panegyristis desumpta non magni momenti. Ex ijs, quæ ad pompam dicuntur, certa argumenta non deducuntur. Valentinianus Venetorum Dominus non fuit. Differunt omne & totum. Locus Pauli Diaconi excussus. Verba quomodo accipienda. Sub ditionem aliquam recipi nulli debent, qui sub eâ nunquam fuere. Romani Imperatores totius orbis Domini non fuere. Id ipsum de se Justinianus testatur. Argumenta in contrarium adducta dis-

discutiuntur. Quod de Imperatore, idem de subditis verum. I. C. de Iure, non de facto debent respondere.

CAPUT XII. Fol. 78.

Falsum sub Valentiniano & Odoacre Venetis libertatem non constitisse. Parva eorum initia. Divites plerique potentesque fuere, qui in Insulas concessere. Labascens tunc temporis Respubl. Ro. Veneti Odoacri non paruere. Victus & caesus Odacer. Theodorici tempora qualia fuerint. Ejus clementia. Libertas quamvis arctis finibus conclusa, libertas tamen est. Bagandae qui fuerint. Veneti nec pro Barbaris, nec pro Bagandis habiti.

CAPUT XIII. Fol 85.

Canonicarij Venetiarum qui sint apud Cassiodorum. Canon vel ex imperio, vel ex conventione solvitur. Canon à Venetis solutus protectionis caussa, salvâ Libertate. Frustra ex canone soluto subditos Imperatori Venetos fuisse probare nititur Anonymus. Canon pactionis nomine saepe venit. Tributorum triplex genus, Canon, Oblatio, Indictio.

CAPUT XIV. Fol 90.

Epistola Cassiodori ad tribunos maritimorum excussa. Tribunorum maritimorum nomine Veneti non intelliguntur. Istriae populum Imperatori subditum non fuisse probatur. Veneti ab Istris disertim in epist. Cassiodori separantur. Multum mandatum à jussu distat. Istri foederati P.R. Devoti & devotionis vocabulum explicatum. Devoti dicuntur, qui sese in alterius amicitiam dedidere. Devoti pro externis sumpti. Allophyli qui sint. Imperium cadit etiam in liberos, aequales, foederatos. Non verbis, sed aequo justoque pugnandum.

CAPUT XV. Fol. 96.

Frustra Anonymum conari libertatem Venetam subvertere, quia Salvianus,

vianus, & Iustinianus ejus non meminere. Mentio scriptorum nec addit aliquid ejusmodi rei, nec demit.

CAPUT. XVI. Fol.98.

Cætera adversarij argumenta diluuntur. Turbata in Anonymo methodus. Agathiæ locus excussus. Adversatur sibi Anonymus. Gothis Veneti non fuere subjecti.

§. I. Fol.99.

§. II. Fol.101.

Veneti Constantiano non paruere. Frustra Anonymus illa pro confessis vult haberi, quæ ne quidem scriptores illorum temporum prodidere. Eadem ICtis. verum ac justum. Procopius res quoque levissimas magno studio sectatur. Chalcondylæ de incrementis urbis Venetæ testimonium.

§. III. Fol.104.

Ioannis, belli ducis sub Justiniano factum, nihil demit libertati Venetæ. Silent leges inter arma. Nulla gens, quæ turbis bellicis non aliquando exposita. Immota Libertas Veneta semper stetit. Duces Iustiniani à Venetis auxilia sumpsisse potuerunt. Socij à subditis distinguendi.

§. IV. Fol.107.

Potissima pars Libertatis ita vivere, ut velis. Totam Libertatem Venetam esse pluribus ostensum. Suum sociis in socios imperium. Differt subditum esse, & præstare, quæ præstant subditi. Habuerint ne Veneti insuper suam Libertatem? Fuerintne coacti Cæsarum imperia agnoscere? Nihil adducit Anonymus, quo id probet. Voluntas quæ sit. Actio libera, & minus libera, nec tamen coacta. Aliud est & coactum esse,

 & non

& non esse spontaneum. Voluntas Venetorum in conservanda sua Libertate. Probandum Anonymo subsidia Imperatori data ultronea non fuisse.

§. 5. Fol. 112.

Tractus maritimi à continente separandi. Male hoc dissimulat Anonimus. In terra continenti regionis Venetæ, nec non in tractu maritimo quædam direptionibus hostium cessere. Venetorum urbs non occupata. Loca Procopij quædam excussa.

§. 6. 7. 8. Fol 115.

Anonymi vanæ insultationes. Loca ex historia Iustiniani discussa. Libertatem non imminuit sociorum in socios imperium. Fides Veneta in socios. Narsetis historia excussa. Omnia libertatem Venetam spirant. Ab exstructa Venetijs æde frustra deducitur subjectionis argumentum.

§. 9. Fol. 126.

Quæ de Aquilegiensi Patriarcha Gradum confugiente, Gradu autem insula Exarchis Ravennatibus subdita, ab Anonymo dicuntur, solide excutiuntur. Exarchis Gradus subdita non fuit. Smaragdi historia explicata. Aliud Exarchus, aliud Patricius. Patricij qui sint. Effrenis Anonymi vecordia. De regimine sæculari, non de Ecclesiastico, instituta hæc disputatio.

§. 10. Fol. 129.

Ingenua Anonymi confessio de Longobardis. Falsum Impp. Romanos profugorum in insulas Hadriatici maris Dominos fuisse. Nullum inter profugos & Imperatorem imperandi vel parendi jus intercessit. Insula

sula Amacina Exarchis non paruit. Nihil necessitas cum alijs se conjungendi Libertati demit.

§. 11, 12 13. Fol 136.

Loca aliquot B. Gregorij de Exarchis Ravennatibus excussa. Adsertiones eorum, qui supra se superiorem non agnoscunt, quomodo accipiendæ. Quæ verborum vis ad conferendum tollendumque imperij jus.

§. 14. Fol. 140.

Frustra Anonymus ex Heraclia ab Heraclio dicta, probatum vult Imperatori subditos Venetos fuisse. Heraclia à quo condita. Ordini sacro addictus Heraclius. Equilium à quibus dictum.

§. 15. Fol 143.

Male Anonymus quod ex jure probare non potest, ex facto adstruere conatur. Duces ab Imperatore non creati. Duces Veneti a quibus instituti. Prima Ducum in Italiâ origo. Longinus totius Italiæ Exarchus nullum Venetis ducem præfecit. Non eadem Venetorum cum cæteris Italiæ Ducibus origo. Exarchi quot annos rexerint. Eorum sedes. Primus Dux Venetorum. Nullum Exarchi, nullum Pontificis, nullum Imperatoris factum in creando Duce intervenit.

§. 16. Fol. 151.

Fallitur Anonymus, dum inter terram continentem à Venetis incultam, & lacunas Hadriatici maris distinguendum non putat. Inepte etiam ex scripta à B. Gregorio ad Venetorum Ducem Epistola subjectionis infert argumentum.

§. 17. Fol. 153.

Historia Leonis Isaurici Imp. excussa. Varij propterea motus exorti. Tempora

Tempora nonnihil turbata ostenduntur. Venetorum Duces & antiquati & denuo restituti. Exarchi quando esse desierint. Pontificatus Gregorij tertij, & Leonis Isaurici coincidunt. Rebellionis nomen aut crimen in Venetos non cadit. Rebellis quis sit. Argumentum ex Etymologia infirmum. Diaconi locus illustratus.

Epistola Gregorij Pontificis diligenter excussa. Nihil illa Libertati Venetæ detrahit. Hortatur illa, non imperat. Pontificum vires unde creverint. Ad Venetos ut ad Tutores Ecclesiæ scripta hæc Epistola. Orationes Paulli Exarchi & Vrsi Ducis, Venetorum Libertatis luculentum argumentum.

Anonymus frustra ex militum Magistris, Magistratu Veneto, colligit Venetos Imperatori subditos fuisse. Ejusmodi Magistratus etiam apud alios fuere. De Tribunis Venetis & Romanis.

Frustra est Anonymus, dum negat ex eo, quod Longobardi nunquam Venetæ urbis domini fuere, Venetorum sequi Libertatem.

Donatio Pipini imaginaria. Homines liberi in commercio esse non possunt. Duces Venetorum apud Imperatores Orientis varijs dignitatibus functi. Male exinde subjectio Venetorum infertur: Proedri, Spatarij, Archispatarij, qui fuerint. Batavi corporum aliquot Impp. Rom. custodes. Id honoris etiam Frisijs delatum. Sebasti dignitas. Dignitates in Duces Venetos collatæ amicitiæ, non subjectionis argumenta.

Histo-

§. 22. Fol. 177.

Historia capti à Desiderio Longobardorum Rege filij Mauritij Venetorum Ducis. Malignus Anonymi animus. Aliquando inimicorum amici hostium loco habentur.

§. 23. Fol. 178.

Candor in Anonymo quæsitus. Carolus magnus Francorum Rex in Italiam adversus Longobardos excitus. Suppetias ei Veneti tulere, non ex imperio, aut mercede conducti, sed sponte libera.

§. 24. 25. 26. Fol. 182.

Carolus donationem Pipini patris confirmat. Inter alia donatæ Provinciæ Venetorum, & Histriarum dicuntur, Nec Pipinum, nec Carolum donare eas potuisse ostenditur.

§. 27. Fol 183.

Anno DCCC II. *utriusque Imperatoris Legati convenere.*

§. 28. Fol. 162.

Privilegium à Carolo Magno Patriarchæ Gradensi indultum. Gradus tunc temporis urbis Venetæ pars non fuit. Beneficium Carolus præstitit, non Privilegium. Verba Caroli quousque extendi debeant. Iustinianus ab Anonymi calumnia vindicatus.

§. 29. Fol. 187

Frustra Anonymus Venetos utrique Imperio subditos facit. Fieri id non potuit. Diviso Orientis atque Occidentis imperio sibi, & libertati suæ Veneti sunt relicti. Aliud est utrique imperio obedire, aliud neutris partibus accenseri. Pax inter Irenicum & Carolum facta. Qua Veneti

neti neutri obnoxij pronunciantur. Fazoldi mens explicata.

§. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Fol. 195.

Pipinus Venetos neutiquam in potestatem redegit. Id ipsum Æmilij Veronensis, Sigonij & aliorum testimonio luculenter probatum. Historia illius belli accurate excussa. Libertas Veneta passim stetit immota. Magnifica Venetorum legatio ad Carolum Imperatorem. Historia horum temporum & res obscuræ. Facta probari debent, non præsumi. Imperator à Venetis Dalmatisque minus recte inter se convenientibus consultus, & quare. Fœdus inter Venetos, & Italicos ante Caroli Crassi tempora percussum. Male Anonymus ex Nicephoro sententiam suam de debellatis Venetis adstruere conatur. A perfidiæ in Pipinum notâ Veneti liberati. Locus Adelmi de subjecta Pipino Venetia quomodo intelligendus. Adversatur sibi Anonymus. Varijs auctorum testimonijs sententia adversarij refutata.

§. 38. Fol. 215.

Varia ab Imperatoribus privilegia Venetis indulta. Persona concedentis, & effectus concessionis adtendenda. Privilegia aut vi supremæ potestatis, aut testandæ benevolentiæ ergo conceduntur. Horum illud fieri non potuit apud Venetos. Si posteriore modo indulta ijs Privilegia nihil agit Anonymus. Effectus privilegiorum triplex. Subjectio privilegio induci non potest. Quomodo privilegij concessio Imperij sit nota. Recipere privilegium, non est se subijcere illi, à quo conceditur. Id exemplo Batavorum, & jure Canonico probatum.

§. 40. Fol. 221.

Historia Obelarij Ducis Venetorum excussa. Is perfidus in Imperatorem pœnas perfidiæ apud eum dedit. Extranei in alterius territorio etiam delinquunt. Delicta quæ in aliquo territorio committuntur, in eo etiam expiantur. Obelarius tamen nec Orientis, nec Occidentis Impe-

ratori

ratori subditus. Obelarius miserum vitæ finem à Venetis accepit.

§. 41. Fol. 224.

Versiculi effigiei Beati Ducis subscripti excussi. Obelerius Patriæ infestus invidiam Venetis apud Pipinum conflavit. Pipinus Rivum altum non cepit. In pro contra usurpatur. Tentavit tantum Venetos Pipinus, non expugnavit. Pax cum Pipino inita.

§. 42. Fol. 230.

Versiculi imagini Angeli Patriciaci Ducis additi examinantur. Quæ omissa sunt, omitti non potuissent; sed omissa non infringunt aliorum scriptorum auctoritatem.

§. 43. Fol. 232.

Historia Ducis Beneventani excussa. Obsides Carolo dati. Nihil Libertati Venetæ commune in Exemptione Beneventana. Beneventani hostes Caroli à Pipino debellati.

§. 44. Fol. 235.

Gradus Insulæ ab Eginharto in enarratione testamenti Caroli Magni recensetur. Eginharti fides elevatur. Donationibus jura Libertatis nec amittuntur, nec quæruntur.

§. 45. Fol. 236.

Argumentum Anonymi, ab æde Zachariæ Leonis Armenij mandato exstructâ desumptum, elevatur. Inscriptio in ejus rei memoriam suffixa examinatur. Ædes D. Michaelis à Sergio Senonensi excitata, nec tamen aliquot ejus dominium Veneti agnovere. Subditi à Vasallis longe distant.

 Verba

§. 46. Fol. 239.

Verba Epistolæ Lotharij ad Petrum Fradonicum Venetorum Ducem scriptæ, examinantur. Dominatio pro ditione accipi non potest. Dilectionis vox excussa.

§. 47. Fol. 240.

Quid inter Orientis, atque Occidentis Augustos decretum sit, quoad Venetos. An & quatenus decretum illud Libertatem Venetorum afficere potuerit. Quis sit effectus illius, quæ decretum sequuta est, confirmationis.

§. 48. Fol. 249.

Ad sequentem Paragraphum de jure cudendæ monetæ, Venetis ab Imperatore concesso, introductio.

§. 49. & 50. Fol. 250.

Ius procudendæ monetæ Venetis ab Imperatore indultum, nihil derogat eorum Libertati. Missio legatorum à Venetis ad Imperatorem instituta probat liberum eorum Imperium. Frivolæ Anonymi circa hæc conjecturæ. Illi, qui monetam cudi curat, in Majestatis argumentum fere semper cedit. Vultus regnantis nummis insculptus, & quare. Ratio cudendorum nummorum à Numa Pompilio inventa. Regum Italiæ aut Imperatorum vultus in nummis Venetis non conspiciuntur. Ducis aut Divi tutelaris effigies iis insculpta. Hoc summi Imperij argumentum. Subjectionem non probat, quod quis alieno beneficio monetam cudat. Quod Beerengarius fines Venetorum & Italicorum terminarit, nullum Imperij summi jus probat.

§. 50. Fol. 257.

Rex Hugo Vrso Venetorum Duci vetera Libertatis beneficia confirmavit.

mavit. Quid sit confirmare. Salva Libertate quis confirmationem ejus potest postulare. Male confirmationem ejusmodi cum legitimatione Anonymus componit. Italia Occidentis Imperatori Carolo pro ditione habita. Alia hic ratio fuit Venetorum. Nihil ipsis imperatum, quod subjectionem possit inferre. Quæ exemptionis, Libertatisque nonnullarum urbium origo. Earum cum Venetis comparatio instituta.

§. 52. Fol. 262.

Male Anonymus secularia Ecclesiasticis confundit. Locus Sigonij de Gradensi Ecclesia excussus.

§. 53. 54. 55. Fol. 264

Male Anonymus ex eo, quod Veneti ob Vitalem Candiani Ducis filium interfectum, apud Imperatorem rei fuerint, Jurisdictionem Imperatoris in eos adstruere conatur. Fœderati Imperatoris Veneti. Fœdus quid sit. Fœderum diversitas. Fœderis causa uniuscujusque utilitas. Fœdera aut inter pares, aut inter impares intercedunt. Non se Veneti Imperatori dedidere. Fœdus eorum cum Imperatore non est subjectionis argumentum.

§. 56. Fol. 171.

Fragmentum diplomatis ab Imperatore Othone Venetis induli. Quousque verba ejus extendi debeant. Nihil demit Venetæ Libertati. Pontificem Veneti in temporalibus Dominum non agnoscunt. Fodrum quid sit.

§. 57. Fol. 274.

Nihil adversus Venetos agit Anonymus, dum eos portus, mercatusque Privilegium Imperatori acceptum ferre tradit. Venetis, ob præclara eorum merita, concessum, ut in omnibus Hierosolymitani regni, Antiochenique Principatus urbibus privum forum, aliaque eo spectantia haberent.

Privilegij Othonani mens non alia, quam ut in terris Imperij commercia sua libere quaquaversum exerceant.

§. 58. 59. Fol. 277.

Male Anonymus, ex eo quod Veneti Othonis Privilegio ab onere Pallij Aurei quotannis Imperatori offerendi libertati sunt, eorum Libertatem infringere conatus est. Pallium hoc in obsequij testimonium oblatum nemo tradit. Origo ejus rei in dubium vocatur. Munificentiæ Venetorum, non subjectionis argumentum. Munera aliquando aliis offerri solent ne injuria aliqua aut vis inferatur. Ex fœdere oblatum Imperatori à Venetis Pallium. Conventio longe distat à jurisdictione. Doglio ab Anonymi calumnia defenditur.

§. 60. Fol. 286.

Henrico quarto Imperatori pannum aureum annuamque pecuniam quomodo & quare Veneti persolverint. Discordia inter Venetos, & Patavinos. Ad concordiam suadet Imperator. Historia illa omnis nihil contra Venetorum Libertatem facit, sed eam probat. Pacta & libri pactorum apud Venetos. Verba Henrici Imperatoris quibus testatur imperium suum ad Venetos usque non protendi. Gregorius Pontifex Venetorum Rempub. veram Libertatis suæ dominam appellavit. Veneta civitas libera à Frederico tertio Imperatore nominatur.

§. 61. Fol. 295.

Pax cum Imperatore Frederico in Italia inita nihil derogat Venetæ libertati. Venetorum victoria à Frederici Imperatoris filio reportata. Pax cum Lombardis, alijsque fœderatis rogante Imperatore stabilita. Pacis conditionibus Venetos non est complexus Imperator. A victoribus gravissima quæque, salva tamen libertate, victis imponi possunt. Id Carthaginiensium, & Ætolorum exemplis firmatum.

Fallit

Capitum.

§. 62. Fol.304

Fallit Anonymus, dum Venetos ait nunquam usque ad annum cIↄ ccc *pro liberis se gessisse. Imperatorum Privilegia non dedere Venetis, sed firmavere Libertatem. Immemorialis præscriptio titulum non requirit. Bartoli Baldive auctoritas legem non vincit, aut rationem. Alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet. Semel quæ competiit Libertas revocari non potest.*

§. 63. 64. 65. 66. Fol.308.

Oratio Antonij Iustiniani apud Guicciardinum sub examen vocata. Fides Guicciardini elevatur. Aliorum scriptorum testimonia Guicciardino adversa. Sublesta fides Anonymi in adducendis auctorum, quos pro Guicciardino facere dicit, locis. Baptista Leo, qui falsi arguit Guicciardinum, ejusque rationes à calumnijs adversarij defenduntur. Non nimium Scriptoribus tribuendum. Optimi eorum odio etiam & amore transversi aguntur. Guicciardinus in Venetos, & Ducem Vrbinatem minus æquus, & quare. Cur Veneti Guicciardini historiam in urbe sua passi fuerint evulgari. Frustra Anonymus causæ suæ patrocinium a silentio cognatorum & posterorum Iustiniani petit. Tubero Dalmata tantum abest, ut cum Guicciardino consentiat, ut quam maxime ei adversetur. Mocenici locus excussus. Arctæ tunc temporis Venetorum res, sed non decollatæ. Prudentia patrum Venetorum. Quæ contra Baptistam Leonem adducit Anonymus; non probat. Vanis suspicionibus laborat. Incredibile est consiliarios Imperatoris, eo invito, cum Iustiniano de tanto negotio egisse, idque ratum habuisse. Frustra Anonymus tempora Legationum distinguit. Iustinianus in conspectum Imperatoris non admissus. Oratio Ludovici Heliani adversus Venetos mendacijs & calumnijs atrocissimis scatet: nullam tamen ille subjectionis mentionem facit. Nemo unquam legatus fuit sine mandatis. Authenticum ipsum mandati tabelarium, quod Iustiniano datum, penes heredes Iustiniani adversatum in Cæsaris archivis non exstat. Frustra adservarius

est in

est in Paruta redarguendo. Maritimum imperium maximi semper habitum apud Venetos. Vires ærarij Veneti. Virtus Veneta nunquam fortunæ succubuit. Elogium Venetis à Britanniæ Rege tributum. Pauli Barbi, Petri Duodi, Christophori Mauri, Aloisij Molini elogia. Qui ita victus, ut denuo vincere non possit, victori cedit. Campanorum & Venetorum inter sese instituta comparatio. Ex oratione Iustiniani colligi non potest, eo angustiarum redactos Venetos, ut Libertate fuerint privati. Quid propositum Oratione ejusmodi fuerit Venetis (quamvis Venetorum esse non liqueat) Continentis possessione Veneti paulisper discessere. Eorum rationes. Levioribus incommodis graviora sustulere. Immotum Venetis semper stetit, tempestatem belli, quantum pote, declinare, salva ubique libertate. Id constanter universa illorum temporum historia testatur. Actus ultra agentis intentionem non agit. Verba orationis Iustinianeæ præter mentem Venetorum non interpretanda. Argumentum ejus non nisi in auxilij imploratione consistit. Longe distant protegendi potestas, & jus imperandi, clientes, & subditi. Liber populus, statâ libertate, alterius patrocinio se dare potest. Quid sit clientela. Majestatem illa non exstinguit. Quomodo verus legitimusque dominus Imperator à Venetis in Iustiniani oratione nominetur. Vt intelligendum, quod Veneti continenti cesserint. Novum non est patronis à clientibus præmium aliquod præstari. Præmia illa non tributi, sed Boetheias nomine veniunt. Iurisdictio & patrocinium aliquando conveniunt, non semper. Falsum est jura aliqua majestatis Imperatori quæsita. Quomodo accipiendum illud, quod Veneti, jussa, decreta, sanctiones, & præcepta Imperatoris libenter velint amplexari. Protectio protectorem facit, non dominum. Indiculus ineptiarum, & calumniarum Anonymi. Sanctissimum humani pectoris bonum fides.

CAPUT XVII. Fol. 368.

De Libertatis habendæ modo instituta dissertatio. Ducum Venetorum potentia qualis & quanta. Falsus est Anonymus, dum eam summam putat, dumque Iannottus dixit, Triphoni Gabrielio adscribit. Laus Tri-

CAPITUM.

Triphonis Gabrielij, ejusque defensio. Iannotti fides in rebus Venetis elevatur. Thomæ Aquinatis sententia de restricto Ducum Venetorum Imperio. Nomen Imperii speciesque à vi Imperii quantum distent. Argumenta Anonymi à provocatione ad Duces, à collegis ab ipsis Ducibus sibi adscitis, desumpta, improbantur. Ridicula Anonymi verba de invidia plebis in Duces derivata. A vero abit Anonymus, dum illustres Venetorum familias, priorum Ducum potentia oppressas, à ducatu demum Sebastiani Ziani caput extulisse tradit.

CAPUT. XIX. Fol. 419.

Appendix ad superiora, quæ ex iis, quæ exinde gesta sunt, porro afferuntur. Quæ in electione Sebastiani Ziani obvenerint. Emanuelis Comeni bellum cum Siculis. Quis tunc temporis Venetorum status. Pestis Classem Venetam infecit. Syllabus eorum, quibus facta potestas Ducem eligendi. Ab illis Zianus Dux creatus. Nulla hic plebis suffragia. Zianum Mastropetrus quomodo exceperit. Nomina eorum, qui eum elegere. Victricia Marci Danduli arma in Græcia. Nobilium Venetorum potentia, & virtus. Regnum Cretæ Venetæ Reipub. adjectum. Invidia Genuensium. Coloniæ à Venetis in Græciam deductæ. Soli nobiles, quibus ad majora comitia tunc accedere licebat. Inter Venetos, & Genuenses ortum bellum. Victoria Venetorum. Tenui ærario maritimis rebus tributum impositum. Laurentius Theupolus Dux factus. Nullæ hic populi partes. Petrus Gradonicus quo pacto Dux creatus. Penes solam nobilitatem in omnia regimen. Qui eligebant nobiles fuere. Variis id Decretis publicis firmatum.

CAPUT. XX. Fol. 446.

Soli Patricii apud Venetos cæteris præfuere. Plebeios eligere non licebat. Id decreto publico institutum. Filiis nobilium illegitimis ad majora Comitia aditus præclusus. Militia navalis magni à Venetis facta. Qui ea inclaruissent quomodo ad majora Comitia admoti. Decretum, quod majoribus Comitiis absolvendis supremam manum imposuit, productum.

††† Sum-

Summam rerum ad plebem nunquam spectasse concluditur, & simul insignis circa hoc Anonymi error exploditur.

CAPUT. XXI. Fol. 454.

Theupolitanæ conjurationis historia propius examinata. Suspecta & dubia Anonymi in adducendis auctorum locis fides. Bajamontis Theupoli ætas. Decretum de Bajamonte è medio tollendo. De reformandis Comitiis consultum. Error Bodini. Non totæ familiæ, sed quidam à Comitiis aliquando exclusi, aliquando admissi. Varia de Comitiis instituta. Nobilitatis consequendæ modus. Nanorum familia Comitiorum capax. Anno CIↃCCXCVII *Festo divi Michaelis in suffragia itum non fuit. Rejectio à majoribus Comitiis castigationis loco. Varia Venetorum de Comitiis decreta. Probæ, ut vocant, aureæ usus quando cœperit. Conspiratio Bajomontana in quem annum inciderit. Qui conscii conspirationis. Conjurationis progressus & eventus. Injurius in Nobilitatem Venetam Anonymus. Primi Venetæ urbis auctores nobilissimi viri fuere.*

CAPUT. XXII. Fol. 474.

Majora Comitia non mutata penitus, sed aliquando reformata. Errat Ianottus, dum bina tantum Quadragintaviralis collegij capita ponit. Tria fuere. Index eorum, qui anno CIↃCCXCVI *in Quadragintavirali Consilio fuere. Qui fiat, quod hæc aut illa familia majora Comitia aliquando non frequentarit. De Dentatorum stirpe propius actum. Varia, quæ majorum Comitiorum formam spectant, discussa. Nonnulli digni judicati, qui majoribus Comitiis adhiberentur. Anni* CIↃCCCLXXIX *decreto triginta viri in majora Comitia adlecti, & quare. Fallit Anonymus, dum sordidæ eos conditionis existimat.*

CAPUT. XXIII. Fol. 489.

Valeriorum gens ad majora comitia admissa. Circa hæc hallucinatio Anonymi. Iannotti, & Iustiniani fides elevantur in historia conspirationis Marini Bocconis. Locus Iustiniani sub examen vocatus. Vera ac genuina caussa.

na caussa. Bocconianæ conjurationis. Author historiæ conspirationis, & Justinianus hic sibi adversantur. Caresini auctoritate omnia firmata. Populus Bocconianæ conjurationi se non immiscuit. Mens & ratio legis anno CIↃCCXCVI *latæ. Anonymus gladio suo jugulatus.*


THEOD. GRASWINKELI
LIBERTAS
VENETA.

A



CAPVT I.

Libertas Venetorum. Libertas quæ, & quotuplex. Libertas Ordinum fœderati Belgij. Regis nomen invisum Romanis. Libertas est, quæ in Principe Majestas. Libertas descripta. Libertati opposita servitus. Alia Monarchici, alia Polyarchici regiminis ratio. Circa hæc error insignis Anonymi, & exacerbatus ejus in Venetos animus.



VENETOS & fuisse jam tum ab Urbe eorum conditâ, & esse hoc ipso tempore liberos, quo constet, fundamenti vice fixum immotumque esto hoc quod dicimus *Liberum esse*, vocemque *Libertatis* bifariam in proposito themate à nobis accipi: significatu scilicet generaliore, quo Remp. ipsam totumque quantum quantum est Reip. corpus (Itali *Signoriam* vocant) complectitur, item & adductiore, quo nimirum singulis individuis quadrare, & ad quævis Reip. membra applicari possit.

Remp. ipsam totumque illius corpus quod attinet; statuendum, voce *Libertatis* aliud nihil designari, ipsamque adeo *Libertatem* nihil aliud esse, quam *potestatem absolutè summam, habentem in semetipsa atque intra semetipsam plenum perfectumque imperandi*

perandi jus, in tantum, ut non nisi uni solique Deo obnoxia, neque propropter sese parem, neque supra sese sublimiorem agnoscat quempiam. Ut verbo dicam, opponuntur fere semper *Regnum* ac *Libertas* ut pugnantia; sic tamen ut cum regibus propria *Majestas* sit, Rebusque publicis *Libertas*, idipsum quod in rege *Majestas* dicitur, in Rebus publicis superiorem non agnoscentibus *libertas* dicatur, civitasque libera, *quæ legem universis ac singulis civibus dicere possit sine superiorum aut æqualium aut inferiorum necessario consensu.*

Prius hoc, nempe summum Imperii jus *Libertate* quod terminetur, ipsoque *Libertatis* nomine veniat, uti exemplo non caret, ita neque authoritate destitui quisquam judicet. quando & Anonymus ille Scrutinii scriptor, in quem hæc nostra diriguntur, vel ipsius Reipub. Venetæ intuitu, verborum *liberæ* juxta & *independentis*, notionem, pro una eademque sumit, & rectè. neque enim diversum ab hujusmodi enuntiato abire possunt (infinita ut alia apud Oratores Historicosque passim obvia consulto prætereamus) quæ cum Helvetiis, utpote cum populo libero suique juris, inita fuere, aut etiamnum ineuntur pacta. Eadem procul dubio & mens fuit Illustrium & præpotentium Fœderati Belgii Ordinum, nisi plenariò libertatis edicto ac confessione præviis, ad ullas omnino super faciendis induciis pactiones descendere recusantium. Accedit quod & ipse Hispaniarum Rex, ipsique Archiduces, liberas nationes fœderatas, liberos earundem proceres, inque quos nihil sibi quod arrogent juris esse profitendo, irrefragabili auctoramento id quod assertum imus evincant.

Posterius vero clarum faciunt illa Taciti, *Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas*. De morib. Germ. Item prima illa ejusdem, *Vrbem Romam à principio reges habuere, Libertatem & Consulatum L. Brutus instituit*, Quando autem id factum? Nempe,

pe, cum L. Bruto & P. Valerio authoribus, populus Romanus juramento adactus est se neminem Romæ regnare passurum, atque exinde, Bruto rebus exemto, rogationem jussit, ut sacrum cum bonis caput illius esset, qui regni occupandi consilia iniisset. Liv. lib. 1. Estque id ipsum incolumi libertate servatum semper. Sic apud Silium Scipio quem regem gentes salutaverant nominis illius invidiam à se est amolitus,

— Et Romam nomina regum
Monstravit non posse pati.

Cicero, *Viro Romano ne nominandum quidem regis nomen* pronunciavit: & Cæsare ab Antonio rege salutato, etiamsi ille non regem se sed Cæsarem ferret, Iovem solum regem esse dictitaret, visa statim illa ad libertatem identidem respectantium indignabunda inscriptio BRVTE DORMIS? Eversâ quoque libertate durasse, nec nisi sero animis P.R. excessisse testantur illa Claudiani de Stilicone,

— Mavortia plebes
Te regem Bruto non dedignante fatetur,
Et quod adhuc nullo potuit terrore coacta
Libertas Romana pati, Stiliconis amori
Detulit, &c.

Obiter & in transcursu hoc notasse fas sit, vel eousque Romanos regium nomen habuisse exosum, ut cum justis etiamnum regibus, regium nomen attribuerent, ingenti id benefacto deputarent. Apud Livium tanti non est quod adstante exercitu multa honorifica Scipio dixerit de Masinissa, quam quod *regem* appellarit: Belli Gal. lib. 1. Cæsar ita de se, in orat. ad Ariovistum. *Quod rex appellatus esset à Senatu, quod amicus, quod*

 munera

munera amplissima missa. Quam rem & paucis contigisse & à Romanis pro maximis hominum officiis consuesse tribui docebat. Sed nos ad Tacitum revertamur. Ille in proposito nobis argumento, *Bruto posteriori,* sublato Cæsare, *intempestive repetitam libertatem* notat, ac alibi quoque *res insociabiles* voc t *principatum ac libertatem,* pariterque *dominationi sine fine* opponit *libertatem cum modo.*

Libertatem porro majestati regiæ æquari docent illa Senecæ, *Interdum populus est quem timere debeamus, interdum, si ea Civitatis disciplina est, ut plurima per senatum transigantur, gratiosi in ea timentur viri, interdum singuli, quibus potestas populi, & in populum data est,* Epist. 19.

Altero quem notavimus significatu, cum I. C^to. Florentino *Libertatem* habemus *pro naturali facultate ejus, quod facere cuique lubet, nisi quod aut vi aut jure prohibeatur.*

Huic libertati quæ opponatur servitus est. Tacitus. *Dedimus profecto grande patientiæ documentum, &, sicut vetus ætas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones audiendi loquendique commercio.* in vit. Agric. Apud eundem annalium 3. Sacrovir, *Quam decora victoribus libertas? quanto intolerabilior servitus iterum victis?* & alter ille, histor. lib. 1. *Quid aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitutem?*

Porro cum ea quam attulimus libertatis descriptio omnium sit adprobata calculis, neque cuiquam quod quidem ego sciam improbata, merito quoque hujus nostræ à nobis disputationis constituetur norma, ad quam tanquam ad Lydium lapidem complura ad cognoscendam inspiciendamque penitius naturam atque essentiam libertatis facientia, cum bono Deo exigere atque explorare est animus.

Extra hæc duo principia quemadmodum certi solidique in subjecto themate poni nihil potest, utpote quæ talia sunt ut quæcumque aut ab Anonymo dicta sunt aut à nobis

in

in medium adferri poterunt, ad illa ipsa necessario sint referenda, castiganda atque examinanda; ita mirari subit quid Anonymo quo libertatem serenissimæ Venetorum Reipublicæ convellat, in mentem venerit, quod omisso medio, ab extremorum uno, ad alterum pariter extremum deveniat, ac prætermissâ temperatiori illâ libertate quæ in Aristocratico regimine haberi solet, aut saltem insuper habitâ, distinguendum putet, inter istiusmodi libertatem qualis extat in regno Galliæ, atque alteram illam quæ apud Helvetios reperiatur. Neque enim video quid Venetis commune sit cum regno Galliæ, in quo nihil est quod regium supergrediatur fastigium, imo ne exæquet quidem, quid cum Helvetiis, quibus unicum est Libertatis argumentum vicissim parere atque imperare? Esto, *Ne constet aliter regnandi ratio, nisi ut uni reddatur. Impune facere quod velis sit id vero demum regem esse.* Relinquamus subditis obsequii gloriam, quin altiora si spirent, subeat illud Lucani,

Libertas populi, quem regna coërcent
Libertate perit, cujus servaveris umbram
Si quidquid jubeare velis.

In vicem, esto & hoc, quod Democratico in politeumate omnia diversa sint atque opposita regno. Plura, si velit Anonymo largiamur, non effecerit tamen ut ea vel tantillum libertatem Reipub. Venetæ sint tactura. Longe illi regale nomen, longe itidem plebis effrænis licentia: quin imo, per tot sæculorum decursus, perstitit illa, statque etiamnum, suo nixa tibicini, ac virtutis instar, media, & reducta inter utrumque; Neque est quispiam qui ignoret eam quantum à Democratico abscedit regimine, tanto ad Monarchiam propius accedere, & ex adverso tanto eam populari Remp. regendi formæ conjungi propius, quanto ab unius dom-

dominatu longius recedit. Sunt ergo hæc oppidò quam separatissima, & ut absolvam non subsistit arcessitum à separatis argumentum.

Sed enim vero ne videatur cuipiam, quod egomet mihi ad allatam ab Anonymo distinctionem simplici hac confutatione defunctus videar, scrutari lubet, ac si detur etjam excutere, cui bono, cuive fini vir cæteroquin doctissimus, & ut testantur ab eo scripta, Polyhistor, in ipso limine impingere, atque tam quæsitæ anxiæque dissertationi tam ineptam incongruamque distinctionem præmissam voluerit.

Ejus ego causam reor aut exacerbatũ in Venetos animum, aut præposterum Imperatori placendi studium. Quid eum in Venetos exstimularit equidem nescio, ac neque scio quid eum Imperatori tantopere conciliaverit. Quicquid est, judicavit. quantum assequor, sibi à distinctione in speciem verissimâ, nec minus facili, quæque nullo negocio à quolibet demum lectore & capi valeret & concedi, petendum esse præsidium. Hujus beneficio fidem facere sese posse speravit, neque olim istiusmodi libertatem qualem in regno suo reges habent, Venetis competiisse, neque & hoc tempore talem competere; qualem penes se existere Helvetij gloriantur: quin ex adverso, fuisse eos jam tùm à primis incunabulis alienæ potestati subditos, & ex quo sese in libertatem adseruerunt, resedisse eandem ex asse apud illos, qui Reip: clavum moderantur, neque ullam prorsus adeoque ne vel minimam libertatis portiunculam ad populum, nedum & ad plebem postmodum manasse. Sed de his plus satis.

Vnum addam non abs re fore, quandoquidem multoties de originariâ Venetorum libertate deque præterito, nec non & de præsenti Reipub. statu erit dicendum descriptionem

nem libertatis, prout eam à I. C^to. Florentino mox dicebamus traditam, fusius paulisper examinemus, quo si ex amussim omnia singulaque in illâ, quam assertum imus Reipub. Venetæ libertate, concurrere deprehendantur, quæ in prædictam I. C. definitionem influunt, quæque ex illa non inconcinne possunt elici; omnibus quibus hæc nostra in manus de ventura sunt, fides fiat, nolle me quippiam eorum, quæ ad cognoscendam penitissimè libertatis naturam factura videantur, occultare; quoque & manifestum evadat, prius me nihil potiusve habere, quam ut sermone per regiam veritatis orbitam constanter deducto, vel ipsi adversario, ingratiis licet, ac contranitenti, nedum æquo, benigno, candidoque Lectori, assensum extorqueam.

CAPUT. II.

Libertas diligentius & accuratius excussa. Libertas naturalis quæ, & quare. Libertas facultas. Fundamentum libertais. Iuris & Legum præscripta, dictæ Libertatis objectum, eidem. libertati nihil detrahunt. Venetorum Respub. liberrima. Nec superiorem, nec parem agnoscit.

AIt ergo I. C^tus *Libertas est naturalis facultas ejus quod facere cuique lubet, nisi si quid vi aut jure probibeatur.*

Naturalem quod vocet magna ratio est. Prima, quod sola sit Natura liberum hominem quæ faciat, idque per se, ac nullius externi egena ministerii. Hinc est quod tota libertas sit à natura, & homini insit à natura, ita adhæreat, ut avelli non possit: Quod de sese gloriatur apud Herodianum Commodus Imp. ὁμοῦ δὲ μὲ εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον κ' βασιλέα,

 idem

idem & de libero homine recte dicas. Idem qui homines sol aspicit, eodem momento intuetur & liberos. Taleis nos matris alvus in lucem edit. Punctum temporis cogitatione præsumere non datur, quo quis non sit liber, nec momentum quis ullum assignaverit, quo dici possit, homini qua homini, perinde ac si ante illud tempus plenariam libertatem non habuisset, libertas primitus acquisita fuisse.

Alterâ ratio, quod instar naturæ quæ communis omnium est parens, ad omnes sese & singulos libertas diffundat, nulli, privatim emancipata, ita ut quod ex fragmentis Tullianis de Iustitia recenset Nonius & de libertate usurpare liceat, *Eam nimirum ad quoslibet ex æquo spectantem explicare sese atque porrigere, foras spectare, projectam esse totam, publicam omnium cunctisque pariter communem.* Quod & confirmant verba in hac ipsa definitione sequentia, *Quod facere cuique lubet*, ipsæque insuper leges libertatem non tam privatam quam publicam rem esse deprædicant; ut est textus in *L. Si quis rogatus. ff. de fideicom. libert.* in eundem & sensum in orat. de lege Agraria contra Rullum Cicero, *Quid* (inquit) *tam populare quam libertas? quam non solum ab hominibus verum etiam à bestiis expeti atque omnibus rebus anteponi videtis.* Non inconcinnè & hæc adsignari posset ratio, libertatem vel hoc intuitu à natura I. C^tum^ arcescere, quod olim non modo æquali in pretio libertas habita fuerit quo vita hominis animaque, quo spectant illa Crispi *Libertatem nemo bonus nisi cum anima simul amittit*, verum etiam majore. Erepta siquidem libertate hominem ab homine surreptum optimi mortalium majores nostri censuerunt. Sic novum hominem esse videri I. C^tus^ Paulus servum ait, qui postquam manumissus fuerat, in servitutem relabitur. *l. 27. ff de adim. legat. & in l. 98. ff. de solut. & liberat.* hominem alienum qui ex libero, aut quod in idem recidit manumisso servus sit effectus alium videri pronunciat. Quin & comparatione

tione facta servitutem morte graviorem statuit Imp. *l. 1. C. de latin. lib. tollend.* maximeque discrtim Imp. Constantinus in *l. ult. Cod. de patria postest.* in terminis ait, *Libertati* (verba sunt textus) *à majoribus tantum impensum est, ut patribus quibus jus vitæ in liberos necisque potestas olim erat permissa, libertatem eripere non liceret*, Optima sane ratione, vitam parentibus nostris pro parte acceptam ferimus, libertatem non item. hanc non parentibus, ast uni naturę debemus. Recte vel hoc ipso nomine libertas naturalis dicatur; quod in ea tuenda conservandaque plus sibi licere natura voluerit, quam vel in ipsam mortalium vitam juris sibi reservavit. Neque hæc quidem obiter notasse sufficiat.

Facultatis verbo liberam ac plenam potestatem rerumque pro arbitrio gerendarum quandam velut facilitatem nullis aliunde impedimentis interturbatam I. C^tus designat, unde & linguæ Latinæ auctores facultatem à facilitate metiuntur. Eadem Græcis εὐχέρεια & εὐπορία dicitur. Ad hanc respexisse facilitatem non inepte dicantur illa Lucreti lib. 1.

Quodcumque obtulerat prædæ fortuna, ferebat
Sponte sua, sibi quisque valere & vivere doctus.

Illud notari meretur, data opera I. C^tum Libertatem verbo facultatis definire, nempe quo demonstret illam à jure neutiquam pendere, verum cum in merâ liberrimaque cujuscumque voluntate consistat, per semetipsam subsistere, quod quidem nullatenus ei possit aptari, si aut hac in re juris alicujus essent partes, si qua communio. Eo enim deveniamus necesse est, ut cum jus nobis esse dicamus hoc aut illud agendi, ex adverso negare non possimus contrarium ejus, aut quod ab illo diversum sit adversumve, facere nobis non licere: quando & illud ipsum, quod beneficio juris nobis

quæsiti nos facere profitemur aperte satis evincit, non esse nobis vel illud ipsum faciendi licentiam potestatemve, nisi ea speciali ad id jure nobis esset concessa, quale quid in illa quæ meræ facultatis sunt, utpote quæ sponte operantur ex semetipsis determinantur, & in sola faciendi voluntate causam habent, non cadit.

Subjungit porro I. Ctus, *Ejus quod cuique facere lubet.* Vt absolutissimo hoc enunciato liquido constet, quemadmodum omnes omnino subjectionis species, quæ Iuris ac potestatis aliquid in personam conferunt, appellatione servitutis intelligendæ veniunt, similiter sub libertatis appellatione non illud modo comprehendi, quod servili conditioni sit oppositum, sed & qualemcumque demum conditionem alieno Iuri subjectam. Sic τὴν ἐλευθερίαν ἐξουσίαν αὐτοπραγίας Zeno definit & post eum Aristot. lib. pol. 5. cap. 9. Opus libertatis esse dicit ut velis vivere. Ita ut revera liberum sit illud quod sua natura ac conditione nulli subjicitur, à nullo cogitur, sibi pro re natâ dominatur, sibi pro arbitrio paret, quæ vult facit, quæ non vult omittit, cumque nullius, extra se, imperio, præscripto, metu, aut coactione sit impeditum, & ut verbo absolvam sui sit, non alieni juris, ea quæ sese offerunt eligit repudiatve, pro libitu prorsus, ac pro liberrimo proque independente, quem habet Iudicii ac voluntatis usu. Hoc respectu Tullius in Orat. pro Balbo *Fundamentum libertatis dicit sui quemque juris & retinendi & dimittendi esse Dominium.* Hujusmodi cuivis mortalium facultatem natura largitur, cujus beneficio personam uniuscumque quod attinet, nemo alienis parere cogitur imperiis, nisi ipse velit. *l. 1. l. 3. ff. de lib. hom. exhibendo.* Horsum spectant illa Persii,

Non quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet ut voluit.

& pau-

& paulo post.

Vindicta postquam mens à prætore recessi,
Cur mihi non liceat jussit quodcumque voluntas?

Similiter & de rebus hominis liberi si loquamur est hoc ejusdem naturæ beneficio, ac pro dictæ libertatis Iure, liber homo rerum suarum administrationem quod habet, nec non & earundem dispositionem, procurationem & curam, idque tam in acquirendo (de qua dubium non est) quam in alienando: unde & Aristoteles tum demum proprietatem penes nos esse finitive statuit, quando pariter quoque penes nos est alienandi jus, lib 1. Rhet. c. 5. suntque hæc homini libero, ut ante dictum est, libera, salvo ipsi quaqua versum jure utendi fruendique, omnibus omnino rebus quæ jure alicujus Dominii haberi possideri aut competere possunt: quam demum veram perfectam ac legitimam libertatem I. C^{ti} indigitant. *l. 1. C. commun. serv. manum. & l. Unica. C. de latin. libert. tollenda.*

Definitionem claudit adjecta limitatio. *Nisi si quid vi aut jure prohibeatur.* Recte; neque enim vim extrinsecus illatam libertatem imminuere constat, sed actus duntaxat usum exercitumque libertatis coarctare, & impedire, Quinimo etiamsi Quintiliano genus servitutis dicatur coacta libertas, nec non & iniquitas, quidquid facias de homine invito, manet tamen illa ipsa naturalis faciendi quod cuique lubet facultas, ex qua sola, privativè dimetienda est & æstimanda Libertas. Illam nulla vis aufert, nulla elidit violentia, sufficitque ad retinendam naturalem illam facultatem juxta ac libertatem hominem, nisi vi majore præpediretur ac suo si relinqueretur arbitrio, facturum esse quod ipsi luberet.

Iuris ac legum præscripta quod libertatem non immi-

nuant operose non est ut deducamus. Nota sunt illa apud Crispum Lepidi. *Quid à Tyrrho Annibale, Philippoque & Antiocho, defensum aliud est, aliud quam libertas, neu cui nisi legibus pareremus,* Quidquid à ratione recedit devium, non libertas est sed dissolutio. Vtramque in jure legibusque paginam ratio facit, unde & recte in Cluentiana Tullius. *Legum nos omnes esse servos dicit quo liberi simus*: & ante eum Philosophus loco, quem proxime jam laudavimus, *vitam quæ ex reipub. præscripto degitur non servituti deputandam, sed saluti.*

Nihil ergo libertati jura demunt aut leges, imo si verum amamus ex quo cum regio vate impressum nobis lumen vultus dominici gloriamur, ex quo ipse Deus sub legibus nasci nos voluit, & ex legum præscripto vitam componere, ipsa libertas est, quæ facit ut quæ non nisi contra legum præcepta moresque bonos admitti possunt, ea nec liber homo libera sibi esse velit, habeatque pro impossibilibus quæ non nisi cum dedecore possit, quæve salva fama & existimatione non possit. Plane aurea in hanc rem verba sunt Papiniani, *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos posse credendum est.*

Et sic quidem explicata Libertatis definitione, quid utroque illo significatu, quo à me Libertatem accipi commonui, verbum Libertatis designet visum hactenus. Ad rem veniamus, &, quod in genere à me dictum est applicemus, rejectis eorum erroribus, qui Rempub. Venetam aut de jure unquam seruisse, aut de facto in servitute fuisse existimant, libere statuo, Venetorum Remp. esse quam liberrimam, ac neque parem neque superiorem agnoscere quempiam, itidem & fuisse semper & esse etiamnum liberam, nec ullius imperio subjectam. Statuo similiter, civibus Venetis competiisse semper & competere etiam hoc

hoc tempore conjunctim separatimque omnia illa quæ in essentiam Libertatis ullatenus influere ex præcedenti definitione commonstravi. Et ut in hac re præstantissimi Sansovini (quem unicè carpere ac convellere studet Anonymus) verbis utar intrepidè affirmo, neminem Venetorum in urbe ab illâ conditâ, natum, qui non liberum ibi spiritum hauserit, nec denatum quempiam, qui non eundem illum, liberrimè quem hauserat itidem & liberum creatori Deo spiritum reddiderit. Quo tamen inoffenso pede ac citra confusionem progredi porro detur, præmittenda sunt paucula de Libertate rebus competente, nec non & de modo Libertatis probandæ, quibus explicatis, eorum quæ à me deinceps adducentur facilior erit tractatio.

CAPVT. III.

Libertas rerum. Naturale hominis in res creatas Dominium. Homini à casu, rebus ab accidenti servitus imposita. Servitute non probata, libertas probatur.

QVod dictum fuit demonstratumque huc usque, libertatem insitam esse hominibus per se, ab exordio rationalis naturæ, & sic à jure naturæ, idem & de rebus dicendum esse dubium non est. Constat siquidem terras, prædia & quaslibet demum res de jure naturali primævo, atque à prima origine, liberas fuisse; nulla præsertim adhuc occupatione factâ, nulla etiamnum rerum institutâ divisione; nullis per pacta & conventiones introductis servitutibus; & quo tempore nec ulli servire poterat quod nullius esset in bonis. Accedit, quod & extra omnem dubitandi aleam positum sit, naturam creatricem rerum non ea intentione

aut

aut mente res cunctas creasse ut illæ inter sese & ad invicem essent ordinatæ tanquam ad finem suum, ac sic ut altera ad alterius perfectionem iret; verum id egisse ut omnium finis esset ipse homo, utpote in cujus gratiam cujusque causa creata sint omnia, quique ob id omnibus tanquam quæ sui causa condita sint liberè utatur fruatur: unde & consequens, est non modo naturale esse hominis in res creatas dominium, sed & illas homini ut naturaliter ita & liberè convenire. Natura (certum ut adseram) in necessariis non deficit. Hæc cum necessario liberum voluerit hominem, liberum quoque procul dubio voluit esse id omne, absque quo libertatem suam homo exserere, exercere, atque in actum producere non posset. Ast vero neque homo libere de rebus suis disponat, nisi eæ ipsæ sint liberæ ac in ipsius manu ac potestate constitutæ. Hinc est quod nec alio quam Libertatis intuitu rei suæ quisque moderator dicatur & arbiter, quæ si cui obligationis vinculo attinetur impetrita, eatenus è vestigio desinit esse res sua. Quantum obligationi accedit nexuive, tantum & libero illi arbitrio ac moderamini decedat, est necesse. Non est absolutè nostrum quod nobis cum alio est commune, aut in quod alteri quid est juris. Itaque cum necessario liberæ res esse debent, neque, hominem liberum si volumus, aliæ possint esse quam liberæ, earundum Libertas vel hoc nomine satis superque videtur probata. Vt ut est, intentionem naturæ si spectemus, est hominum, rerumque eadem & ab eodem fonte Libertas; utque homini à casu fortunave, ita & ab accidenti rebus est imposita servitus. Quælibet res naturaliter ac per sese libera, ex accidenti servit; accidentaliter autem quod fit, præter agentis intentionem fieri, notius est quam ut dici debeat. Tenendum igitur, res per sese consideratas, esse naturali intentione suaque natura liberas, earumque ubi de liberta-

bertate sermo est, quin dandum sit judicium secundum illud quod est per se, & non secundum illud quod est per accidens nemo est qui ambigat: Hinc est quod servitute specificè non probatâ pro libertate sententiam ferimus, manente quaqua versum ac permanente originariæ libertatis notâ rebus impressâ; Exemplum quis desiderat? illustre sacra historia suppeditat in Iosepho, Ægyptiorum terras & latifundia tempore famis coemente, eamque una cum omnibus populis à novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus Pharaoni subjiciente. *Ex quo factum* (verba sunt textus) *ut ex eo tempore usque in præsentem diem, in universâ terrâ Ægypti regibus quinta pars solvatur, & factum hoc sit quasi in legem absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuerat.* Quid vero certius, quam si ab illo tempore quo comparata fuerant Pharaoni latifundia, pars quinta persolvi cœpta est, ea ante illud tempus fuisse libera, quam & reliquas quatuor partes quas in sementem & cibum familiis liberisque Ægyptiorum Iosephus reliquerat mansisse similiter liberas. Itidem in Iure nostro quotienscumque de servitutibus agitur originariam illam libertatem rerum religiosè attendi observarique constat, quemadmodum videre est in l. cum eo ff. de servit. urban. præd. Quantumvis malitiosus haberi possit ille qui ædes vicini obscurat tollendo suas & malitiis hominum juxta vulgata non sit indulgendum, tamen nullam cum eo actionem competere I. C^tus pronuntiat, modo ille vicini ædibus non serviat, idemque sub d. tit. l. inter servitutes tum demum quæ factæ sunt ad luminis impedimentum prohiberi posse statuit, si servitus debeatur, unde & vice versa ducto à contrario sensu argumento, si servitus non debeatur, prohibitioni locum non esse validè infertur: sic etjam si domus servitutem non debeat dominum ejus altius ædificia tollere non prohiberi. Item si tibi servitute in ædi-

bus vicini debitâ paries altius ædificatus eſt, novum opus ſuis ſumptibus eum qui id fecit, tollere compellendum, at contra ſi te ſervitutem non habuiſſe probetur tollendi altius ædificium non eſſe interdictum Impp. Diocletianus & Maximianus reſcripſere, l. altius, & l. ſi in ædibus. C. de ſervit & aqua. Horſum quoque ſpectant illa quæ de præſumenda ſemper, niſi contrarium evincatur, libertate apud DD. paſſim ſunt obvia. Spectat & illud quod cum juramentum fidelitatis, & illa quæ ex nexu juramenti debetur præſtaturque fides, quædam (licet minus propria) ſit ſervitus, id propter & nemo pro homine alterius habeatur aut vaſallo niſi id liquido probetur, & hominis ad inſtar res, non pro feudali, ſed allodiali & liberâ, quantiſper de contrario non conſtat, reputetur. Idem de Emphiteuſi, cenſu, talliis (ut vocant) ſimilibuſque quæ conventionibus, teſtamentis, conſuetudine aut ſtatutis localibus introducta, & ſic à facto ſunt humano, dictum eſto: Ea non modo præſumptionem pro ſe non habent & ab allegante probanda ſunt, ſed cum à Iure gentium ſecundario ſint introducta, vel hoc ipſo manifeſte teſtantur fuiſſe Iure primævo unam eandemque tam hominum quam rerum libertatem.

CAPVT. IV.

Modus probandæ libertatis. Homines aut liberi, aut ſervi. Servitus contra naturam. Quæ ex natura emanent, quæ contra eam faciant. Natura quæ, & qualis. A negante naturalem qualitatem probatio habenda.

SVperioribus eum ad modum in anteceſſum præmiſſis, conſequens eſt ut de modo libertatis probandæ deſpi-

ſpiciamus, & à quo libertas ſit probanda, aut quæ libertati adverſetur ſervitus.

Summa Imperatori noſtro de Iure perſonarum diviſio hæc eſt, quod *omnes homines aut liberi ſunt, aut ſervi*, tertium non datur. *Servitus autem eſt conſtitutio juris gentium qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur*, Quæ definitio, notandum eſt, quod generalem in ſeſe veritatem complectatur; eſt ſiquidem ſemper atque omni modo contra naturam, ut quis alieno ſubjiciatur dominio, præſertim, ſi, quod & facere debemus, diffiteri nolumus, hominem ad hominem, tanquàm ad finem ordinatum non fuiſſe à naturâ; quando & conſtat eam unice voluiſſe atque egiſſe, ut omnes omnino homines naſcerentur, viverent, & morirentur æquales, facile hæc citra ullam aliam demonſtrationem aſſenſum impetrant. Contrariorum uno poſito poſitum eſt & alterum, Nec ulli fuerit bono probationes operoſe conquirere. Novimus omnes rei demonſtratæ fruſtra demonſtrationes adijci. Satis eſt libertatem eſſe à natura; quod cum per ea quæ pręcedentibus pertractavi capitibus cumulate ſit oſtenſum, id ipſum deinceps vel allegaſſe ſuffecerit. Firmant quæ dico, quod nec aliam in iis quę à natura profecta ſunt probandis I.C[ti].viam inſiſtant. Veſtigia videas *in l. itaque ff. ad l. Aquil.* ubi dicitur quod adverſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere *in l. ubi. §. fundi. verſ. illud dubitationem recipit. ff. de verb. oblig. in verbis, ipſa natura manifeſtiſſimum eſt. in l. liberorum. §. ult. de v. ſ. in verbis. natura nos docet. l. qua ratione. §. hæ quoque de acquir. rer. domin. in verbis. nihil tam conveniens naturali æquitati. Sic in l. 2. ff. de Precario. §. item quod.* Interdictum de precario, naturalem æquitatem haberę dicitur. faciunt *in l. 1. ff. de furt.* itemque *l. probrum de v. ſ.* Eoſdem & in iis quæ diverſa ſunt allegatione contraria videmus defungi, pronuntiando rationem naturalem hoc vel illud non admittere, aut ſimpliciter di-

cendo contra naturam eſt. Ut habet textus in *l. poſſidetis. §. ex contrario. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* Ratio eſt, Cum quod ea quæ à natura ſunt probare ſi tentes, obſcures magis quam illuſtres. Tum quod & illa ipſa, utpote à divina providentia conſtituta, certa ſint, inconcuſſa, & ut I. C^tus^. ait in *l. foramen. ff. de ſervit. urb. præd.* cauſam habeant perpetuam, ne ipſi quidem Omipotenti Deo mutanda. Quinimo eadem aut ejuſdem ſaltim cum ſapientia reputantur efficaciæ. Notum illud Juvenalis Sat. 4. *Nunquam aliud natura aliud Sapientia dictat.* Pulchrius etiamnum, quod rerum naturam pro divina ſapientia Iuriſconſulti uſurpent *l. etſi. §. paterfam. ff. de Iudic.* Cum Oratorum Juriſconſultiſſimo ut loquar, ex iſta ſcaturigine quæ promanant Scripturam non deſiderant, naſcuntur nobiſcum, ea non diſcimus, accipimus, legimus, aſt è natura ipſa arripimus, haurimus, exprimimus, ad eadem illa non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti: Ridiculum foret hac in re Soli (quod in proverbio eſt) lucem fœnerari velle, & impendiis laborare ſupervacuis.

Contra libertatem ergo inſurgere qui volet juſtæ probationi ſeſe paret opus eſt, habitumque, ac ut noſtri loquuntur qualitatem è penitiſſimo naturæ ſinu aſſurgentem, à ſubjecto atque individuo ſuo remoturus, contraria quæ ſunt prius aſtruat oportet. Ut ut factum neguantis nulla ſit probatio, ceſſat id tamen in naturalibus. Præſumuntur omnia eſſe talia, qualia eſſe debebant à natura. Evidenter ac permanenter quid eſſe notorium, aut eſſe à natura, (probandi modum neceſſitatemve ſi ſpectemus) in idem recidunt. Exemplo fuerit quod cum ſanam mentem in corpore ſano natura intendat, noſque ſanum regulariter quemlibet præſumamus, ſi quis talem inſaniæ inſimulet Impp. confeſtim ingerant *Adverſationi tua mentis eum compotem fuiſſe negantis fidem adeſſe probari convenit.* L. nec codicillos. C. de Codicillis. Nulli id

id dubium, probandam à negante naturalis qualitatis negativam; ea quoniam neget, quæ naturali præſumptione omnibus omnino hominibus adſunt, imo & inſunt. Naturali præſumptioni hac in re conſentanea quoque Iuris eſt præſumptio. Hanc ſi reſpicimus, rurſus occurrat, ut indubium onus probandi in negantem ex aſſe recumbere, quotiens ei præſumptio Iuris adverſatur. Arctas hoc caſu ac perfectas probationes D. D. requirunt, ipſa adeoque & lex apertiſſimas opponi probationes deſiderat. textus in *l. veriſimile. ff. quod metus.* Quod præcipue tunc quoque habet locum quando illa negativa eſt Iuris; fortiuſque ſi quam (ut in propoſito nobis themate) in ſe complectatur facti mixturam, *l. ab ea parte. ff. de Probat.*

Aſt quid multis? totus eſt in hoc Anonymus ut oſtendat Sereniſſimam Venetorum Rempublicam non fuiſſe liberam, ſed verius ſubditam. Habet ergo ipſius negativa propoſitio, adfirmativam incluſam; & cum ipſe in ſeſe probandi onus tranſumſerit, non eſt vel omnibus illis quæ à me allegata ſunt ceſſantibus, ut conquirendis ſollicitè firmandiſque probationibus me fatigem. Nulla hic juris intercedit captio, nec & ipſe cauſam dixerit, quo minus ſi in probando defecerit cauſſa cadat. *l. circa. §. ſi quis autem, ff. de probat.*

CAPVT V.

Libertas Reipub. Venetæ propius excuſſa, & ab ipſis ejus primordiis aſſerta. Errores Anonymi paſſim taxantur, & refelluntur. Origines urbis Venetæ. Originaria ejus libertas. Ejuſdem fundamenta, & æqualitas.

litas. De Insulis Italiæ disquisitum. Insulanorum jus. Veneti nec se nec sua in alterius Principis clientelam dedere.

Libertatem igitur Reipublicæ Venetæ aggressurus Anonymus, jam inde ab ipsis exstructæ conditæque urbis incunabulis orditur, originemque ipsius neutro illo, quem præmisit modo, dici posse liberam statuit. Neutrius modi factâ mentione necessitatem mihi injectam video, repetendi ex antecedentibus, quandocumque ille alterutro libertatem habendi modo Venetos dici posse liberos inficiatur, ipsum hoc dictum velle, neque libertatem penes Venetos extitisse, aut existere istiusmodi, qualem sibi in regno suo Galliæ Rex arroget, in solo nimirum Rege conspicuam, nec ultra sese exporrigentem; nec talem quoque, qua gaudeant Helvetiorum populi, apud quos in Imperio qui fuere, momentaneo intervallo vix dum intercurrente alios supra sese constitutos vident. Ast quos illos? nempe quibus ipsi ante cum Imperio præfuerant. Illius iterum non alia aut ratio aut caussa, quam quod ex quo ad omnes singulosque ex æquo sese extendit imperandi invicem potestas, nec non & parendi præscripta necessitas, tota in hoc capite libertas eorum consistat, nec aliunde æstimetur. Sed enimvero in prologomenis nostris ad illa responsum plus satis, commonstratumque in proposito nobis themate tertium dari, simulque aliunde arcescendam Libertatis distinctionem. Quo ne actum agam, Lectorem meum ad hujus tractatus caput ordine primum remisisse suffecerit. Hoc interim dico negare & pernegare me subditos alienis imperijs fuisse Venetos, illius duntaxat exceptis cujus *Regeis in ipsos imperium est*, Dei nimirum, cui soli obnoxij, summam in se suos habuere semper habent-

habentque etiamnum poteſtatem. Nego item probari poſſe quod haud competierit ipſis naturalis illa faciendi, quæ voluerint, facultas, multoque minus ipſos à quopiam in exerenda exercendave iſtiuſmodi facultate, aut vi aut jure eſſe prohibitos.

Primum ſubjectionis argumentum Anonymus facit; quod authore Ulpiano. l. 9. ff. de Iudiciis. *Inſulæ Italiæ pars ſint Italiæ ac cujuſque Provinciæ*; Conſtet autem Venetos conceſſiſſe atque conſediſſe in Inſulis Italiæ. Hac ratione irrefragabiliter ille confieri putat quod Veneti potiores haud eſſe potuerint, aut alio jure cenſeri, quam cætera Italiæ loca, quæ tunc temporis ad unum omnia Cæſaribus paruiſſe ipſi pro certo eſt. Hinc ad præſumptiones dilabitur, ac nec aliter credi præſumive poſſe aſſerit, quam voluiſſe ipſos, quo tempore alieno in diſtrictu inque territorio ſuperiorem agnoſcente lare fixo, fortunarum ſuarum ſedem collocabant, nulla præſertim ipſis adfulgente Libertatis ſpe, illius ſeſe Imperiis ſubmittere, quem totus ille tractus venerabatur agnoſcebatque dominum. Addito, ſi diverſa moliri aut aliquâ ratione in Libertatem novo atque inaudito ad ea tempora exemplo aſſerere in animo habuiſſent, neminem fore cui id facile ad fidem fiat, Imperatores Romanos qui in vicino juxta & in expedito haberent exercitum, Aquilegiæ nimirum, & quorum inſuper aula eſſet in proximo, Ravennæ ſcilicet, æquis animis laturos fuiſſe cœptum tam vecors, nec niſi cum maximâ graviſſimaque imminutione Majeſtatis Cæſareæ inchoandum.

Argumento deinde utitur & altero, cujus hæc mens, ſubditos Patavinis fuiſſe Venetos, Patavinos Cæſaribus: ac proinde tantum abeſſe ut liberos ſe dicere poſſint Veneti, uti ne quidem inter ſubditos primo gradu cenſeri poſſint, ſed pro Vicarijs, id eſt ipſorum ſubditorum ſubditis ſint habendi.

Dicam

Dicam compendio. Quantum in se est, id agit, ut in Venetos quadrare posse videatur illud Ambrosij Epist. 7. Minus vile putatur servire liberos, geminatur servitus ubi servitur vernaculis.

Ad singula ut respondeam, præmittendum denuo, consentire omnes omnino in origine urbis Venetæ annalium scriptores, eos nempe à quibus urbs primum condi cœpta, metu hostili percitos, ac relicta terra continenti profugos, in Lacunas Hadriatici maris sese contulisse, quo tempore Barbaris loca vicina ferro flammaque miserè depopulantibus, excidium toti Italiæ, vastitasque imminere videbatur, easque insedisse, sibique occupasse, vacuas illas, neque tam derelictui habitas (quamvis & hoc verum ut mox dicetur) quam quod incultæ essent, & à nemine habitarentur, neglectas, utque à nullo tum temporis possessas, ita nec à Barbaris oppressas postmodum, sed natura loci, maris, paludum vadorumque beneficio ab omni hostium incursu insultuque tutas. Quæ cuncta maturè si quis attendere volet, longe alia veri facies vel ad primum sese obtutum est oblatura, firmumque ac non concussum pro originariâ Venetorum libertate ex prædictis assurget fundamentum. Fortuita, recte ut loquamur, omnino fuit ista profugorum in insullas demigratio, ac nimirum dum modo unus duntaxat alterve, modo plures numero, profugis sese aggregant, domus, vicus, pagus, civitas, quid mirum! constituta. Cæterum neque hic privatim sibi suisve, cuive cum imperio præesset civitatem extruere profugorum destinarat quispiam, quin imo tale quippiam si destinasset, successu cariturum videre poterat, qui sibi nihil in advenas juris esse non ignoraret, ijdem hi profugi, si non ut segreges seperatim, verum turmatum globatumque allecto cui parerent duce convenissent, qualiter fuisse conditum à profugis Anthenore duce Patavium

tavium Historiæ nos docent. Si quoque sibi quæ occupando insederant vindicare voluissent, jam nulli dubium erit, illos, hoc suo facto concitaturos in se armaturosque fuisse territorii illius Dominum. Nihil vero tale profugis iis de quibus agendum est nobis, obvenit, aut ut obveniret timendum f. it, Primo quidem (ut simillimum vero) spretâ coeuntium paucitate, mox successu temporum rebus Italiæ turbatis, inciso Imperii poplite, accedente imperantium vecordia, sibi suæq; libertati vixere diu multumq;, quoadusq; succrescente indies multitudine, non minus inferendo bello quam vi propulsande essent idonei, ac si lacesserentur superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declarare possent. Hæc prima Venetis Libertatis fuere fundamenta; hæc stupendæ illius quæ apud ipsos exinde viguit æqualitatis incunabula. Fi ipsi vero adversarius cum quidquid est in libertate quod per se subsistat, nec aliunde pendeat, & quidem totum ex asse deferat, ac nos quoque ut ut non tanta, longe, saltim maxima jure merito deferamus, facile notatu putamus prima ab origine peti illam arcessique debere. Vt jam vidimus non poterant non esse æquales inter se qui in ea se loca recipiebant. Cæterum quo minus æqualitatem exuerent, aut imperium quis sibi vindicare anniteretur, validissimum erat ipsis vinculum publica calamitas, singulis ac universis ex æquo tolerata, ex æquo toleranda. Imo vero unum agebant, primum, sibi quisque, ac mox communi conspiratione & ope, suum cuique salvum ut foret; id ipsum si cui obvenerat næ ille omni aliâ ambitione longe remotâ sibi videbatur beatus, ac de felicitate in certamen venturus vel cum Iove. Recte Curtius *in communi calamitate*, ait, *quemque suam habere fortunam*. Illam igitur æqualitatem tutandam sibi & ad posteros transmittendam prudenter judicavere, utpote cui non assueverant modo, verum

D etiam

etiam quam secum natam, secum educatam diligebant fovebantque. Credibile est illud æqualitatis studium non leviter exinde ipsis placuisse, cum quod omnem Tyrannidem essent exosi, tum quod suaves comprimis illius sunt illecebræ ac demulcendæ ductandæque multitudini efficaces, præsertim si nondum ea in justum corpus concreverit, aut præ studio præsentium, præteritorum oblita, eorumque

Quæ post ventura trahentur,

sit secura. Quoniam vero plura super hac re suo loco inferius erunt dicenda, illi impræsentiarum diutius immorari non est necesse.

Quod de Insula movetur, Ulpiano *partem Italiæ* dici *insulas Italiæ*, id ego plane non nego, quamvis si naturaliter loquamur id ipsum ne verum quidem sit, cum pars continentis dici non possit id, quod devulsum est à continente separatumque, ac dicatur ipsi Ulpiano continens, quod Italiæ est conjunctum. *l. notionem §. continentes ff. de V. S.* Quæ vero conjunctio, ubi inter utramque continentis ripam, fretum pro interscpimento est? nulla sane, nisi exiguum intercurrentis freti spacium pro nullo habere velimus, qualiter *d.* §. inter continentes & eas accipi videmus quæ modico freto ab Italia dividuntur. Illud vero nego ex allegata *L.* nedum recte, sed vel ullatenus inferri, quod Lectori persuasum Anonymus velit, scilicet Insulas Italiæ eo quod pars sint Italiæ ijsdem subjacere Dominis quibus subdita sit Italia, quid enim liberas easdem ut esse dicamus prohibet servitute non probata crebrisq; passim liberarum insularum exemplis? Colunt insulam Rheni amnis Batavi in eas sedeis, auctore Tacito, transgressi in quibus pars Romani imperij fierent. Ast qualis illa pars, subdita ne ac serva? Nihil minus, audiamus modo Tacitum, *Manet*, inquit ille, *honos & antiquæ societatis insigne, nec tributis contemnuntur,*

ne

nec publicanus atterit, exempti oneribus & collationibus & tantum in usum praeliorum sepositi, velut tela atque arma bellis reservantur. Insulam colunt & Mattiaci, ast eodem tradente, non alio quam Batavi obsequio. Verba sunt. *Est & in eodem obsequio Mattiacorum gens. Protulit & magnitudo P. R. ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperij reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa mente animoque nobiscum agunt, caetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae coelo & solo acrius animantur.* de morib. Germ. De Chaucis quos ex illius quam subjungimus descriptione non liberos minus quam Pene-insulanos colligas, ita Plinius lib. 16. *Sunt vero & in Septentrione visae nobis gentes Chaucorum, qui majores minoresque appellantur: vasto ibi meatu, perpetuis bis dierum noctium singularum intervallis effusus in immensum agitur Oceanus, alternam operiens naturae controversiam, dubiumque terrae sit an pars maris, illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi aestus, casis ita impositis; navigantibus similes, cum integant aquae circumdata naufragijs, cum vero recesserunt fugientes cum mari pisces, circa tuguria venantur.* &c. Ac paulo post. *Et hae gentes si vincantur hodie à Populo R. servire se dicunt.* Audin Anonyme ut non dicat aut victas esse aut victas servijsse? Quinimo fatetur id ultro ac ut vinci indignas pauperiei suae liberas relinquit contentus subjunxisse pro acroamate, *Ita est profecto, multis fortuna parcit in poenam.* Insulam Rhodij colunt, de quibus idem Tacitus Ann. 12. *Redditur* (inquit) *Rhodijs libertas adempta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant*; sic & Astaphylaeam Insulam liberam dicit Plinius Naturalis Historiae *lib.* 4. *cap.* 12. Idem Milasam, Alabandam, Stratoniceam Ionij maris insulas *lib.* 5. *c.* 30. nec non Gnydon eod. lib. *c.* 29. & alibi Cephaleniam; Zacynthum, Ægynam, Samuntem, Chion, Mytylenem, aliasque insulas complures liberas pronuntiat *lib.* 4. *c.* 12. *lib.* 5. *c.* 31. &c. Imo vero & Insulas Italiae liberas fuisse ex

l. deprecatio. ff. ad L. Rhodiam de jactu. manifeste colligere est, in qua *L.* deprecatio refertur Eudemonis Nicomediensis in Italia naufragium passi, & à publicano insularum Cycladum direpti, ac ut supra diximus attriti. Inibi cum notatum sit quoad Batavos, hoc inter libertatis insignia referri, quod à publicanis non atterantur, eliciaturque ex adverso subjectionis argumentum in Insulis Cycladibus, eo quod in illis essent, degerentque publicani, nemo est qui non videat quod ex *d. l.* à contrario sensu libertas insularum Italiæ rectè inferatur. Si quid publicanis in naufragos erat juris, spectavisset proculdubio naufragium illud Eudemonis Nicomediensis cujus in allegata lege mentio fit ad insularum Italiæ, si quidem illæ, (de quo tamen non constat) habuissent aliquos omnino publicanos. Atque ut ad prædictas maris Hadriatici lacunas à Venetis insessas deveniam, nullâ Historicorum, quos ego in hunc diem videre potui auctoritate probatur, eas ante id tempus à quopiam fuisse occupatas, aut ullius agnovisse imperium. Multa de tractu illo maris Hadriatici quem Venetum vocant, deque orâ ac regione Veneta quæ singulari numero Venetia appellatur, passim apud authores videas: ast de urbe Veneta ne verbum quidem: est tamen de illa nobis sermo, nec quid ultra ejus libertatem in quæstione est. Verbum Venetiarum si partem Italiæ Anonymus velit, si ex eo quod pars sit Italiæ & subditam intendat, id jam probet necesse est, stat contra ipsum annalium fides, evidentia facti, naturæ præsumptio. Accedit quod & toto juris corpore, nulla extet lex, nulla reperiatur constitutio, quæ insulas Italiæ directè indirectève Cæsarum Imperijs subjectas dicat. Utique non facit hoc prædicta L. insulæ, quæ cum sub suo titulo sit unica, in suo contextu absoluta, neque ad ullas omnino leges sive antecedentes illas sive subsequentes, quę sub titulo de Iudicijs continentur respi-

respiciat, in alienum à I C^ti. mente intellectum non est detorquenda, neque committendum ut hac in parte (quod esset in ipsam legem committere) verba legis amplexi, contra legis nitamur voluntatem. Convenientius erit ut cum semper hoc legibus inesse credi oporteat, ut ad eas res ac personas pertineant, quæ quandoque similes erunt, quod & nisi contrariæ sint multis IC^tus. ait argumentis probari *l. non est novum. l. ideo. l. posteriores. ff. de legib.* Idem & hic à nobis observetur. Vero simile igitur est Vlpianum in *d. l. insulæ.* distinguere voluisse inter Insulas Italiæ & Provincias; ac proinde dicere, non esse gestum id in Provincia, quod gestum sit in Italia, cum propter connexionem insularum Italiæ cum ipsa Italia, de quo supra ex *l. notionem. §. continentes. de V. S.* tum quod Provinciæ dicantur illæ quæ procul ab Italia armis sint victæ. Alciat ad *d. l. notionem.* in *§. n. 2.* sic ut Insulam Provinciæ velit oppositam, quod in Iure frequens, textus est in *d. l. notionem. d. §.* & in *l. exportandus. de servis exportandis.* aliisque similibus: quemadmodum & ab eodem Vlpiano res Italicas & res Provinciales inter se videmus opponi. *l. cogi poterit. §. sed etsi miles. ad SC^tum.* Trebell. At roget me quispiam quorsum, cuive bono hæc oppositio? expediam, est ea locum habitura in Procuratore qui in eadem Provincia Dominum defendere tenetur, ergo & in illius Provinciæ Insula, cum pars ea sit Provinciæ, non vero extra aut ultra illam. Hinc & in *l. sed & §. non solum.* durum esse dicit Vlpianus cogi procuratorem in Provinciam de Roma abire, vel e contrario, vel è Provincia in aliam Provinciam & defendere. Habebit & locum in tutoribus, quibus secundum eundem Vlpianum cum in Italia domicilium habeant administrationem rerum Provincialium remitti usitatissimum est. *l. illud ff. de excusat. tut.* ex quo & invaluit ut in partes regionesque tutela divisa sit. Movent me hæc ut credam IC^tum.

D 3 obli-

obligationi officioque procuratorum tutorumque *d. l. insulæ.* terminum præfinire voluisse, & quousque Procurator Dominum suum defendere, tutor, bona pupilli administrare teneatur, digito velut commonstrare, eoque hæc me impensius movent, quod deprehendam & allegatam à me *l. sed & hæ. ff. de Proc.* nec non & *l. vel in partes. ff. de admi. & per. tut.* quæ de dividenda in partes aut regiones tutela loquitur, utramque desumptam esse ex *lib 9. Vlpiani ad edictum*, ex quo *lib. 9.* & hanc *l. insulæ.* desumptam esse testatur descriptio.

Fallitur & hoc nomine Anonymus, quod ex ultronea illa in partem Italiæ concessione quam probare intendit, originariam subjectionem deducere conetur, quippe cum constet eis, qui tum temporis non iniquis modo, verum etjam indomitis necessitatibus circumsepti imminentibus sese periculis subducere annitebantur, nihil in Cæsaribus auxilii fuisse præsidiique; quin potius ipsis vitam, fortunas, salutem sanguinemque qua suum, qua conjugum, qua liberorum, quoquo modo fuisse redimenda; sitque nec minus certum subditos ab obedientiæ vinculo liberari, quotienscumque conclamato Principum suorum patrocinio furori hostium, ac irritanti semetipsam sævitiei, tanquam piaculares victimæ nudi, inermes indefensique relinquuntur, quod iis obvenisse constat, iis qui quo sese adversus imminentem jugulis suis Barbarorum illuviem munirent tegerentque in dictas Hadriatici maris lacunas principes concessere. Certe & inhumanum fuerit & abhorrens à naturali æquitate in eam devergere sententiam, quæ istiusmodi advenas, extorres, profugos ac tantum non perditos, erubescendæ insuper servituti damnatos velit, idque non alia de causa, quam quod in vacua venerint, quæ si possessa ante fuerant (quod tamen Historicorum nemo posteritati mandavit) tum temporis omissa erant desertaque, si nulli pos-

sessa,

ſeſſa, ipſo Iure, quodque palmarium eſt, naturali, fiebant occupantium. Tritum eſt, actus ultra intentionem agentium, nihil operari. At vero nihil inter Imperatores alterutrius Imperii ac Venetos actum apparet quo ſeſe illi ſuaque in fidem aut nedum in ditionem hujus aut illius dederint. Eadem autem eſſe, quippiam aut omnino non eſſe, aut non apparere, juris eſt minime dubii. Imo & ſi ponere velimus eos abdicandæ à ſe & in Imperatorem conferendæ libertatis intentionem habuiſſe, nihil egerimus; occurrant ſtatim, in alienatione rerum incorporalium, qualia ſunt Iura libertatis ſolam dominii transferendi cauſam, ac voluntatem dominium ad transferendum non ſufficere, ac ne quidem pacto intercedente. *l. traditionibus Cod. de Pactis.* & quotieſcumque juriſdictionem quis in alium velit acquirere, non ſatis eſſe de tali jure acquirendo transferendove tractatum aut contractum fuiſſe, id eſt quod alius ſeſe juriſdictioni iſti ſubditum eſſe velle ſit profeſſus, ut eſt in expreſſo ad hoc textu. *l. cum ſcimus Cod de agric & cenſitis*, (neque enim quiſpiam ſola voluntate ſtatum ſuum mutare poteſt) verum oportere alia inſuper ut accedant, è quibus ſubjectio talis efficaciter inferatur: qualia ſunt à parte ſuperioris exercita in invitos ac reluctantes Iuriſdictio, coactio, quæque his ſunt affinia: à parte ſubditi aſſenſus, ſilentium eaque quam in incorporalibus pro traditione leges habeant, patientia. *l. ſi quis diuturno, ff. de ſervit. vend.* Venetos vero ad faciendum tale quid ab Imperatoribus fuiſſe coactos aut & coactioni acquieviſſe cum ſufficiente conſenſus declaratione, probabit nemo. Iungamus quod nec ſit veriſimile illos qui vitam periclitantem defenderent, ac Barbororum ſubjectionem effugerent in mediam ſubjecti nem proruere voluiſſe, & quod unum à fati calamitate nacti erant beneficium, nempe ut liberi libereque viverent, inſignita prorſus ignavia iviſſe perditum, nulla ad-
actos

actos necessitate, nullo qui in constantem virum cadat metū compulsos. Rectius Poëta

Evasti? credo metues, doctusque cavebis
Quæres quando iterum paveas iterumque perire
Possis? O toties servus! nec bellua ruptis
Quas semel effugit reddat se prava catenis.

Atque in hunc sensum præclare apud Iosephum Agrippa, *durum esse periculum servitutis facere & id ne subeatur honestam esse certationem* pronunciat. Quin & hoc addamus, eos ut-ut voluissent maxime, attamen nec potuisse: deerant nempe qui ipsis imperarent, quibusve ipsi se suaque substernerent. Accedit quod nec ratio Iuris fictiove permittat, ut Iurisdictionem semel pro derelicto habitam nulla stipulatione media, nullo ad firmandam si qua intercesserit stipulationem, utrimque facto accedente, postliminio reversam dicamus ad eum, qui illam ex animo abjecerit, quantum in se fuit, ejus sese possessione vel in tantum exuerit, ut eam occupandi, atque apprehendendi liberrimam cuilibet volenti copiam fecerit. Quo ne feramur ulterius, fixum esto, voluntarios actus, inter quos illa profugorum in lacunas Maris Hadriatici adnumeranda est concessio, ultra quam illorum tulisse convincatur arbitrium, de Iure extendi non posse. Tralatitium est in Iure ut non quid, ast quo animo factum sit attendatur. *l. obligationum.* §. 1. *ff. de O. & A.* & similibus, præsertim in odiosis, inter quæ non dubiè censenda foret Libertatis non sine vitæ fortunarumque dispendio per tot rerum discrimina quæsitę, tam projectę, ac nec homine digna renunciatio, eaque ultronea. Rem suam nemo jactare præsumitur, nedum illam, quam Iuris regula dictat esse inæstimabilem, & omnibus omnino rebus anteponendam.

CAP.

CAPUT. VI.

Falsum Anonymi argumentum à situ Venetorum desumptum. Ius & vis situs. Dubiâ libertatis interpretatione, secundum illam est respondendum. De Iurisdictione in territorio, ejusque jure. Situs multis profuit ad libertatem. Qui sint ejusdem territorij.

FAcilis similiter est ad argumentumresponsio, quod ex ratione situs & relatione partis ad totum Anonymus deducit. Eo siquidem probato, nihil inde Iuris Cæsaribus accessisse quod ultro in loca prædicta concesserint illi, ad quos urbis Venetæ principia referuntur; item hoc non difficulter evincetur, situm rei per se consideratum neque de Iure naturæ item nec de Iure gentium aut civico modum esse verum aut legitimum acquirendi rerum dominii, quemadmodum neque in titulo de divisione rerum & acquirendo earum dominio recensetur ab Imperatore inter acquirendi dominii modos. Accedit quod neque ea situs per se vis sit, ut aliquam cum Iure imperandi, cumque parendi necessitate dominationem, quæ proprie potestas dicitur, *l.* 37. *ad l. Aquiliam*, possit producere. Si cui regerere subit aliam esse Iurisdictionis, de qua hic quæstio sit, naturam, aliam dominii, principes imperio cuncta complecti, singulos dominio, quæcumque Iurisdictio sit in territorio Principis, eam aut ipsius esse principis aut à principe manasse, ac quandoquidem nihil esse possit in territorio, quod non alicui Iurisdictioni subjacere sit necesse, credibile non esse alterius esse aut fuisse jurisdictionem quam ejus qui supremam in territorio habeat potestatem; concedam lubens id omne, ac fatebor ultro, dummodo hoc mihi detur quod sane ne-

ne neque ullum inficiaturum existimo; Jus omne quod è ratione situs elicitur in nuda præsumptione fundari: præsumptio igitur illa non est ut multum nos torqueat, habet nempe alteram sibi oppositam præsumptionem naturæ regulis innixam, qua omnem rem à primævo statu nec non à primævo Iure liberam esse probatur, per ea quæ superius dicta sunt & notabilem præterea textum, cap. jus naturale. dist. 1. Præsumptionem præsumptione tolli elidique docuit nos textus l. fin. ff. quod metus causa. Si quis tamen in proposito themate de facto negare velit prædictam istam præsumptionem contraria præsumptione sublatam esse elisamve, utique non effecerit quo minus illa, etsi revera, atque ab omnibus habeatur pro controversâ, quod ipsum sufficit, ut contra eum qui in istiuscemodi præsumptione, quæ tam manifestam præsumptionem sibi adversantem habet, intentionem suam fundare tentat, sententia feratur. Regula Iuris est, quod quotiens dubia libertatis est interpretatio, secundum illam sit respondendum. Sic & in dialecticis collectionibus, illationes observamus in eam partem devergere, quæ minus gravet; inque Iudiciis merito obtinet jure, ut si alter Iudicium damnet, alter absolvat, inter dispares sententias vincat quæ est mitior, saltim cum negari nequeat naturalem illam præsumptionem alterâ fortiorem esse potiorque de Iure sequiorem labefactet, ut jam dici cœptum, eam ad minimum præsumptionis illius quæ cum originali sive naturali consentit æquum est statuamus esse efficaciam, ut onus probandi in adversarium transferat; qualem efficaciam alteri illi, quæ primævo juri pugnat, nemo temere largiatur. Quamquam & absque exemplo non est ut etiam in ipso alterius districtu territoriove loca quædam sint, quæ omnino ejus in quo commorentur territorii Dominium pro suo non agnoscant, suis ipsi legibus vivant, summum

mum

mum in se ac sua jus imperandi habeant, diversumque hoc pacto ac separatum ipsi per se constituant territorium, cujusmodi loca scriptores vulgo dicunt esse quidem in territorio, sed tamen non de territorio, item & non esse sub territorio: porrigente sese nimirum jurisdictione ad ea quæ ab ipso dependent territorio, non autem ad ea quæ continentia sunt territorii. Quo respectu idem esse dicitur, esse quid extra territorium, aut esse immune à Iurisdictione illius cujus est territorium. Ita ut & de facto, quantumvis pagus castrum vel bona alicujus immediate nobilis, atque ita locus exemtus, ratione situs sit in districtu alicujus Principis, tamen quoad superioritatem & jurisdictionem recte dicetur extra districtum esse. *Roll. à Valle consf.* 33. *n.* 3. *Wesemb. consf.* 37. *nu.* 10. quod idem & illustribus Cameræ præjudiciis confirmatum tradit *Ruding. obs. sing. cent.* 3. *obs.* 10. Quin si penitius introspexisse voluerimus naturam situs, re ipsa comperiemus multis urbibus locisque ad libertatem nihil æque viam stravisse ac situm loci, dum eorum Incolæ tutos se magis confinium populorum sibi invicem accessionem eorum invidentium æmulatione, quam proprijs viribus caute ponderant; Utque nihil dicam de Venetis inter Orientale atque Occidentale Imperium libertatem suam fœliciter tuentibus, exemplo fuerint Gebennensis civitas, Sedanensis & Raucurtianus ducatus, ipsumque hoc quod nos hodie liberum incolimus, inferius Belgium. Quin ut & omnem in subjecta materia dissimilitudinis effugiamus notam, evincunt quod dico in Gallijs Arausionensis ptincipatus, in ducatu Montispenseriano Dombensis item principatus, in Normannia regnum Yvetotij, & nostris quoque temporibus exemptione sua nobile, licet postmodum dominis illius auro contra accepto Iure suo decedentibus veterem ad formam nuper sit reversum. Apud nos Drentino in tractu Runense terri-

ritorium Munsterianę familię perantiqua ditio, paucis à Frisia miliaribus Amelandiæ insula, in Brabantiæ ducatu Bochovium, infinitaque insuper Germaniæ loca quæ districtius inquirere aut etiam enumerare nec opus nec otium est: loca inquam non limitanea aut limitaneis contermina, sed quaqua versum Galliæ, Belgij Germaniæque urbibus circumscripta, vallata, inque in earum meditullio constituta. Quanquam alias & noti juris est quod ubi de territorio agitur, & quæritur qui sint ejusdem territorij, territorium illud non sit accipiendum stricte, de ijs solummodo quæ in eodem circuitu continentur, sed crasse pro universitate ditionis, quæ specialem habet titulum & unius justam administrationem respicit. *Mynſ. obſ.* 89. *nu.* 8. *Cent.* 5. Accedit his quod non loco situve sed per exercitam Iurisdictionem & gestos vi competentis sibi Iurisdictionis actus designandum sit territorium, per ea quæ tradit in tractatu suo finium regundorum *Hyeronimus de Monte c.* 6. *nu.* 10. illud ipsum vero cum à terrendo dictum sit, *l. pupillus.* § *territorium. de V. S.* inibique ad *d.* §. Alciato definiatur terræ spacium Iurisdictione armatum, ac vel ipso nominis sono coerctionem importet, frustra fuerit omnis à sola situs ratione derivata præsumptio, si legitimi illi actus abfuerint terrendi, jurisdicundive causa à superiore facti, quæ & doctrina Baldi est *in l. data opera, verſ. ſuper ſitu cadit. C. qui accuſ. non poſſunt.* Ubi docet territorium ejusque fines per jurisdictionis exercitium probari, & in terminis dicit. Si vertatur quæstio in cujus territorio situatus sit ager in Perusino an in Eugubino, & probetur quod Perusini illic furcas erexerint, malefactores cæperint & homines illorum mandatis obtemperarunt, per hoc probatum esse agrum illum esse in territorio Perusino, ad quod etiam faciat l. 1. & l. fin. Cod. de Iurisd. omn. jud.

CAP.

CAPVT. VII.

Frustra Anonymum à præsumptionibus præsidium petere. Italia quomodo imperio Romano subdita. Origo ejus rei. Venetorum urbem P. R. neque vi neque jure suam fecit. Veneti in insulas quare concesserint. Pro derelictis illæ antea habitæ. Labente imperio Rom. coeptæ Barbarorum irruptiones. Facies rerum in Italia tunc temporis. Aula Ravennæ sub Honorio. Ejus ignavia, & Leges. Roma sub eo à Gothis misere vexata. Venetorum insulæ tunc temporis ab Imperatore derelictæ, nec proinde ei subditæ fuerunt.

EX prædictis patet ridiculum esse quod Anonymus ait, non esse præsumendum potiorem nascentis Venetorum urbis fuisse conditionem, quam totius Italiæ, quæ tota tum temporis Romano esset imperio subdita; neque enim in re tanti ponderis ad præsumptiones refugium patere debet, cum vel ex historiarum monumētis rei veritas haberi possit, aut ex ipsa quæ dubitationes omnes pręcidit facti evidentiâ, aut ratione Iuris: Ita ut mirer cur illi qui quid facti, non quid Iuris sit examinare atque commonstrare sese velle profitetur, insuper habitâ omni facti probatione (subjectionem enim facti esse nemo sanæ mentis ambigat) in præsumptione fundamentum ponat. Ad eam ipsam ut & obiter respondeam dicam cum Dn. Præside, argumentum à toto ad partem cum non simpliciter procedat, sed secundum quid, probabile quidem esse, non tamen necessarium. Addam & hoc,

non alium illius argumenti usum esse; quam ubi aut omnino eadem aut saltim proportionata ratio in toto juxta & in parte utrimque concurrant. De ratione proportionata non est quod agamus, despiciendum modo, num ratio hic in parte eadem militet, quam ille in toto probatam credit. Si cum Anonymo dicere libeat (salvis tamen ineptijs, de quibus suo loco) totam Italiam Imperio Romano fuisse subditam, ac habuisse in ea Cæsarem intentionem suam Iurisdictionemque fundatam, non aliunde tamen illud ipsum petere licebit, quam à scaturigine Iurisdictionis Cæsareæ, populo nimirum Romano, qui lege Regia, quæ de ejus imperio lata est, ei & in eum omnem potestatem contulit. §. *sed. & quod principi. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* nec & eam ulterius de Iure protendere licebit, quam ad illos quos decursu temporis idem ille populus vi aut jure suos faciendæ rei Romanæ adjecit. Alia (nisi eam à naturali instinctu, ipsaque natura petere velimus) quam é consensu populi rectorem sibi præficere cupientis, Imperij ac Iurisdictionis origo dari non potest. Prædicta si ad urbem Venetorum, quam neque vi neque Iure P. R. suam fecit, applicemus, vulgatum illud regerent *quò ad te liberas ædes habeo*. Demonstrandum ergo profugos illos, quibus Vrbs Veneta condi cœpta, Cæsarum sese subdidisse imperijs. Ast silent & hic annales, Anonymus nihil probat, neque quod videam, superest quippiam, quam ut dicamus, quam ille in toto reperiri rationem voluit, in parte non deprehendi. Ipse præterea situs loci, in quo præcipue se fundat Anonymus, satis ostendit speciatim hac in re diversam fuisse rationem partis, ab ea, quæ fuerat totius. Ast qualis ille Deus bone! situs, paludibus fœdus, ille uliginosus, squalidus tetricusque, ad quem (si fas ita dicere) incolumi Iove & urbe Roma, nullus eum occupandi, apprehendendi, insidendive gratia fuisset concessurus. Historiarum

rum monumenta si consulimus ante inundationem istam Barbarorum in Italiam, ac non nisi sero admodum, & cum jam illi nulli incursionum suarum finem aut modum viderentur facturi, finisque unius insultus alterius esset gradus, in eas sese contulere, ex circum adjacentibus Italiæ oppidis profugi. Offert hic sese mihi quod de Germania Tacitus, *Quis præter periculum horridi & ignoti maris, Asia aut Africâ aut Italiâ relictâ Germaniam peteret asperam cœlo, tristem cultu aspectuque nisi si patria sit?* Sed ne extra orbitam. Constat Romanos tanquam è specula vicinarum gentium libertati insidiari solitos, ubi in justas vires roburque sese succrevisse experiendo didicerant, ad invadendum primitus Italiæ, ac mox successu temporis terrarum orbis imperium, animum adjecisse, paulatimque in vicinos sibi populos insurgendo, quà vi armorum, quà fœderibus sponsionibusque sibi subditos fieri coegisse, quod tamen Venetis (quo nomine jam vel totum illorum comprehendo tractū) obtigisse, nulli narratur. Non abs re fuerit hac in parte Sigonii quam meis verbis uti, ait ille, tract. de ant. jur. Ital. lib. 3. *Quo tempore à Romanis victi sint Veneti aut omnino bello petiti adhuc eruere ex tanta annalium vetustate non potui. societatem quidem illos cum Romanis iniisse ante Annibalis in Italiam adventum tradit Polybius. Ex quo æstimari potest nulla eos occasione vel nullo potius rerum Italiæ motu post fidem semel datam violasse, sed amicitiam bonis P.R. rebus junctam in perpetuum castissimè coluisse, neque & ipsos ullo se Cœnomiannorum aut Carnorum bello implicuisse, sed sponte se fidei Romanorum permisisse.* Hactenus ille. Ac quamvis non diffitear & allegato loco nonnullas à Sigonio conjecturas adferri, quibus probari sibi ait Venetos quandoque Romanis paruisse, nullam tamen allatæ ab ipso in medium conjecturæ mentionem faciunt, aut coactionis, aut à jure sibi quæsito renunciationis, cessionisve à Venetis factæ, suntque omnia inibi ab ipso commemorata, ex eorum genere, quæ libere

fiunt

fiunt, per quæ nulli jus acquiri, juris est confessi. Absit vero quod in tota regione locum non habuit in parte ejusdem neque ex magnâ contra naturalis rationis dictamen, ac nulla id evincente auctoritate admittamus. Est hæc igitur & altera exceptio ab illa regula, quæ partem cum toto jure eodem censet. Accedat nunc & tertia, nempe, quod argumento eorum quæ tradit I. C^tus^ Modestinus in *l.* 3. *ff. pro derelicto.* in iis quæ pro derelicto habita sunt à toto ad partem & vice versa à parte ad totum argumentari non liceat. Quo quantoque molimine sibi Romani Italiæ pararint Imperium, æquè omnibus notum est: evidens ergo, quoad illud, aliaque quæ pro derelictis habita dicimus, diversitatis ratio; ut ut enim & iisdem modis res nostræ esse desinant, quibus ab initio acquisitæ fuerunt, ut est textus in *l.* 1. *de tit.* attamen in acquisitione Iurisdictionis actus positivos intervenire necesse est; in habendo pro derelictis, negativus suffecerit, in tantum ut pro derelicto habeatur illud, cujus sese possessione Dominus hac mente exuerit, ut id in bonis suis esse nolit, atque abjectâ ex animo possessione, veluti per traditionem incertam, aut factam incerto, res non occupantis modo fiat, sed & citra ullam omnino occupationem, domini derelinquentis è vestigio esse desinat. *l. quod servus ff. de stipulat. servor.* Admittente insuper & jure naturali occupationem & ex ea dominium, quotienscumque illa nullius conditionem publicam aut privatam lædit: Habitas autem fuisse pro derelictis eas, de quibus sermo est, maris Hadriatici Lacunas: nemo tam in historiis hospes est ut ignoret.

Iam diu erat quod in senectutem præceps ac devexum Imperium Romanum, ac media sui parte se ipso minus, in ruinam subsidere cœperat, accessere tanquam ad commune bustum à septentrione Gothi, Alani, Gepidæ Hunnique qui-

qui torrentis more Italiam inundarent, Sigonii verbis utar denuo. *Cœperat jam tum à morte Theodosii sub Honorio titubare Romanum Imperium, labi sub Valentiniano, præcipitari sub successoribus, desiit in Occidente sub Odoacro, qui occidentis dominationem quidem invasit, sed honesta Majestatis Augustalis verecundia, haud quaquam sese Imperatorem sed regem tantum Italiæ nominavit, atque Occidenti imperare nomine regio, sed sine purpura cœpit. Sig. de Occid. Imp. lib.* 15. Ergo qui tum temporis hærentes penitis Italiæ visceribus repelleret hosteis nemo erat, ferali insuper Imperatorum ignavia, infractis omnium ausis, nec ullo, post interfectum ab ignavissimo Valentiniano Ætium, alicujus nominis duce, in Barbaros movere auso; illis ex adverso instantibus, successusque strennuè urgentibus. Quænam circa ea tempora rerum in Italia facies fuerit, testantur illa D. Hieronymi ad Gaudentium epistolâ, *Proh nefas*, ait vir sanctus, *orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt, urbs inclyta & Romani Imperii caput imo hausta est incendio, nulla est regio quæ non Romanos exules habet, in cineres & favillas sacræ quondam Ecclesiæ conciderunt.* Item in principio tertii ad Hesechielem. *Quis crederet ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis & mater fieret & sepulchrum, ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora dominatricis urbis servorum & ancillarum numero complerentur, ut quotidie sancta Bethleem nobiles quondam utriusque sexus atque omnibus divitiis affluentes reciperet mendicantes, quibus quoniam opem ferre non possumus, condolemus, & lachrymas lachrymis jungimus.* Et quam maxime in illo Epithaphio Fabiolæ. *Ecce subito post Romam à Gothis captam discurrentibus nuntiis Oriens totus intremuit, ab ultima Meotide inter glacialem Tanaim & immanes Messagetarum populos, ubi Caucasi rupibus inhumanas gentes Alexandri claustra cohibent, erupere Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illuc volitantia cædis ac terroris cuncta complerent, aberat tunc Romanus exercitus, & bellis civilibus in Italia tenebatur, insperati ubique aderant & famam celeritatis vin-*

centes non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miserabantur infantiæ, cogebantur mori qui nondum vivere cœperant, & nescientes malum suum, inter hostium manus ac tela ridebant, consonus inter omnes rumor petere eos Hyerosolymam &c.

His perlectis beati Hieronymi locis neminem fore persuasum habeo mihi, qui non plenissime credat neque consilium neque intentionem Imperatoribus Occidentis fuisse, ea, quæ nunquam ipsi sua sub ditione tenuerunt, sibi asserendi ac non potius, si quatenus ea ad ipsorum Imperium aut Iurisdictionem spectaverant deserendi, derelinquendique. Verum quo ne egomet mihi in præsumptione blandiri ac suppalpare videar aut in ea me fundare, videamus age quæ de amissione limitis Illyricani tradit in commentario de repub. Romana Wolphangus Lasius Ait ille. *lib.* 1. *cap.* 6. *Per hæc tempora Attila rex Hunnorum vir fortis ac superbus dum cum fratre Bleda super Hunnos principaretur Thraciam & Illyrium sæva populatione vastabat, omnia castella ac civitates in servitutem redigens præter Adrianopolin & Heracleam quæ quondam Perynthus vocabatur. Tunc exercitus Romanorum, qui in Sicilia morabatur ad defensionem Orientalium Provinciarum, revertitur, cogitur itaque Theodosius legationem Attilæ mittere, & sex millia librarum ei pro recessu prabens mille librarum annuum tributum persolvere pollicetur.* Quæ d. loco Lasius authorem suum laudans profitetur se habere ex authore Græco qui supplementum Eutropii scripsit, subjungens, *Quæ quidem à nobis eo sunt fusius deducta ut quando hunc Romani limitem (Illyricum sc.) amiserint, quod sub postremis contigisse Valentinianis constat dum vires adhuc quædam Imperii essent & non solum vanum nomen candidus lector cognoscat.* Ergo & sibilo mihi magis quam responso dignum videtur, quod Anonymus astruendæ præsumptioni à se adlatæ adfert, neminem fore cui facile ad fidem fiat Imperatores Romanos, qui in vicino juxta & in expedito exercitum haberent, nempe Aquilejæ,

lejæ, & quorum aula insuper esset in proximo Ravennæ scilicet, laturos æquis animis fuisse cœptum tam vecors, & cum gravissima majestatis ipsorum imminutione conjunctum. Rogare lubet cum Tullio (lib. 1. epist. fam.) *ecquæ spes esse potuerit in ea repub.: in qua neque Senatus neque populus vim habet ullam, nec leges ullæ sunt, nec judicia, nec omnino simulacrum aliquod aut vestigium Libertatis?* De exercitu siquidem quod adfertur, ex præallegatis qua Lazii qua D. Hieronymi locis videre est eum alibi distractum impeditumque fuisse: Aulam Ravennæ fuisse non negatur, ast aulam Ravennæ qui habebat Cæsar Honorius erat, non Imperatorum modo sed & mortalium ignavissimus. Sed & hoc mihi expediat Anonymus velim, quid causæ fuerit cur aulam suam Ravennatem in urbem Cæsar transtulerit, anne ut nascenti Venetæ urbis incubaret Libertati, eamque in herbâ, quod ajunt, opprimeret? nihil minus, verum ipsum vastata direptaque Roma profugo non dissimilem, Ravennæ commoratum constat, cum jam ante aspera, dira, execranda multa ac Romano nomine indigna perpessus esset ipse fecissetque. Quis vero credat id animi futurum fuisse Honorio, ut vel per somnium arma in Venetos expedire præsumeret, qui ad allatum excisæ, direptæ, perditæque Romæ nuncium, Gallinam suam, quam Romam vocabat captam ratus, gravius quam pro re commotus est, detecto errore, cognitoque urbem Romam Barbaris in spolium cessisse, flentibus iis qui tam miserandæ rei ferebant nuncium nullum commoti præ dolore aut indignatione animi signum dedit. Nec est quod ad leges ab ipso Ravennæ dum esset latas respiciamus, illæ quidem hoc evincant fuisse ipsum isthuc loci, verum (quod in proposito hoc nostro commonstrari deberet) ipsum quæ tunc in rem præsentem erant, illo quo par fuerat accuralle studio, neutiquam probent. Asseramus

legibus robur suum, *quis præpotentibus* (ut ait) *remediis superiora vitia temporum solers aut negaverit aut excluserit?* Erat jam vetus querela corrupta Romana re, plurimas leges existere, olim vitiis, tum temporis legibus laborari, invalida earum auxilia, ut quæ vi atque ambitu postremo & pecunia turbarentur, quæque his sunt gemina: Itaque si id Anonymo propositum erat, ut ostenderet Imp. Honorium curas sese ac imperiali fastigio dignas in animum dimisisse, probare utique debuerat, ecquid ad avertendam ab imperio pestem, pellendos Barbaros, cordatè designatum, occœptum strenuè, gestumque fuisset fortiter. Horum ille nihil cum possit in evanida putidaque præsumptione satis habet elanguescere, cum tamen id ipsum fugere non possit, ita misere, quo tempore Occidentis Imperator esset Honorius à Gothis, rege eorum Alarico, sedem Imperii Romam fuisse divexatam, ut vel suppliceis ab urbe Roma Legatos excidium illius deprecaturos, vix dum ad se admittere voluerit, eos ipsos diu multumque ludibrio habitos ægre responso sit dignatus, ea tandem ab eis flagitaverit ut ipsis nihil sibi postmodum reliquum fore antestantibus, rogantibusque ecquid ergo populo Romano superesse passurus esset, nihil præter animas præfractè regesserit. Quid ad hæc Romanus Imperator? omnino nihil, imo vero & placet conditio, corraditur omne quidquid corradi undicumque potest placandis Barbaris argentum, privatorum opibus ac suppellectile deficientibus, non delubris, non aris, non simulacris abstinetur, eò devenitur ut ad conficiendum aurum Alarico promissum conflato in massam Vitutis simulacro gentiles quodcumque Romanis relictum esset fortitudinis id omne eis expectoratum esse in os exprobare non vererentur. Ipse ille quem & supra allegavi Beatus Hieronymus acerba facti indignatione commotus *Quis hoc* (inquit)

(inquit) *credet Romam in gremio suo non pro gloria sed pro salute pugnare, imo vero ne pugnare quidem, sed auro & cuncta suppellectile vitam redimere?* Oblata autem fuisse Alarico testatur, unde hæc à me desumpta sunt, Sigonius quinque millia pondo auri, argenti triginta millia, tunicarum sericearum quatuor millia, pellium coccinearum tria millia. Ast nec hic quidem requies, aut à calamitatibus respiramentum. Claudianum audiamus

Invisum miles sitiens haurire cruorem,
Per varias vestes oneratáque plaustra metallo
Transit, & argenti cumulos, & cædis avarus
Contemtas proculcat opes, pretiosior auro
Sanguis erat, passim neglecti prodiga lucri
Ira furens, strictis animum mucronibus implet.

Quid hic Honorius! furenteis muneribus subvertit, quo datur placat, corrumpit, deducit, quosque ferro sibi inexpugnabiles norat, donis tranquillat; Imperium, opes, vitam ipsam prius, quam fatalem sibi, fatalem Imperio positurus ignaviam. Quinimo jam demissi Honorium animi fuisse tradunt scriptores, ut quasi re fæliciter gesta, perindeque ac si impense lætus esset, quod vel ijs conditionibus impendens cervicibus suis malum amovere, pacemque depacisci fuisset datum, unicam quam habebat sororem Placidiam firmandæ paci Ataulpho Gotho regis Alarici fratri in matrimonium collocaverit: qua tamen pacis spe cum excidisset, cumq; & hic quem diximus Ataulphus Romam versus signis infestis iter converteret, ea mente ut ipsam vix dum è pristinis cladibus caput attollere occeptantem, denuo invaderet, neque Alarici fratris exemplo direptam relinqueret,

ſed captam ſibi adſciſceret, & ut ait idem præallegato loco Sigonius dira quadam libidine delendi Romani nominis inflammatus, eam pro Roma Gothiam appellaret, certum eſt plus apud ipſum preces ſupplicationeſque uxoris Placidiæ valuiſſe quam arma Honorij, quæ ne quidem eminus ipſum oſtentare auſum, ad illa tempora ullus Hiſtoricorum quos hactenus mihi videre contigit memoriæ prodidit. Eat nunc Anonymus & Imperii Romani magnitudinem, terroremque Imperatorii nominis quantum lubet ebuccinet, nulli poſt tam aperta illis temporibus geſtorum teſtimonia dubium deinceps erit illas, de quibus ſermo eſt, Hadriatici maris lacunas quo tempore in illis urbis Venetæ jacta fuere fundamenta, Imperio Romani Imperatoris non fuiſſe ſubditâs, ſaltim ſi forte etiamnum quiſpiam hac aut illa ratione eas ad Imperium ſpectaſſe exiſtimet, erit inſimul & hoc ipſi pro indubio, fuiſſe illas quam pleniſſime pro derelictis habitas, utque taleis ſummo, quin & omni jure, factas occupantium.

CAPVT VIII.

Naſcentis Vrbis Venetæ origo. Quid ad eam Patavini contulerint. Falſum Patavinos urbis Venetæ fuiſſe auctores. Patavium à Gothis captum & incenſum. Aliud de jure univerſitas eſt, aliud de univerſitate ſinguli. De Patavinis, qui lacunas maris Hadriatici inſedere, propius diſquiſitum.

AD alterum argumentum quo vel ab origine Venetos aliorum fuiſſe Imperiis obnoxios probare nititur Anonymus

nymus, ut respondeam simulque ut ostendam, ut à veritate, ita & à Iure alienum esse, quod Vrbem Venetam à Patavinis conditam eisque subditam fuisse dicit, operæ pretium fuerit despicere, ecquæ nascentis urbis origo fuerit, quidve in ea condenda Patavini contulerint. Sed ut & hac in re quod candidè me facturum fide quam optimâ promitto, notum cuivis esse possit, nihil me scribere velle quod aut imaginarium sit ac conjecturale, aut à scriptoribus Venetis, quos proniore in patriam suam affectu ferri credibile sit, memoriæ mandatum, non utar alio quam unius potissimum Sigonii testimonio, quem & à fide exactaque diligentia Anonymo probari video. Ait ergo ille de Occidentali Imp. lib. 3. Eodem anno, nimirum 452. Italia sævo novarum calamitatum laboravit incendio, siquidem Attila cum immenso illo suo ac formidabili Barbariæ coeuntis exercitu, in ipsam demum ferox & truculentus irruit, quæ irruptio cum omnium quas Barbari intulerint nostrorum sermonibus celebratissima à vulgo maxime decantata sit, non aliud tamen est in tota antiquitate ab veterum annalium sermone desertius, ut mihi videantur in tanti periculi magnitudine non Imperator modo ac duces ejus ad tantam pestem clademque propulsandam elanguesscre, sed ipsi etiam scriptores nescio quo modo ad eam commemorandam obtorpuisse. *Paulo post.* Attila igitur in campis Catalaunicis in Gallia superatus, cum amisso magna parte exercitu languens, sese in Schythiam recepisset, haud quaquam sibi acquiescendum existimavit, actum de gloriâ ac nomine suo ratus, si quem ex adversis rebus timorem aut ullum fracti animi signum afflictarumque virium indicium dedisset. Itaque Valentiniano ante omnes infensus per quem non solum Gothos non deleverat, sed memorabilem etiam in Gallia cladem acceperat ipsum armis ulcisci, Italia invadenda ac Roma inflam-

„ flammandâ decrevit. Accedebat quod si voti sui compos
„ factus fuisset & prædam se uberiorem & victoriam certio-
„ rem relaturum videbat, quod Italiam omnium regionum
„ ditissimam atque opulentissimam, neque Gothi, neque
„ Alani, neque Burgundiones neque Franci suis fœderati es-
„ sent armis ac corporibus protecturi Igitur eisdem natio-
„ nibus quas ante sollicitatis exercitum superiore majorem
„ contraxit, eumque ad se sequendum ingentis spe prædæ ac
„ promissis accendit. Quo nuncio accepto Italici majore
„ quam unquam alias formidine ac trepidatione concussi sunt.
„ Veniebant in mentem varia quibus nuper ab Alarico & Reada
„ Gaiso conflictati fuerant mala, quibus adjungebatur etiam
„ præsentium amplior numerus hostium, tetrior feritas gen-
„ tium, major constantia militum, ac demum famosa Attilæ
„ cum rei militaris peritia, tum immanis quædam supra om-
„ nem memoriam ingenii atque naturæ ferocia, qui se flagel-
„ lum Dei ac terrorem hominum appellabat, & ad id in mun-
„ dum à Deo missum jactabat, ut tanquam justæ illius vindex
„ iræ terras omni malorum genere permisceret: & crudeli-
„ tatem suam ac libidinem non nisi sanguine ac incendio ter-
„ minabat. Augebant etiam hunc pavorem cœlestia multa
„ quæ nunciata in vulgus erant prodigia haud dubiè solli-
„ citis semper futurarum rerum mentibus triste aliquid por-
„ tendentia. Nam ad cætera ut scribit Marcellinus tres ingen-
„ tes lapides è Cælo decidisse (res raro audita & ægre credita)
„ ferebantur. Suberat præterea singularis rerum ad victum o-
„ portunarum inopia ac fœda ex ea suborta & passim dispersa
„ pestilentia, mala pacatis etiam compositisque rebus asperri-
ma. Hæc ubi enumeravit Sigovius & immediatè subjungit.
„ Ob eas res omnibus ad ipsum Attilæ nomen horrentibus,
„ Venetiæ populi, qui æstuarium maris Adriatici accolebant,
„ quod primam tam immanis ac tetrici hostis impressionem
se ex-

se excepturos videbant, passim patrias suas in continenti si- „
tas relinquere, ac familias cum pretiosa suppellectile trans- „
portare ad insulas, si vis hostilis ingrueret, statuerunt, ea „
spe ducti aut Attilam inopia militum eo non pervasurum, „
aut si copia suppeteret, eas insulas, intento Romam versus „
itinere neglecturum. Dicuntur autem Aquileienses Gradum „
animo destinasse, Concordienses Caprulas, Altinates Tor- „
cellum & Maurianum, Patavini Rivum altum, Opitergini „
Equitium, Atestini & Mensilicenses Palestinam, Metamau- „
cum & Clodiam. Reliqui vero aspera Alpium & Apenni- „
ni juga & sylvas, quibus se ignorantiâ hostium tegerent, „
sibi cogente necessitate depoposcerunt. Eodem libro idem Sigonius. Iam omnia quæ intra Apenninum & Alpes erant „
fuga, populatione, cæde, servitute, incendio & despera- „
tione repleta erant nullaque mali facies aberat, nefaria per „
omnes ordines sexus & ætates Barbarorum avaritiam crude- „
litate ac licentia pervagante. Si & quæ Patavinæ urbis conditio fuerit id temporis investigare lubet, audiamus eundem Sigonium. Aquileja captâ atque deletâ tantum proximæ „
Provinciæ pavoris injectum est, ut urbium ejus potiri haud „
magni postmodum negotij fuerit. Quamobrem Concor- „
diam, Opitergium, Altinum, Patavium & Ateste quæ prope „
tum æstuarium, eximiæ atque inveteratæ nobilitatis oppida „
attingebant, civibus plerisque ad insulas ut dixi properanti- „
bus, primo adventu præsidijs deditis in potestatem cesse- „
runt, captaque ac direpta subjectis facibus diro ac prope ho- „
stibus etiam ingrato spectaculo conflagrarunt. Audiamus & porro quid de primordijs urbis Venetæ dicat idem author. Quare profecto illo (Attila nimirum) populi (inquit „
ille) tanta Barbarorum mole levati, alacres statim omne suum „
ad accepta supellectilis damna resarcienda, & tectorum ja- „
cturam quodammodo recuperandam studium contulerunt, „

" nam qui ad montes insulasve diffugerant, aliove quo dilapsi " formidine fuerant revocati, urbes pristinâ frequentiâ celebrarunt & captivos quos potuerunt vel ingenti pecuniæ " magnitudine redimere deinde conati sunt: In Venetia tamen, Aquileja, Concordia & Altinum licet Episcopis suas " ad Ecclesias administrandas reversis nequaquam, Opitergium, Patavium & Ateste ægre admodum restituta sunt, id " autem (quis tandem occulta Dei consilia provideret) bono " quodam quasi Italiæ fato evenit, etenim hoc pacto Urbs clarissima Venetiarum est condita, difficillimis aliquando temporibus veterem Italiæ dignitatem repræsentatura, ac fortiter sævissimum Aquilonarium hostium impetum exceptura. " Harum namque civitatum primores, qui ad insulas confugerant tam crebris & tam sævis Barbarorum impressionibus " consternati, cum patrias sedes suas crematas agrosque vastatos viderent, domicilia in insulis sibi perpetua statuerunt, ac " communicatis consilijs, non solum rationem inierunt qua " se adversus immanem incursantium hostium libidinem tractanda re maritima tegerent, sed etiam creatis magistratibus, quos Tribunos Cassiodoro teste vocarunt, certam inter " se rempublicam instituerunt, quam usque ad Caroli Magni " tempora tenuerunt, à quo armis petiti ex omnibus insulis " in unam ferme quàm nunc incolunt Rivum altum migrarunt. Quo casu egregiè propereque defuncta civitas, belli " pacisque studijs pro temporum ratione colendis ad eam " opum amplitudinem crevit, ut jam cum potentissimo quoque " Rege æquo marte terra Marique armis confligere non solum " possit, sed etiam ausit. Hactenus Sigonius. Quæ quidem co transcribenda duxi prolixius, quod & ea non leviter firmare videbantur quæ de Statu Italiæ, de locis illis quæ primi conditores Civitatis Venetæ insedere in æstuarijs Hadriatici Maris pro derelicto habitis, sunt à me dicta. Constat utique

utique ex præcitatis, falsum esse quod dicitur, Patavinos Vrbis Venetæ fuisse conditores. Vt ut enim ipsi pars non quotulacumque sed vel & (quod nec ego diffiteri velim) Princeps fuerint eorum quibus urbs illa suam originem ferat acceptam, non tamen hoc ipsis debetur solis, uti neque ab ipsis condita primitus Vrbs, qua Vrbs, id est qua tota constat ex suis partibus. Est quod hic sibi vendicent Concordienses, est quod Altinates, quod Opitergini, Ateſtini, Monsilicenses, cæterique vicini & ipsi accolæ Hadriatici Maris. Apparet & illud non ea mente Patavinos in Rivum altum Dorsumque, cui à soliditate duri cognomen, secessisse, ut in circumjacentes Lacunas jam tum à vicinis parte, neque ea minima, occupatas, Imperium quærerent sibi asſererentve, sed receptus duntaxat caussa, quem & tutum prospicerent, & quod mercaturæ impensius essent addicti propter vicinum Mare navigationi non inidoneum. Hic iterum authorem me meum laudare quispiam si velit, non longe quærendus aberit. Stat pro me Bernardus Scardeo Patavio oriundus, ipse Patavinus dum viveret Sacerdos, quemque, quod hac in causa palmarium, ut liberrimę vocis authorem laudat Anonymus. *Non est*, (inquit ille, de rep. Patavina lib. 1. claſſ. 2.) *Hic honos in postremis annumerandus, quod vere Patavini & magna cum gloriâ dicere possunt, sic Venetis Patricijs esse cognatos sicut & vicinos.* Subjungit post nonnulla. *Expertos Patavinos Barbarorum immanitatem formidanteſque ne ab Alarico Rege longe pejora pati cogerentur, quam superioribus annis ab exercitu Radagasij Regis erant perpessi, qui adjunctis sibi Hunnis & Vandalis Venetorum saltus aggressus multas strages miserabileſque direptiones intulerant, nec contentos unius portus angustijs, cum sibi vellent amplum instar Vrbis locum juxta Mare oportuniorem ad mercandum, & tutiorem ad confugiendum, parare, si quando contingeret à Gothis durius premi, qui paulo ante Romam & reliquas Italiæ Vrbes vastaverant, misisse Con-*

 sules

sules suos ac jecisse in Rivo alto fœlicia in Christi nomine fundamenta, parvis quidem initijs, sed auspicijs fœlicibus. Quamquam ego quoque videre non possum cur credere quispiam velit Patavinos Imperium id temporis aliquod in profugos ex vicinis gentibus sibi nulla aut Iuris aut facti ratione subditis tam adversis temporibus animo designasse, qui modo ipsum Paravium misere incensum à Barbaris, totumque in cineres subsedisse recordatur, idque (uti supra notatum ex Sigonio) non semel modo, ast & pluries. Testatur præallegato loco idem Scardeo postmodū ab ædificatione Rivi alti anno circiter tricesimo plus minus post Attilæ, postque secundum Totilæ regis excidium, Patavinam urbem bis reparatam & tertio ab Agilulpho Longobardorum rege miserabiliter incensam. *Hac* (subjungit ille) *attriti inquietudine bellorum & pertæsi patriæ conspectum tam miserabilem, populariter fere in unam urbem commoraverunt, & ex eo tempore tam populo quam ædificiorum frequentia capit locus ipse Rivi alti & Quintæ vallis, sive Castellum & Dorsum durum & Canale regium & Metamaucum latius ab obtimatibus coli, & ita indies ditionibus ac nobilioribus incolis luculentur impleri.* Addit & insuper, *Verum multi postea perdurante bellorum sævitiâ ex toto agro ad fossam Palæstinam ac Clodiam commigrarunt, simul & multi ex omni ordine allecti securitate loci & commoditate navigandi ac mercandi neglexerunt postea amplius ad pristinos lares & patriam desertam redire, & ita brevi factum est ut illi populi paulatim à Patavinis desciscerent, & Venetorum nomen sortirentur. Patavium interim annos fere ducentos jacuit desolatum quo tempore assiduis bellis per totam Italiam sævientibus, & ob id concurrentibus undique populis ex urbibus & oppidis tam Italiæ quam reliquarum regionum, Rivum altum una cum reliquis insulis, ditionibus, accolis repletum, Venetiæ plurali numero vocari cœptum est.* Quæ sane postrema Scardeonis Rivum altum cum reliquis insulis conjungentis verba satis evincunt, Rivum altum per se non constituisse urbem illam

quam

quam nunc plurali numero Venetias indigetamus, quemadmodum & idem ille textus ad oculum, ac velut digito commonstrat, non Rivum duntaxat altum Patavinos insedisse, sed & in cæteras insulas fuisse dispersos, quas jam ante ipsorum adventum ex vicinis urbibus profugi, suas occupando fecerant. Quin nec credi pronum est Patavinos, ipsi urbi patriæ conservandæ non pares, extrema omnia perpessos, perque gemini decursum sæculi desolatos altiores quam pro virium quas habebant modulo aut ratione temporum spiritus gessisse. Accedit quod & illos, qui in prædictas lacunas concesserint Patavinos desciviisse paulatim à Patavinis & in Venetum nomen coaluisse testetur Scardo, ita ut non magis eos ipsos Patavinos vocare quam Trojâ Duce Anthenore profugos, postquam in oras Euganeas concesserant, conditoque Patavio sedes mansuras fixerant, Trojanum nomen retinuisse aut Trojanos fuisse dictos apud Historicos comperimus. Quapropter ergo notandum est & hoc, quod cum, ut ex præallegatis qua Sigonii, qua Scatdeonis testimoniis colligere est, prima Venetæ urbis origo universitati Patavinæ non eum in modum adscribatur, perinde ac si prædictæ universitatis decreto sua incunabula duntaxat ea deberet, sed nonnullis, quod & res est debeantur illa, ex illa universitate hominibus, idque ut & ante dictum nullo publico auctoramento jussuve universitatis prævio, pariterque nec solis illis, verum & eodem adnitentibus cæteris, quos communis bellorum calamitas sedibus suis extrusos, in paludeis uligineisque prædictas compulerat. Cumque & hoc manifesto comprehendere liceat non nisi successu temporis, ac sævius indies urgente hostili metu, Patavinos Consules, ijs quas & supra libavimus causis impulsos, misisse qui in Rivum altum commigrarent, ibique sedes figerent etiam, rebus ita ferentibus

mansuras. Notandum, inquam, nullum ex isto civium suorum singuli dum essent facto, nec non & illa à Consulibus facta quæ fuerit missione Venetam ejusve incolas S.P.R. Patavino jus quæri potuisse. Aliud de Iure Universitas est, aliud de Universitate singuli. *l. in tantum. §. Universitatis. ff. de Rer. divis.* Unde & hoc tralatitium apud DD. actum ab universitate gestum non censeri, quem non & insimul omnes de universitate fecerint, aut ad minimum major universitatis pars, quæ fere semper Ius integri habet; idque universitate ad id solemniter congregata consilioque communicato: In tantum, uti ad hoc, ut nimirum ipsam Universitatem afficiant tales actus, & sic ab ipsa universitate censeantur gesti, solemnis ista congregatio & in commune habita deliberatio, specifice requirantur arg. *l. metum. §. animadvertendum. ff. Quod metus.* Recte Prudentius:

— In paucis, jam deficiente catervâ,
Nec persona sita est patriæ, neque curia constat.

Ita ut si vel id statuere lubeat, illos de quibus sermo est Patavinos loca maris Hadriatici insedisse non ut aliena aut vacua, sed quæ statim vel ab ipsa occupatione facta Civitatis Patavinæ essent propria, ad eamque spectantia (quod tamen nullus unquam probaverit) & sic nomine universitatis suæ ea possedisse, ut jam missum faciam, in omnem eventum futuram fuisse illam possessionem non nisi privatorum, privatam & ipsam, nihil tamen inde valide inferatur, quantisper non liquet, fecisse id ipsos non ut singulos, verum ut universos, nec non & insuper speciali ad id faciendum universitatis suæ, aut saltem partium universitatis integrantium, mandato instructos. *l. 1. §. finali. ff. de acquir. poss.* Cum & alias de Iure absque tali mandato nulli per liberas personas possessio dominiumve acquiratur. *l. communis servus. ff. de aquir. possessio-*

sessione. At neque de scientia nedum de civitatis Patavinæ mandato vel tantillum apparet. Vnde & manifestum fieri non immerito dixerimus, ipsis neque animum fuisse, ullam dominij in Venetos aut Iurisdictionis possessionem acquirendi, quem tamen ante omnia *ll.* requirunt. *l. 3. in princ. ff. de acquir. poss.* neque unquam præsumunt nisi probetur. *arg. l. in bello. §. facta. ff. de Captiv. & postl. revers.*

Nemo autem ut opinor negaverit summam proposito in casu habendam esse differentiæ rationem, factumne illud singulorum prædicto loco insidentium ad omnes spectarit ut universos, an vero ad omnes etiam singulatim consideratos. Ac posteriore quidem casu de assensu mandatoque majoris saltim partis anxie laborandum non esse, priore vero casu omnino locum esse debere legi finali C. de auth. præstanda; qua docemur id ab omnibus approbari debere quod ad omnes pertinet. His jungantur illa Baldi, docentis ne quidem unius civitatis universitatem sese in plureis posse dividere, atque hinc neque exiticios per se universitatem facere posse, sed (ut ipse eos vocat) intrinsecos, qui territorium retinent & Iurisdictionem possident. *In margarit. in verbo, Vniversitas.* Longe abest ut hoc moveat quod ea quæ à singulis primitus fuerant concepta, ab universitate postmodum interveniente Consulum Patavij facto ratihabita videri possint. Vt ut enim non diffitear reperiri scribentes qui in istiusecemodi successivis actibus ratihabitionem comparent mandato, iis præsertim quos certum sit ipsius universitatis utilitatem respicere; attamen rationi magis consentaneum existimo facturos nos, si statuamus ea quæ in re aut in rem universitatis à singulis fuere facta, ratificari postmodum per universitatem non posse. Quippe si per ejusmodi ratificationem juris aliquid universitati quæreretur, non alio id facto subsistere posset, quam mediante fictione, qua nimi-

nimirum retrotraheretur ipsa ratihabitio mandato æquiparanda, quod & unicum prædictorum scribentium est fundamentum. Constat vero duas pluresve ex eodem fonte promanare, inque eadem causa fictiones locum habere non posse; fingendum autem esset quod insulani illi, de quibus loquimur, etiamsi eo ipso quod aliis in oris fortunarum suarum sedem collocando pars esse desierant ejus, ad quam ante spectarant Universitatis, nihilo secius tamen ex quo in prædictas lacunas se contulere, nullo Universitatis suæ jussu, sibique eas sedes delegere, pars illius à qua discesserant universitatis remanserint. Quin & fingendum nobis esset in animo fuisse prædictæ Universitati ut per illos Ius Iurisdictionemque in infessa occupataque ipsis loca sibi quæreret, non secus ac si omne id jussu ipsius factum foret. Fingendum esset item singulos illos eo animo possessionem adeptos, ut eam & universitati à qua exierant nancisserentur, atque ut ut animum suum hac in re non declarassent, fuisse tamen animo alieno, non suo, possessionem universitati quæsitam. Fingendum denique etsi revera singuli illi cives possessionem essent adepti eorum, quæ occuparant, attamen istiusmodi possessionem non aliter accipi posse, quam si eodem illo momento, quo ipsi possessionem istam apprehenderint, universitas quoque eandem in solidum sibi possessionem acquisivisset, & sic uno eodemque tempore occupati à singulis dominij, & enatæ è dominio Iurisdictionis in solidum possessores fuisse, cum singulos illos de Universitate, tum & Universitatem ipsam. His accedit quod semper in fictionibus, per quas ab uno ad alium quid transfertur Iuris, extrema duo habilia concurrere sit necesse, nimirum extremum à quo, & extremum ad quem, quorum prius revera ita sese rem habere desiderat, posterius cum veritate requirit & possibilitatem: quo tantundem in casu ficto operetur fictio,

fictio, quantum veritas in casu vero. At vero singulos illos si considerare velimus ut eos considerat Anonymus, id est ut cives Patavinos, & Civitatis suæ partem, jam tum primo falsum erit, eos qua tales Imperium Iurisdictionemve sibi quærere potuisse, & in superiores suos, id est S. P. Q. Patavinum conferre. At cum jam ante dictum sit per Liberas personas alteri sine mandato, possessionem dominiumve haud acquiri, ut ut dare vel invita veritate voluerimus, singulos illos occupando insidendoque cum dominio Iurisdictionem sibi comparasse, ejusque in possessione fuisse, manebit tamen totius Vniversitatis intuitu impossibile, ut in eodem genere possessionis modoque ipsa cum singulis illis in solidum ex æquo concurrat universitas. Ita ut retroquæsita per istiusmodi ratihabitionem possessio, ne quidem per fictionem de jure possit introduci: sed nec multis agam in re per se manifesta. Singuli illi si, quod Anonymus vult, subditi civeisque fuere Patavini, jam nec Iuris ratio patietur ut in eadem potestatis qualitate ipsi alios in potestate haberent sua, quimet ipsi supra se aliquod agnoverint imperium. Facit huc quod est in regula, eum qui possidetur non videri possidere *l.* 118. *de Reg. Iur.* Item nec vero domino nec sibi acquirere eum, qui ab alio possidetur *l.* 1. §. 1. *de acq. poss.* quibus geminum est quod est in *l. sic evenit ff. ad Leg. Iul. de adult.* Vbi simili ratione Papinianus negat filium familias posse liberos in potestate habere, cum ipse adhuc sub potestate sit, ac proinde non posse adulterum cum filia deprehensum occidere: verba sunt textus, *in sua enim potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis.* Perinde nec Iuris patiatur ratio Patavinos illos qua singulos, qua universos qui sparsim in Lacunas dicti maris junctimve in unum profugi locum consedere, inque Venetum nomen coaluere pro Patavinis à quibus eos descivisse annalium nos docuit fides haberi

beri censerive; exemplo nimirum navis, quæ dissolutis tabulis ea mente, ut in alium usum tabulæ converterentur, licet postea mutato consilio ex eisdem tabulis compacta, alia tamen navis esse creditur. *l.* 10. §. 7. Quemadm. ususf. amit. Exemplo item & hominis manumissi quem ICtus. Paulus *in. l.* 98. *ff. de solutionibus*, itidem navi comparat.

CAPVT. IX.

Nec Patavini imperio Romano, nec Veneti Patavinis subditi fuere Italiæ loca quo pacto fœderata fuerint, aut subdita Romanis. Variæ fœderum formæ. Patavini amici populi Romani. Quæ Præfectura apud Romanos. Argumentum Anonymi à missis primitus Patavio ad Venetos consulibus discussum. Missio non est imperii argumentum. Patavinis extra territorium æque liberis jus dicere non licuisse. Consules à Patavinis missi vi jurisdictionis prorogatæ: Patavini consules biennio tantum aut triennio Venetis præfuere. Adversari sibi ipsi Anonymum ostenditur. Certamen Venetorum cum Patavinis de finibus. Consulis dignitas quæ tunc & olim fuerit.

Reliquum est ut despiciamus ecquâ veritate nitatur, quod Anonymus vult Patavinos Imperio Romano fuisse subditos, Venetos Patavinis. Mirum quod ad hoc, quod de Patavinis effatur, versari sese in notorio crediderit nec ullius omnino probationis indigere, adeo ne gry quidem

dem quo id quod Lectori persuasum velit, comprobet, adfert in medium. Mihi hic actum agere non lubet: repetat qui volet dissertationi quæ præmisi de præsumenda libertate, deque probanda ab allegante quæ libertatem aut libet aut tollat, subjectione. Nego iterim subditos Populi Romani fuisse Patavinos, aut & unquam P. R. Imperium sive vi sive jure coactos agnoscere. Constat utique omnia Italiæ loca aut fœdere aut sponsione, pactionibusve in amicitiam P. R. convenisse, aut pro colonijs, municipiis aut præfecturis habita. Fœderum variæ erant formæ, diversa & genera, è quibus solum quod dicebatur æquale fœdus, inter eos qui nunquam inimicitias inter sese exercuerant constabat, intacta utrimque ac inviolata libertate, atque amicitia ex æquo contracta, ac æquis Legibus, unde omni imperio subjectioneque remotis, nullaque Lege data aut accepta, nihil erat quod istiusmodi fœderatos utrimque devinctos attineret, quam quod eosdem amicos haberent, eosdem inimicos, & ex eo pace belloque ad auxilia reciproca exurgens necessitas. Hac ratione amicos P. R. Patavinos fuisse videre est apud Ciceronem in *Philippicis*, ubi de Patavinis attestatur *illos exclusisse alios, ejecisse alios ab Antonio missos, pecunia militibus, ac quod maxime deerat, armis duces nostros.* (Romanos scilicet) *adjuvisse Cic. phil.* 12. Alia fœderum genera libertati obstabant, quamvis non ex æquo, sed pro re nata plus minusve, nempe cum aut victis dicerentur leges, aut ex partis utriusque commodo componerentur controversa. Alterutrum istiusmodi fœderum Patavinos Romanis junxisse nemo est qui tradat. Coloniam. P. R. Patavium deductam nullus item est qui asserat, uti & nemo Patavinos agrorum parte fuisse mulctatos est qui dicat, aut receptos, cum jam ante jure suo uterentur, in societatem munerum P. R. honorumque, ut ex eo municipiis accenseri potuerint; Multo

etiamnum minus hactenus invenire potui adnumeratum fuisse Patavium præfecturis, quarum ea (quemadmodum de Capuâ, quæ P. R. præfectura erat lib. 36. testatur Livius) conditio, ut frequentarentur modo habitarenturque tanquam urbes, nullo interim civitatis corpore, nullo senatu, plebis consilio senatuque itidem nullis, verum inhabili ad consensum multitudine, nullius quippe rei inter sese socia agerent sine consilio, sine Imperio, datoque duntaxat quotannis Roma qui Ius redderet præfecto. Quæ quisquis considerare volet non male à me judicabit ut reor negari Patavinos P. R. subditos fuisse, & contra tam evidentia veræ Libertatis argumenta justas ab eo qui contrarium tueri in animum inducet mecum requiret probationes. Et sic quidem confutata priore argumenti ab Anonymo allati parte; accedo ad alteram, qua Patavinis in Venetos summum id temporis imperii jus competiisse monstrare studet; quamquam & non accedo, neque enim omnino quippiam ab Anonymo adducitur quo id quod asserit probet: Ea sane jam ante satis confutata existimo, quæ de Dominio Patavinorum ex insessione, inhabitatione ac frequentatione dictarum lacunarum exurgente, scrupulose conquirit. nulla nobis de Dominio quæstio est, est de Imperio, quod à proprietate Dominioque esse separatissimum, nemo est qui nesciat: Facit huc tritum illud. Quæ reges Imperio cuncta teneant ea singulos Dominio complecti. Quamquam & jam ante ostensum est, nec ultra extendi posse Dominium quam quoad usque locum hunc aut illum occupando, insidendo detinendoque suum quisque fecerit, eaque & in parte nec potiores esse potuisse eorum qui Patavio excesserant partes, quam cæterorum qui ex circumjacentibus oppidis in ea loca confluxerant. Vnicum ab Anonymo duntaxat adfertur, quo Patavinis nonnulla superioritatis prærogativa

rogativa videri queat competiisse, nempe quod Consules Patavio in æstuaria illa dicantur missi consulari potestate, item accepta potestate condendi juris, atque pro arbitrio statuendi, quidquid conducere novæ civitati atque è repub. fore putarent. Qua in re sane virulentiam proposito in Anonymo manifesto deprehendere mihi videor. Dicam cum scriptore Patavino, *Vrbes ut cætera ex infimo nasci, deinde quas sua virtus ac Dij juvent magnas opes magnumque nomen sibi facere*. Certe non magis mirum petitos Patavio Consules primos, quam Curetibus Numam Pompilium, qui Romulo succederet: nec tamen inde Curetibus quispiam Romæ nascentis incunabula subjecerit, quod eorum ex districtu ille *sit missus in Imperium magnum*. At inquies, nulla hic petitio, verum missio, superioritatis non leve argumentum. Imo vero levissimum, nam id ipsum & de Numa dictum; quem tamen quæsitum, juxta illud,

Quæritur interea quis tantæ pondera molis
Sustineat, &c.

petitumque constat, nec non ex mox allegatis Poëtæ verbis *missum*. Si locum effatis Anonymi esse volumus, opus erit ut ipsa per se missio jus Imperii subjectionemve inferat, quod verum non est, quid enim si mittant ii penes quos Ius summæ potestatis non sit? quid si & ad eos qui sui Iuris sint alienique expertes Imperii? Requirit ergo & istiusmodi missio duo extrema habilia, in quibus consistat, nostro nẽpe casu, ut Patavini cum effectu mittere potuerint, Veneti missos debuerint admittere. Sed si Anonymo credimus, erant Romano imperio subditi Patavini, qualis ergo subditorum illa missio? utique aut nulla, aut ridicula. Vnde si verum esset id, quod ille credi velit, jam non modo non potuissent Patavini in absolutæ potestatis, quam ha-

bere non poterant, argumentum, consules suos Venetias mittere, sed nec potuissent istiusmodi sibi consules Veneti deposcere. Neque enim privatorum (quales ille Patavinorum intuitu Venetos describit) consensus possit tribuere aliquam jurisdictionem illis qui nullam habent, *l. 3. C. de Iurisd.* Sed nec illa quoque quam Patavinis competere asserimus libertas, ac summum in se suosq. Ius, extra territorium Ius dicendi facultatem largitur, nedum in æque liberos. Iurisdictiones confundi turbarive justum non foret. *l. a. divo Pio. ff. de re Iudic. l. cum unus. §. is qui possidere. ff de reb. auth. Iud. possidendis*; Atque hoc est quod Iura clamant, prætorem quidem in prætorem, vel consulem in consulem nullum jus habere. *l. ille à quo. §. tempestivum. ff. ad S.C. Trebell.* Subjungit ibidem immediate textus, *sed si Iurisdictioni sese subjiciant solet prætor in eos jus dicere.* Cui consonat quod & dicitur in *l. 14. ff. de Iurisd. esse receptum, eoque nos Iure uti, ut si quis major aut æqualis subjiciat sese Iurisdictioni alterius, possit ei & adversus eum jus dici*, ex quibus etiamnum textibus adversus objectionem Anonymi responsio est & manifesta & facilis, Consules nimirum à Patavinis missos fuisse vi Iurisdictionis prorogatæ, ac nec suo sed alieno beneficio Iurisdictionem habuisse: secus statuere si lubeat, non modo absurdum evitare non dabitur, sed & ipsa rei nos confundet evidentia. Quantulum enim id est spacij quod vel Anonymus, Consulibus Patavinis adscribat! Certe biennij aut triennij ad summum, haud longius. Atqui non pænitendis indies incrementis nova Vrbs assurgebat, neque vero quicquam similius quam Patavinos, si quid apud ipsos in urbem Venetam Iuris supremi potestatisve residisset, afflicto, exusto, perditoque Patavio, retenturos fuisse mordicus id fastigij ad quod vel volentibus ita Venetis, ac manu quasi ducentibus sese videbant evectos. Non jam dicam laborare hic (ut fere semper in originibus urbis fieri assolet

solet) annalium fidem, quamquam & id compluribus iisque fide dignissimis rerum Venetarum scriptoribus notatum, Non jam repetam quod supra ex Scardeone retuli, abunde sibi gratulari Patavinos, quod sese Venetis ut vicinos sic & cognatos depredicent, neque enim phalerata ista moror, veruntamen si verum amamus quo pacto conciliari poterit quod eodem ipso contextu, quo subjectos Patavinis Venetos Anonymus fingit, illorum inter sese certaminis meminit non de summa Imperij (neque enim id vel per somnium sibi arrogare voluisse, ex ijs quæ allegat colligere est) verum de finibus, id est, super quantilla eorum, quæ sese occupando sibi quæsiisse affirment portione: Erit tamen super hoc dicendi conveniens mox locus cui ista reservo. Suffecerit quod quemadmodum illa (ita loqui liceat) missio, nec subjectionem arguit à parte Venetorum, aut Imperium ab altera, ita nec eorum qui missi fuerint qualitas. Consulis siquidem dignitas si sæculum respicimus, imo vel jam tum ab V. C. absolutè summa non fuit, quos sane & Romæ prætores modo à præeundo, cum nondum prætores à Consulibus essent distincti, modo Iudices à judicando, ac tandem consules dictos constat à consulendo, sive quod ipsi aliis consulerent, quo spectat illud Accii,

Qui recte consulit consul cluat.

Sive quod ab aliis (cujus vestigium est in *l.* 14. *ff. de reb. creditis*) adiri consulendi gratia solerent, quemadmodum & ipsos Græci Συμβόλους ac πρόβουλους vocant. Anni spacio terminata dignitas, nulla in civis Romani caput absque populi jussu permissa animadversio, ab eis ad populum provocatio, satis evincunt id quod dicimus, facitque hic mecum qui id esse extra omnem dubitationis aleam constitutum fatetur, Anonymus. Ea porro ipsa quæ allegat, de misso Venetias ad con-

ad condenda statuta Doctore, argumento esse possint, voluisse Venetos civitatem suam ad mores statutaque urbis Patavinæ componere, Patavinos Venetorum velificari ac satisfacere voluisse desideriis, nulla tamen Patavinis in Venetos imperium tribuit, nisi & dicere velimus, quod ridiculum foret, eò quod Laconum instituta Sabinis communicata fuerint. Sabini ea Romam, cum aut sub Numa Pompilio intulerint: quodque teste Athenæo lib. 6. Romani diligentius quam ipsi Lacones politiam conservarint Laconicam, ideo subditos Lacedemoniis fuisse Romanos aut etiam Ephesiis, eo quod Hermodorus Ephesius Romæ legem XII tabularum, si Pomponio nostro credimus, auctor fuerit, aut ut mavult Plinius earum quas Decemviri ferebant legum, extiterit interpres.

CAPUT. X.

Post Consules Tribuni Rempub. Venetam tenuere. Illi à Patavinis neutiquam creati. Præcipuum Libertatis insigne eos rectores creare, quos velis. Creatio Tribunorum quando instituta. Ab imperatoribus illi non creati. Epistola Cassiodori in eam rem excussa. Provinciæ quæ sint. Urbs Veneta Provincia non fuit. Tribuni ab Insulanis creati. Eorum imperium limitatum. Frivolæ circa hac Anonymi conjecturæ. Post tribunos Duces, post Duces magistri militum suffecti. Contradicit sibi Anonymus dum Venetos etiam sub potestate Græcorum fuisse asserit.

Et sic

ET sic quidem iis, quę originariæ Venetorum Libertati ab Anonymo obiici potuerunt, confutatis, accedamus ad ea, quibus deinceps id quod intendit adstruere conatur; nimirum quo tempore Gothi in Italia rerum domini fuere, absque ulla temporis intercapedine vixisse continuo Venetos Imperatori Romano subditos, nec non & Odoacri qui sese princeps Italiæ regem dixit, iisque porro qui exinde Odoacrem sequuti sunt Gothorum regibus.

Primum quod adfert, ex creatione Tribunorum deducit, aitque antiquata consulari dignitate urbi Tribunos præfuisse, eos ipsos vero ab Imperatore creari solitos. Id ex Cassiodoro manifesto liquere: quod & firmet in sua Italiæ descriptione Albertus Leander, qui Consulum Tribunorumque temporibus urbem Venetam usquedum imperio Romano paruisse dicat. Consulibus Tribunos successisse fateor; sed jam hic expediat mihi Anonymus velim, quid causæ fuerit Consules abrogandi in eorumque locum Tribunos sufficiendi, quique & fuerint illi qui Tribunos crearint Venetine an Patavini? Si Venetos dicit, rogare lubet quo pacto id sufferre potuerint Patavini, quibus ille subditos fuisse Venetos nugatur, quo id animo tulerint Consules qui jam tricesimum & quod excurrebat annum urbi cum imperio præerant? sin Patavinos inquit, quin adducit ergo pro Patavinis suis insigne continuatæ jurisdictionis, possessionisque argumentum? Videt nimirum Anonymus veritatem ab adversis stare partibus. Cumque nec ipsum fugiat comprimis eximium id esse libertatis indicium quod sibimet ipsis, suaque sponte, ac pro liberrimo prorsus animi motu, quos vellent, eaque qua vellent dignitate præficere Veneti potuerint; ut & de facto præfecere, aspergendus hic fuit nigræ lolliginis succus, & arcessendus ex machina velut imperator Tribunitiæ (si diis placet) potestatis auctor

 ac Tri-

ac Tribunorum creator. Verum & hoc, ut demonstrabo statim, & perperam juxta & falso. Creatio Tribunorum incidit in annum imperii Theodosij junioris, qui Honorij erat nepos, novissimum; anno nimirum à nato Christo supra quadringentesimum tertio & quinquagesimo, neque est quispiam scriptorum qui recordetur ullos omnino à Theodosio Tribunos ceratos, imo neq; allegat Anonymus quempiam qui tale quippiam affirmat, non à Theodosio modo sed ab ullo prorsus imperatorum fuisse factum. Cassiodori quem aducit locus pro ipso plane nihil facit, quæ enim ab illo citatur epistola, ut jam non dicam esse eam sine die ac consule, utque & consulto prætercam totis quadraginta annis ab excessu junioris Theodosij, & sic à prima Tribunorum ceratione scripsisse Cassiodorum, ea sane Venetos non tangit, uti ex inscriptione manifesto vel ad primum obtutum colligere est. Semper ubi sua ad Venetos Cassiodorus dirigit, Venetorum nomen exprimit, ut videmus ex inscriptionibus quartæ, septimæ, ac vicesimæ sextæ, Libri 12. Variarum ipsius, Ast vero non modo hic nihil tale, sed nec adfine quippiam, qualis esse possit illa, de qua mox ejusdem Cassiodori inscriptio *Tribunis maritimorum*, imo potius plane contrarium; habet enim illa, epistola pro epigraphe FORMVLA TRIBVNATVS PROVINCIARVM ET DE TRIBVNO PROVINCIAE. Nemo est qui nesciat provincias quasi procul victas non alio significatu apud Historicos autoresque linguæ Latinæ solitas accipi, quam pro regione, quam armis devictam aut quovis modo in potestatem adductam ipse magistratui suo P.R. administrandam subjecerat, aut pro regione in qua ipse Imperator jussu P. R. bellum administrarat. At neque Venetam urbem pro provincia haberi ipse Anonymus velit qui ex *l. 9. ff. de Iudiciis* eam esse Insulam Italiæ asseruit, insulasque

que Italiæ partem esse Italiæ; quæque & ipsa, ex quo nunquam à Romanis bello superata est, longe abest ut procul victa dicatur. Demus ergo id quod Cassiodorus ait verum esse, atque in Tribunis Provincialibus locum habere, eos nimirum ab Imperatore debuisse designari, non extendet id sese tamen ad illos de quibus hæc nostra disceptatio instituta est, Venetos, in quos nihil Imperatori juris fuisse pro comperto est. Ex adverso item pro comperto est traduntque Venetarum rerum scriptores ad unum omnes, creatos primitus fuisse ab insulanis Tribunos, idque ex singulis singulos, quas & sexaginta numero fuisse antequam in unum urbis Venetæ corpus coagmentarentur coalescerentque iidem affirmant, neque id collegialiter, aut communi omnium insularum concilio, tanquam ab universis; sed separatim, ac (si ita dicere liceat) tributim. Tribunorum imperium limitatum fuisse, ac omnium Insulanorum conventus obnoxium sententiæ, vereque populare, cum ipsa probet electio, cum ad modum, ut jam dictum est, instituta, tum quod ex annalium Venetorum scriptoribus, nec non & iis qui privatim de Repub. Veneta sunt commentati, notare licet, multotiens Tribunos si quando negotii id exposceret amplitudo in viciniorem continenti insulam Heracleam puta aut Gradum, cæteros insulanos convocasse, ibique quæ in rem præsentem essent proposita decretaque, liberri ma omnium insulanorum ad reddẽdum suffragium potestate ita ut revera non aliud esset Tribunorum officium, quam ut Insulanis quisque suis jus dicerent, & de summa rei in medium consulerent. Accedit quod & nomen Tribuni, sive id cum Varrone à tribu, sive cum Isidoro ab eo quod jura populo plebique tribuerent deducimus, satis arguat magistratum istum fuisse omnino popularem. Contra tam manifestam scriptorum authoritatem, plane frivolas Anonymi conjecturas

ćturas nemo ſanæ mentis ut opinor admiſerit. Ego ſane quantiſper his diverſa non commonſtrantur probanturque, ut credam adduci non poſſum Tribunitiam apud Venetos poteſtatem à deſignatione, collatione aut creatione Imperatorum ortum habere; neque verum ſi amamus ſimile vero cuiquam fiat, ſexaginta quotannis ab Imperatore Tribunos fuiſſe creatos, eo præſertim Italiæ ſtatu. Id enim ſi re vera ita factum, non potuit non & indeſinenter & abſque intercalatione ad imperium ſpectare iſtiuſmodi tribunorum creatio, quin etiam ſi vel & hoc (cujus nobis nulla neceſſitas) Anonymo concedere lubeat, creandi Tribunos poteſtatem populo ſubinde ab Imperatoribus factam, lectoſque à populo Tribunos, non niſi auſpiciis imperatoriis fuiſſe creatos; non potuiſſet tamen ulla ratione ullove pacto licita populo fuiſſe tribunitiæ poteſtatis abrogatio. Conſtat vero ex annalibus, antiquatis Tribunis duceis à populo cœptos legi, cumque nec duces placerent, eorum in locum ſuffectos Magiſtros militum, eos ipſos poſtmodum cum Ducibus populum mutaſſe certum eſt, ac cum ne ſic quidem ſatis compoſitæ res viderentur, tradunt annales Dominico Monegario duce eundem populum binos pari cum Duce poteſtate creaſſe Tribunos, nullo quaquaverſum intercedente Imperatoris aut facto aut juſſu, nedum coactis ad hujuſmodi ab Imperatore magiſtratus accipiendos inſulanis.

Teſtimonium quod pro ſeſe adducit Anonymus, quo Tribunorum temporibus Imperatori Venetos paruiſſe tradit Leander Albertus, id vero tale non eſt ut quempiam moveat. Sat recens ille eſt author & qui in rebus tam antiquis nullum ante ſe authorem laudet, quod & neque facere eum poſſe magno ſit argumento, quod nec ab Anonymo, qui magnam id ipſum probando ſententiæ ſuæ lucem fœneraturus eſſet, id factum hactenus. Sed neque & hoc pro vero quis

temere

temere credat, solum Leandrum ea à quopiam hausisse aut adnotasse, quæ nulli ante ipsum scriptori fuere cognita nedum credita, altoque omnium silentio, næ multum facilis sit, qui ejus solius authoritatem pro oraculo, aut Sybillæ folio amplectatur. Taceò quod cum hactenus nullum ab Anonymo probatum sit impedimentum, quo minus vel ab V. C. solida Venetos Libertate gavisos memorare liceat, aut id in antecessum probari debuisse, aut eo non probato pro deridiculo habenda, qualiacumque sint illa scriptorum commenta, quibus hoc cum Minerva commune, quod authoris sui cerebro nataleis debeant. Sed tamen quandoquidem nec simplici subjectionis demonstratione contentus Anonymus, Vicariæ quoque notam, Venetis inurere satagit, quando ad hæc ille in eo totus est ut Imperatori placeat, quid eum impellat, equidem non assequor, cur, idque nec uno loco, Venetos *sub potestate Græcorum imperii fuisse* statuat ex Sansovini fragmento, ex Blondo, *illos Græco parentes imperio* describat, perinde ac si non videret ea frontibus obversis inter se pugnare, alterutrum necessario falsitatis argui? Est nimirum ipsa per se subjectio individuum quid: pluribusque unum idemque ex asse subjici, ut est impossibile, sicubi plures illi diversam inter sese caussam habēt titulumque, ita & pro parte in plures distringi dominos, ab accidenti est, deque raro contingentibus. Notum illud,

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

CAPVT XI.

Argumenta Anonymi ab Historicis nonnullis & Panegyristis desumpta non magni momenti. Ex iis, quæ ad pompam dicuntur, certa argumenta non deducuntur.

tur. Valentinianus Venetorum Dominus non fuit. Differunt omne & totum. Locus Pauli Diaconi excussus. Verba quomodo accipienda. Sub ditionem aliquam recipi nulli debent, qui sub eâ nunquam fuere. Romani Imperatores totius orbis Domini non fuere. Id ipsum de se Iustinianus testatur. Argumenta in contrarium adducta discutiuntur. Quod de Imperatore, idem de subditis verum. I. C. de jure, non de facto debent respondere.

ILlud porro magni ponderis argumentum non est, quod è nonnullis historicorum locis generaliter atque indefinite loquentibus Anonymus deducit, cujus generis sunt illa Diaconi, *Valentinianus consensu totius Italiæ imperator efficitur,* item illa Iornandis, *Interim Odoacer rex gentium omni Italia subjugatâ &c.* quæque his similia è panegyricis desumpta, non sine fastu jactat. Velit quidem ille ex generali vocum locutione persuasum, Imperatores per totam Italiam intentionem habuisse fundatam, quemadmodum & complures hoc tempore Germani I. C^ti^. eam ex quo mundi Dominus imperator dicitur per universum terrarum orbem fundatam statuunt, sed male: certum siquidem comprimis illud est, ipsam rerum veritatem hac illave unius aut alterius historici enunciatione non immutari. Multo etiamnum minus panegyricorum scriptoribus hac in parte tribuendum. Sunt ut plurimum ampullata ipsorum verba, quibus cum nihil potius habeant, quam ut effuse placeant, mirum non est ea fere semper inaniloquio (sequius ne quid dicam) quam veritati magis esse vicina. Recte Cevalles *com. cont. com. tomo 4. q. 906. n. 24.* ex ijs, quæ ad pompam modo, & ampliandæ dignitatis gratiâ dicuntur, certas demonstrationes arcessi haud

haud debere monet. Sunt nempe voces istæ indefinitæ synechdochicæ, quo pacto & partem pro toto, & è converso totum usurpamus pro parte. Ita & *Cretam* Minos apud Poëtam *orbem suum* vocavit. *Orbem Romanum* dixit & *Antoninus*, *l.* 17. *ff. de stat. homin.* Illud præterea in omni vita observatum, ut verba quantumcumque præcisa limitationem & interpretationem congruam recipiant. Quod si & mihi verborũ hîc insistere proprietati luberet, dicere possem, illud quod de Valentiniano adfertur, eum totius Italiæ dominum factum, de Venetis accipi non posse: differunt siquidem inter sese omne & totum. Cumque totum sit illud quod unum est & continuum, Quemadmodum & Festo in verbo *cuncti*, omnes etiam cuncti dicuntur sed conjunctim, possem & simul probationem ab Anonymo requirere, quæ planum lectori faciat, Diaconum cum de tota id est continenti Italia mentionem facit, & ad ea sese extendere quæ à continente sint divulsa. Perinde cum & universalis illa locutio Omnis, dicatur de pluribus quæ numero discreta separataque sunt, non item & de ijs quæ specie differunt, ut notat Bald. in *c. quanto. col. ult. de Iudicijs*, aliamque longe Reipublicæ speciem constituerint illæ regiones, quę P. R. agnoscebant imperium, aliam gentes quæ illius in ditionem nunquam concesserant, quid vetet Venetorum cumprimis intuitu, quos liberos asserimus, & hoc quod ab Odoacre omnem Italiam subjugatam dicit ad illas urbes regionesq; restringere, quæ ante Barbarorũ in Italiam adventũ fuerant P. R? sed non ea mihi mens. Teneo memoriâ, civiliter intelligenda verba esse, non cavillanda aut captanda; esse quæ in generali sermone tacite excipiantur, ut habet text. *in l. si cui simplicius. ff. de serv.* Etiamsi omne qui dicit, nihil excipere videatur, recipit tamen id interpretationem suam, *l. sed si compromissum in fin. ff. de arbitris.* Docet ipsa æquitas, & communis ratio non tantum verba

verba generalia contrahi & ambigua commode explicari, sed & à proprietate usuque recepto verborum recedi nonnihil ut sensus evitetur incommodus alienusque, unde generaliter quoque ab omnibus, qui de Verborum scripserunt interpretationibus, observatum, verba omnis, nihil, quælibet, atque alias hujusmodi voces universales in jure restringi ad æquitatis normam. Illam autem hanc esse statuunt omnes, ut disertim Iason. *in l. 1. ff. de Legat. 1. n. 22.* ubi hæc latissime prosequitur 1°. ne ex generali enuntiato sequatur absurdum : ac 2°. ne damnum adferatur tertio. Quid vero absurdum æque quam eos in ditionem receptos velle, qui sub illa ditione fuerant nunquam, aut armis subactos, qui uti id ne fieret in ea se penetrarunt loca, ad quæ armatis aditum loci natura præcluserat? Quid vero juri tertii noxium æquè, quam indiscreta verborum istiusmodi interpretatione Venetorum cum Libertati illudere, quam post inexhaustam numinis benignitatem prudentiæ suæ juxta & constantiæ ducentis jam supra mille annis acceptam ferunt?

Et poterant quidem prædicta sufficere, ad illas, quas toties reciprocat Anonymus, hyperbolicas synechdochas, nisi insuper quoque ille vel in frontispicio tractatus sui declarasset, velle se illam, quam sibi in Venetos hodieque imperium Romano Germanicum arrogat, jurisdictionem potestatemque adstruere; quod cum & quos mox nominavimus ICti. Germani ingenui cæteroquin pro more gentis, candidique, ex universalis dominii capite arcessant, cujus illi vi ac potestate quasi syderati, nihil esse quod non de jure teneatur imperatorem supra sese agnoscere mordicus tenent; pedem hic paulisper figam, & Lectorem meum contentus remisisse ad libros de Repub. Iohannis Bodini, qui vel Trajani temporibus, queis latissime Romanum patuit imperium, vixdum id tricesimam orbis terrarum partem com-

complecti potuisse notat; multisque ab omni historia petitis exemplis probat. dicam obiter, ipsam rerum evidentiam contrarium evincere, nec videre me quid de Boccho dicendum sit, quem *neque bello neque pace cognitum Romanis* Salustius ait; gentibusque similibus. Certum, quod neque Syrorum, nec Persarum, nec Græcorum, nec Romanorum unquam ullus Monarcha universum terrarum orbem obtinuit. *Igneus in l. necessarios. §. non alius. ff. ad S. C. Syllanian.* Addamus & Medos, quando id inter cætera Lyricorum principi votivum videmus, ut vincere

Thriumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.

Idem alibi, Sabeæ regeis non ante devictos indigetat. Illa Petronij Arbitri,

Orbem jam totum victor Romanus habebat
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque
Nec satiatus erat &c.

ut nihil amplius, poetica sunt. Modestius alter, magisque concinnè,

Roma caput mundi quidquid non possidet armis
Relligione tenet, sic se Roma inclyta jactat.

Et ante illum Tullius, *Quo non arma nostra pervenerunt vel terror armorum pervenit Orat. pro Planco.* Sicubi de orbe ll. loquuntur, certum est eas de orbe Romano cum Imperatore Antonino loqui, ut modo notavimus, id est de ea parte, quæ populo Romano subdita erat. Ita & Tacitus fatetur Germanos *triumphatos magis quam victos.* Seneca quoque

Germanos & quicquid circa Istrum vagarum gentium occursat, *genteis* vocat *in quibus Romana pax desinit.* Ille quidem minus recte, si quid è Straboni *libro.* 7. credimus Augustus flumen Albin transire noluit, & illic quietas gentes turbare, ne lacessitæ obsequium exuerent, & vicinas nationes traherent ad res novas. Vnde inferre liceat, haud desiisse pacem, quæ fortean ne cœperat quidem. Cæterum, dubium non est, quin revera gentes istæ, quas Seneca designat, ac ut vagas traducit, extra Romanum imperium fuerint constitutæ sic ut eo ipso quod pars imperii haud essent P.R. pax dicenda sit in illis desiisse, nec male, non absimilem admodum de Roma Claudianus *lib. de laudibus Stilic.*

Hæc est in gremium victos quæ sola recepit
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris non Dominæ ritu, civeisque vocavit
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Consonat quod de Cheruscis Tacitus, *eos nimiam ac marcescentem pacem, diu illacessitos nutrivisse* commemorat. Quin & fœderum cum Germanis idem Claudianus de 4. consulatu Honorii meminit. Ait ipse,

Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.

Augustum interim hic mihi si quis objiciat, jam senem timidumque, & incertum metu an per invidiam agitantem consilia imperii intra terminos coercendi, eo quod judicaret jactantis esse ingenii (verba sunt Aurelii victoris in Augusto) & levissimi, ardore triumphandi, & ob lauream coronam id est folia, infructuosa, in discrimen per incertos eventus certami-

...minum securitatem civium praecipitare, Reponam etiam Trajanum regendi jam veterē recoctumque, prudenter judicasse, nimia dum ambiuntur, universa multotiens intercipi. Extat ejus apud Dionem quaerela. Ægre posse se eas gentes quas devicisset, in fide & officio continere aut à vi & injuria defendere. Verum ut exemplis agamus in dubiis, evincit assertionis nostrae veritatem Iustinianus imperator noster, Ipse ergo ille, cui tamen positam statuam auream malum aureum in universalis Dominii signum historici testantur, priscorum exemplo imperatorum Alemannicum, Gothicum Francicum Germanicum &c. sese dicit non tamen universi orbis Dominum. Cui vero non videretur ridiculum plane, siquidem ille totius orbis extitisset Dominus, titulos eum dominationum suarum voluisse contractos, ac paucos illos numero, exiguaeque, ad universum instituta comparatione, magnitudinis, enumerare singulatim maluisse, quam universali sibi quod competeret enunciato, omnium titulos unus habere, omnium solus possidere jura? Quid vero quod ne eo quidem ipso tempore Iustinianus, quo se Alemanicum Gothicumque &c. dixit, Alamanorum erat Gothorumve Dominus. Nec est quod quispiam hic me aliena à veri fide proferre suspicetur. Ipsius hujus tam manifestae usurpationis etiamnum hodieque varii varias assignant causas, Hi quod leges composuerit omnibus ex aequo populis tanquam sibi subditis servandas, quasi legum Romanorum Dominus, juris aequitatisque rector. Quam opinionem merito explodit suis ad ἀνέκδο. Procopiana notis Gabriel Thrivorius. Illi quod spes ipsum teneret firma, recuperaturum sese quandoque ea, quae ab Imperio Romano vis Barbarorum gentium distinebat avulsa. Alii denique quod non insolita dominandi spe totius orbis affectaret imperium: quam ego conjecturam

ram eidem Thrivorio probari demiror sane, cum met i... fateatur Iustinianum cessisse Francis ea cuncta, quæ Gothis à se devictis sua fecerant belli jure. At quomodo cessisse? nempe abdicato omni quantum in se erat Romani imperii jure. Ita de hoc facto Procopius *lib.* 3. *belli* Gothici. *Omnibus Galliæ provinciis suæ ditioni subditis initio hujus belli Francis cessere Gothi, cum vires eorum non paterentur ut eodem tempore duplici Francorum & Romanorum exercitui obsisterent, sicut jam à me dictum est, nec etiam Romani hujusmodi facto possent intercedere. Quin imo Imperator Iustinianus huic cessioni subscripsit, & reliquarum Galliarum, quas armis sibi paraverant Franci, dominatum ratum habuit. Neque aliter securitati suæ se consuluisse arbitrabantur Franci quam si Galliarum suarum integram possionem manu sua subsignata imperator comprobasset. Vnde factum est ut deinceps Francorum reges quieti fuerint Massiliæ Phocensium Coloniæ, totiusque oræ illius maritimæ possessores, nuncque in Arelatis Circo sedeant equestris certaminis spectatores, nummumque aureum è Gallico metallo percutiant, non Imperatoris Romani ut fieri assolet characterem solido imprimentes, sed propriam ipsorum imaginem.* Hactenus Procopius. Quæ qui attendet judicaturus est nullo negotio rejectis dissentientium opinionibus ea quæ tuemur esse vero consentanea. Quod porro de Imperatore verum, idem & de subditis imperatoris dicendum. Tralatitium in jure est ut generales istiusmodi voces præterquam quod æquitatem non dedignentur interpretem, restringentibus item verbis coerceantur, ut in *in l.* 26. *ff. ad S. C. Trebell. Omnibus civitatibus quæ sub imperio Romano sunt.* item *l.* 1. *C. de summa trinitat. Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium*, etc. Neque enim relativa illa *quæ* & *quos* inibi posita aliter accipi possunt, quam ut antecedentia verba universalia atque indefinita restringant ac sequentibus jungant. Verum nec hic opus, à natura aut potestate verbi restrictivi argumenta petere, ipsum

ipſum quod citamus jus Civile P. R. Liberos populos, Liberas civitates dari commonſtrat, & qui tales ſint deſignat, facta vel & inſuper diſtinctione, quo manifeſtum ſit eos non aliunde quam à ſemet ipſis pendere. *Liber populus eſt*, inquit IC^tus. Proculus qui *nullius alterius populi poteſtati ſubjectus eſt, ſive is fœderatus eſt, ſive*, &c. l. non dubito, ff. de capt. & poſtl. Et Paulus deſcripturus quid eſſet poſtliminium, ait id eſſe *jus amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos, liberos populos, regeſque, moribus, legibus, conſtitutum. l. poſtliminium. ff. eod.* idque quod miremur etiamnum oppoſitione facta dum expreſſim dicitur. *Quæ nationes in ditione noſtra ſunt, cum his poſtliminium non eſt, & ex adverſo cum populis liberis & cum fœderatis & cum regibus eſt nobis poſtliminium ut cum hoſtibus.* Similiter in *l. poſtliminij. §. in pace* diſertim dicitur, *Si cum gente aliqua neque amicitiam neque hoſpitium neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus, hi hoſtes quidem non ſunt, quod autem ex noſtro ad illos pervenit, eorum fit, & liber homo noſter ab ijs captus, ſervus fit illorum, Idemque eſt ſi ab illis aliquid ad nos pervenit.* Res ipſa loquitur, frontibus adverſis iſta pugnatura ſi totius orbis imperator dicendus eſt dominus. Accedit quod Imperator quoque noſter quem (ut hoc illius honori detur) Agathias *lib. hiſt.* 5. primum omnium imperatorum, qui Byſantij imperium tenuere & nomine & re ipſa liberæ poteſtatis fuiſſe pronuntiat, eam quæ à natalibus, & ſic à natura venit libertatem in Afris extollit *l. 1. C. de Off. præf. præt. Afr.* & ut manifeſto agnoſcamus ne quidem ipſos imperatores crediſiſſe ſeſe univerſi orbis eſſe dominos, fidem ejus fecerint nobis, cum reſcriptum illud Leonis *C. de Eunuchis l. 2. in §. Barbaræ gentis Eunuchos*, extra loca noſtra, id eſt Romano imperio ſubjecta factos emendi vendendique tribuentis facultatem; tum & illud Honorij & Arcadij quod in hæc verba ſonat. *Mercatores*

tam imperio nostro, quam Persarum regi subjectos (notentur adversativæ dictiones) *ultra ea loca in quibus fœderis tempore, cum memorata natione nobis convenit*, (attend. quod d. l. 7. liberum populum dicat & illum, qui fœderatus est) *nundinas exercere minime oportet, ne alieni regni, quod non convenit scrutentur arcana.* Quæ cum ita clara atque in aperto sint posita, quis ultra dubitationi locus esse possit non video. Nec me movet quod ab imperatorij circa universale dominium juris assertoribus regeri solet, de facto quidem sed non item de jure evenire potuisse, aut & evenisse, ut quædam gentes regiones urbes Imperatori sese subducerent, verum adversus tales illibatum Imperatoris jus etiamnum perdurare, qui non minus contra tales intentionem suam habeat fundatam, quam iis in locis ubi quam plenissime imperat. Nulla siquidem eo nos impellit necessitas, uti Imperatoris nostri rescriptum quem diximus vel naturalem extollere libertatem, uti IC[ti]. à quo liberi populi definitionem accepimus, responsum, potius ad factum trahamus, quam ad jus; eaque ad vim detorquamus & injuriam, interpretatione prorsus temeraria quæque nec nos qui æqui bonique & esse & haberi sacerdotes velimus, deceat. Est hoc IC[ti]. munus & officium, ut de jure tantum non etiam de facto respondeat *l. idem erit ff. de stat. hom. l. mora. ff. de usur.* Quin & Leges ipsas deprehendimus, in illis quæ ex facti circumstantiis dependent, certum jus præscribere non audere *l. aut facta. ff. de Pœnis.* speciatimque *l. ultim. C. de his qui ad eccles. confug.*

CAPVT. XII.

Falsum sub Valentiniano & Odoacre Venetis libertatem non constitisse. Parva eorum initia. Divites plerique poten-

potentesque fuere qui in Insulas concessere. Labacenæ tunc temporis Respubl. Ro. Veneti Odoacri non paruere. Victus & cæsus Odoacer. Theodoreti tempora qualia fuerunt. Ejus clementia. Libertas quamvis arctis finibus conclusa, libertas tamen est. Bagandæ qui fuerint. Veneti nec pro Barbaris, nec pro Bagandis, habiti.

ILlam denique quam large in Honorio explicuerat in Valentiniano atque Odoacre præsumptionem Anonymus iterat perque exigua quæ tunc erat Venetorum potentia cum magnitudine ac viribus Romani imperii collata fidem facere annititur non esse credibile Venetos Libertatem sibi parare voluisse, aut & ullam, si quam fortean sese habere crederent, conservare; quin & dedecori Venetos injuriæque fuisse deputaturos, si quis illos inter imperii membra haud accesserent, notissima iis temporibus gentium in Romanos, Barbaros ac Bagandas sive Bacandas distinctione.

Sed non ero hic longus, nam quod exiguas nascentis urbis vireis fuisse dicit, resque multum arctas, ipsum id ut ut fateri velim nihil agat. Non aliæ fuere Carthaginis non aliæ Romæ, non aliæ omnium earum urbium quæ ab exulibus, profugis aut sede sua depulsis originem arcessunt. *sunt ut lib.* 5. *de finibus* ait Orator *omnium rerum parva principia, sed suis usa progressionibus augentur*: quin & jam ante ex Livio adductum à me *urbes ut catera omnia ex infimo nasci deinde quas sua virtus ac Dii juvent, magnas opes magnumque nomen sibi facere*, Tempus illis duramentum accommodat & robur. Quæ de tenui priscorum Venetorum conditione, cui nimis sane inclementer insultat Anonymus ex historia Bernardi Iustiniani allegat, non efficiunt tamen quo minus illi, & nobiles

& re-

& rebus salvis apud suos dignitate conspicui aut divitiis prælustreis fuerint. Vt ut enim fuerit in prædictas insulas intratum promiscuè fueritque & promiscue in unum corpus commixta multitudo eorum qui in illa loca concesserant, nihil tamen vero similius (quod & non unus firmat annalium scriptor) quam ut quisque maxime dives fuit, ita & à periculo quam longissime abesse voluisse, quo ne cum omnibus fortunis suis hosti crudelissimo in prædam concederet. Blondum ipsum quem toties pro se adversarius citat audiamus agedum: ait ille in descriptione Regionis Venetæ, *Insulæ eo conclusæ spacio (*littoris nempe*) quæ habitantur, multos habuerunt conditores, qui in unicam hanc Venetiarum civitatem opes & concilia contulerunt, unde hanc Venetiarum civitatem pro una regione non immerito à nobis positam esse intelliget, quicumque considerabit, non modo opes ejus, non modo opibus cujuscumque Italiæ regionis æquiparandas esse, sed multas fuisse urbes, multa oppida quorum excidio hæc unica sit condita. Aquilejam, Altinum, Concordiam, Patavium, Montem selicis, Opitergum, Eracliam, Equilium, Gradum, Caprulas & Lauretum. Quanquam & ex Vicentia Verona Mantua Brixia Mediolano & Tapia ab Attila afflictis, & ab aliis Jtaliæ civitatibus præsertim urbe Roma diversis in persecutionibus nobiles & potentiores quosque Venetias à principio confugisse in historiis abunde docuimus. Igitur Aquilejenses primi Gradum, Concordienses condidere Caprulas. Altinates sicut urbem suam in sex portas divisam habebant sex quoque in stagnorum insulis oppida condiderunt, Torcellum, Majorbum, Burlanum, Amoriacum Constantiacum & Armanum, Patavinorum pars Rivum altum & postea Dorsum durum. Montesilicenses Athestumque Methamaucum Albrolam, Palestrinam sive ut Plinius appellat Philistinam & fossam Clodiam quæ nunc est civitas Clugia. Crevit autem ilico ab ipso conditionis initio civitas Veneta, quia non à pastoribus sicut Roma, sed à potentioribus ditioribusque regionis olim Venetæ fuit à principio sicut diximus habitata.* Ac ne Blondum quoque natione

Vene-

Venetum causetur noster homo, jungamus illi Hieronymum Rubeum civem Ravennatem in sua rerum Italicarum Ravennatumque historia, cujus hæc sunt verba, *Neque vero quod plerique scribunt verum est aut verisimile, ejus initium ab obscuris infimeque plebecula hominibus ductum, cum non ij, sed quos nobilitas & fortunarum amplitudo Athilano furori maxime subjecisset propriæ saluti consulerent.* Sane quod tanto molimine Romanam extollit magnitudinem, id vero conditioni temporum de quibus scribimus consentaneum non est, nam præterquam quod nulla magna urbs diu quiescere potest, si foris hostem non habet, domi invenit, ut prævalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. Liv. quodque ut est apud Poëtam,

In se magna ruunt lætisque hunc numina rebus
Crescendi posuere modum.

Nimiumque vere Philosophus edicat nihil privatim, nihil publice stabile, non hominum minus fata, quam Urbium volvi: Erat ut vel ipso (veritatis ô magnam potentiam!) dum hæc differit, authore, quem pro se adducit Anonimus, Salviano *erat*, inquam, *Romana Respublica vel jam mortua vel extremum spiritum agebat.* Si pro vero, etiam quam optime ac quam mitissime de Romano imperio sentire quis velit, illud merito dicat de illo, quod de Pompeio suo instituta illius ad Cæsarem comparatione usurpat idem Poëta,

Stat magni nominis umbra,
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona ducum: nec jam validis radicibus hærens
Pondere fixa suo est, nudosque per aëra ramos

L Expan-

Expandens, trunco non frondibus efficit umbram.

Illa quæ porro in dicta comparatione continuat,

Sed quamvis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum sylvæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur.

quam non cadant in conditonem illorum temporum jam ante notavi, repetat ea si tanti id est benignus lector, quo ne jam dicta geminatim repetere sit necesse.

Interim cum ab excessu Valentiniani moderandis imperii habenis Maximus sit admotus, Maximum Avitus exceperit, Avitum Majoranus, Majoranum Severus, Severum Anthemius, Anthemium Olybrius, Olybrium Glycerius, Glycerium Nepos, Nepotem demum Augustulus, quem imperio deturbavit Odoacer, mirum sane nihilque minus quam simile vero, nihil interim toto isto vicennio (tantum enim est spacii quod inter Odoacrem Maximumque intercurrit) obvenisse, quo Romani imperii majestatem adstruere, adversum Venetos asserere possit adversarius; aut si omnino nihil tale quid obvenit tantum tamen roboris viriumque aut imperantibus, aut imperio fuisse, quantum ipse fuisse credi vult, nemo credat. Vt vero & ad illud quod de Odoacre à præsumptione deducit respondeam, equidem si præsumptionibus locum facit, nec rerum gestarum fides patiatur, ut verosimile cuiquam videri possit Venetos Odoacri paruisse. Annalibus si fidem habemus, vixdum ille Italiam in regnum erexerat cum statim à Theodorico armis victus fuit, ac Ravennæ per totum triennium obsessus, tandemque deditione facta cum vix tantillam regni portiunculam esset depectus, per speciem litis, ab ipso ut creditur Theodorico, quod non nisi sublato belli duce requiem

quiem fore proſpiceret, motæ, ſaltim juſſu Theodorici interfectus eſt. Initia Theodorici ſatis exagitata fuere. Rebus pacatioribus ac ſubſidentibus pauliſper bellorum minis, tantum abeſt ut ille tenellam ac caput attollere occeptantem, tanquam quæ Romanæ adverſaretur potentiæ, Libertatem attriverit preſſeritve, ut & ipſe Ravennę ſeſe cum aula ſua contentus continere, ne quidem in urbem illam unde in omnem regionem (quamvis ea potitus dicatur) intrare quo ſibi ſedem defigeret, ſuſtinuerit. Potens ille fuit, fateor, ſed & pacatus placiduſque collegit ſub illo afflicta Italia ſpiritum jam fatiſcentem & cum ea reſpirarunt & à calamitatibus ſuis illi, qui in penitiora Hadriatici maris ſeſe abdiderant. Aurea illius apud Caſſiodorum verba ſunt, *Pietatis noſtræ remedio ſurgant, qui fortunæ ſuæ acerbitate corruerunt.* Quorſum vero imaginari attineat eum qui populis quietem, ſæculo pacem ſuo reddere ſeſe velle gloriatur in eos quos ſibi nullatenus metuendos ſciret ac longis defeſſos malis noviſſet, ſævire?

Fortuna amorem pejor inflammat magis,
Ipſas miſericors forſan ærumnas amat.

ait Seneca in Herc. Oeteo. Notum illud ejuſdem authoris,

Miſeros magis fortuna conciliat ſuis.

Quid quod & illud regi magnanimo clementique (talem ſiquidem illum Hiſtoriæ, niſi quod ad extremum Boëtii ac Symmachi conſularium virorum cædes multum ei de clementiæ laude detraxerit, volunt) nihil æque ad laudem famamque fuerit profuturum? Gloriatur occaſione non diſſimili de Athenienſibus ſuis Ariſtides, eſſe ipſis ζωφυτὸν

 ϛοπλὼ

ῥοπὴν πρὸς τοὺς ἀσθενεῖς ἔλεος τῶν ἀτυχούντων, οὐ κενὸν, ἀλλὰ διαρκῆ εἰς σωτηρίαν, id est, ingenitam in infirmos propensionem & in infœliceis miserationem sive misericordiam, non evanidam illam, sed quæ vel ad salutem sufficeret. Cui non abludit quod de Mario Florus. *Facile invenit exercitum miser Imperator.* Sed his omissis, agedum id quod vult salva veritate, largiamur Anonymo, nempe vel eo quo ipse deprædicat loco res Romanas fuisse, concedamus accisas & perquam angustas fuisse Venetorum res, quid inferat tamen? Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria, multa ceciderunt, ut altius surgerent, & in majus; etiam Venetorum reddere Libertatem potuit infirmitas, potuit ipsa inopia præstare non invidendam, iis præsertim quibus non poterat non esse periculosum imperium nimis quod esset grave, quibusque cum nec ad capiendum quid ultra, nec ad continendum facultas suppeteret ad fœlicitatem abunde sufficeret, si nihil eorum, quæ tanquam ex communi naufragio receperant recollegerantque, denuo amitterent. Libertas interim quantumvis arctis circumscripta finibus æque Libertas est, atque est illa quæ longe lateque sese diffundit.

Nihil colosso demit aut addit Basis,
Nihil cothurnus adjuvat nani statum.

Vtque Scholastici loquuntur majus minusve rei speciem non immutant. Aliud plane fecerit Anonymus, si quod præsumptione ante capit re ipsa, ac de facto obvenisse dicat, quæ si ipsi mens, expecto jam dudum quibus historicorum authoritatibus sententiam suam tam à vero alienam sit adstructurus.

Illud & in transcursu subjungam, ad rem non facere quod cum Salviano dicat omnes aut pro Romanis habitos aut pro

Bar-

Barbaris & Bagandis, unde & Venetis nisi pro talibus haberi velint, fatendum, sese ad rem Romanam spectasse. Notatum jam ante, quod nunc non repetam, divisionem denominationemque hujus aut illius historici veritatem rerum haud immutare. Est & insuper inepta ista in Bagandas (perinde ac si vel hilum à Barbaris differrent) divisio, nec satis assecutus fuisse videtur qui Salvianum allegat Anonymus, qui qualesve Bagandæ fuerint. Constat impositum fuisse nomen Bagandarum nonnullis Galliæ rusticis, quos Amandus ac Ælianus intolerandis Carini Cæsaris injuriis exacerbati, sollicitarant. Bagandas, adsumptum à Caro ad imperii consortium Maximianum, prælio fudisse auctor est lib. 1. historiæ suæ de occidentali imperio Carolus Sigonius. Assumendo, neque barbaros quis Venetos dixerit, nisi ipse barbarus, neque etiam Bagandas, ut quibus nec ulla ratione metuendum erat, ut aut pro barbaris haberentur aut Bagandis: quanquam neç video quid ex eo dedecoris ignominiæve in ipsos derivari potuisset: neque etiam facile crediturum quempiam existimo, Venetos id temporis de vita fortunisque suis conservandis sollicitos, inque exædificanda quam sibi delegerant sede plus satis occupatos, istiusmodi cognominis injuriam magnopere fuisse curaturos, nedum facturos tanti ut quam suo sanguine, suis sudoribus pepererant Libertatem, scommatis, quod ne quidem eos tangere poterat, evitandi gratia turpiter è manibus judicarent abjiciendam & alienis imperiis substernendam.

Esset quidem hoc loco non modo non inconveniens, verum etiam per necessarium ostendere quam non ingenue totum oræ regionisve Venetæ tractum Anonymus cum ipsa urbe Veneta confundat, quamque & perperam ea inter sese esse separata, necnon & ab authoribus separatim esse intellecta sibi ille probari desideret, utpote quod nostris

pro Veneta Libertate vindiciis multum lucis allaturum esset, plurimumque facilitatis additurum solutionibus quas ad objectas ab Anonymo scribentium authoritates adferimus. Verum enimvero quantumvis summo labore complurima à me in eam rem privato lucubro fuerint conquisita, antequam ea videram quæ Philippo Cluverio notata sunt, simulque & ab Angelo Portenaro, qui speciatim edito apologetico, eorum Libertatem qui ante urbem condi cœptam Veneti dicebantur, tutatus est, ea tamen prætermittere satius habui, cum ne aliorum compilasse scrinia redarguar, quod homini ingenuo ut inglorium, ita etiam turpe ac probrosum esse semper existimavi, tum quod & illud tam accurate tamque sedulo ab ipsis sit præstitum, uti neque vel ad spicilegium quippiam relinquere voluisse videantur iis qui post ipsos simile quid designare aggredive in animum induxerant. Debitam illorum capitibus coronam ego non detraham, priores me ea annotarunt, epiûcium ferant, ac insuper etiamnum, quandoquidem illorum scripta æterra laude sane dignissima omnium manibus teruntur, Lectorem meum rogatum volo, ut quæ alioquin nostrum fuisset hoc loco commonstrare, ex illis petere non dedignetur. Si qua mihi fides, pulchra sunt, accurata, jucunda.

CAPUT XIII.

Canonicarii Venetiarum qui sint apud Cassiodorum. Canon vel ex imperio, vel ex conventione solvitur. Canon à Venetis solutus protectionis caussa, salvâ Libertate. Frustra ex canone soluto subditos Imperatori Venetos fuisse probare nititur Anonymus. Canon

non pactionis nomine ſæpe venit. Tributorum triplex genus, Canon, Oblatio, Indictio.

MAgnum ſubjectionis argumentum Anonymo illud eſſe videtur ac vel ſolum per ſe ad eam probandam ſufficiens, quod nonnullæ Caſſiodori reperiantur Epiſtolæ cum hac epigraphe CANONICARIO VENETIARUM: fuerint autem Canonicarij, exactores annuorum Canonum: quos ſi Imperatores habuerint (quemadmodum id omnino negari non poteſt) dubium non ſit, quin & imperatori ſubditi fuerint illi, à quibus iſtiuſmodi canones exigebantur; præſupponente nimirum juriſdictionem iſtiuſmodi canonis exactione, unde & deinceps irrefragabiliter è juriſdictione ſubjectio inferatur.

Hoc ad argumentum ut reſpondeam conſiderandum in ſubjectâ nobis materia non ſufficere, quod dicatur exactum ſolutumve fuiſſe canonem, niſi & exprimatur cum exigendi ſolvendique cauſa. Solvitur quandoque ex imperio canon, quandoque ex conventione, eſtque ipſe canon, ut & cenſus, vel ſubjectionis indicium, vel redemptæ Libertatis, aut impetrati ab altero privilegij grata remuneratio, aut denique quod protectionis gratia debetur; plures canonis ſolvendi cauſas non invenio ab Authoribus aſſignari. Cum ergo neque vi à Romanis Veneti fuerint ſubacti, neque ultronea conceſſione aut mediante juris vinculo in eorum conceſſerint ditionem, abſit, ut iſtiuſmodi canonis exactionem pro ſervitutis indicio accipiendam ducamus. Abſit item ut cum neque & illi ſint anteſtati, ſeſe Libertatem, quam à natura habebant, quamque gentium jure firmatam aſſervabant ſtabilemque, ſolvendo canonem redemiſſe, nos id dicamus; quem porro ſi protectionis gratia perſolverint (quod nec à temporum, nec à rerum Venetarum conditione ac

ne ac statu abhorreat) jam tum certum est, nullum ex istiusmodi contributionibus subjectionis argumentum posse desumi. Canon m adhæc, qui subjectionis indicium sit, exigere non potest nisi dominus illius, à quo ille exigitur, aut qui domini vices sustinet, quod numquid in imperatorem cadat nec ne, id vero demum est, de quo controvertimus, saltim quoadusque id ita esse non evincitur, merito nec ea, quæ pro istiusmodi potestate, aut vi potestatis istiusmodi dicentur gesta, subsistere dixerimus. Pro redimendâ Libertate aut impetrandis priveleg is non nisi ratione competentis Dominii quid exigi posse juris ratio dictat, quod nos item in imperatorem cadere posse constanter negamus.

Protectionis vero causâ licite vel quilibet protector canonem petit, verum salva Libertate illius à quo eum sibi solvi desiderat, nimirum ut supra ex *l. 7. de capt & postl. rev.* citavi, *liber & ille est populus, qui non æquali fœdere in amicitiam venit, puta si fœdere comprehensum sit, ut is populus alterius populi majestatem comiter conservaret. Hoc enim adiicitur, ut intelligatur illum populum superiorem esse, non ut intelligatur alterum populum non esse liberum, quemadmodum & clientes nostros intelligimus liberos esse, etiamsi neque authoritate, neque dignitate nobis pares sint*, &c. Hoc nomine modove, si Canonicarium Venetiarum Imperatorem habuisse, dicere velit Anonymus, neque me sibi habebit contradictorem. Potuit hac ratione obligatos sibi Veneros Imperator habuisse, dominus eorum existere non potuit. Aliter si sentit ante omnia probandum erit ipsi, non ratione aut intuitu juris alicujus privati, sed pro plenitudine potestatis solutum fuisse canonem; item nec ex conventione partium, sed mero imperantis jussu, & sic in argumentum subjectionis. Expectabo quos ille actus sit enumeraturus, qui istiusmodi canonis solutionem fuerint comitati; expendamque numquid & illi tales extiterint, ut efficaciter

caciter ex ijs, illa quam sibi probandam desumsit, inferatur subjectio. Quo verò (ut & hoc obiter notem) solutum verius ex pacto canonem, quam pro imperio, constet: animadvertendum, & ipsum canonem pactionis nomine venire, ac sic depacisci solitum, ut videre est in *l. etiam. de Obseq. patron. praest.* ubi dicit Imperator Alexander, jure omne obsequium debere dominis, etiam qui pactione datâ, à dominis manumittuntur: ad quam L. Gothofredus verbum pactionis pro canone accipit, quemadmodum & *Novella* 120. *c.* 1. pactum eodem significatu accipitur pro canone, verb. *sub isto pacto accipiat* uti & ante Gothofredum notavit Cujacius in *l.* 7. §. *quod fere. ff. de pactis*. & ex eo in commentarijs suis ad Alexandr. Imp. rescripta Chassanæus. Est & hoc observatu non indignum, tributorum genera Asconio Pediano tria constitui Canonem nempe, oblationem & indictionem, quorum indictio ut est, quando id quod imperatum est recusatur, ita oblatio à voluntate magis offerentis, quam ab illius cui offertur imperio dependere deprehenditur. Canonem denique exemplificando constituit in portoriis.

Quidquid vero portoriorum nomine exigi solet, id commerciorum jura concernere potissimum, nemo est qui nesciat, uti & ea, sic usu exigente & humanis necessitatibus, locum habere etiam intra illos, qui neque propter sese parem, neque & alias superiorem agnoscunt quempiam. Subjectionem autem per semet sola quod inferat, nisi speciatim id inter contrahentes actum fuerit, à nemine traditum hactenus est, imo potius istiuscemodi non interveniente partium utrimque pacto convento, contrarium statuendum est. Caldev. cons. 5. de privil. per totum.

CAPUT. XIV.

Epiſtola Caſſiodori ad tribunos maritimorum excuſſa. Tribunorum maritimorum nomine Veneti non intelliguntur. Iſtriæ populum Imperatori ſubditum non fuiſſe probatur. Veneti ab Iſtris diſertim in epiſt. Caſſiodori ſeparantur. Multum mandatum à juſſu diſtat. Iſtri fœderati P. R. Devoti & devotionis vocabulum explicatum. Devoti dicuntur, qui ſeſe in alterius amicitiam dedidere. Devoti pro externis ſumpti. Allophyli qui ſint. Imperium cadit etiam in liberos, æquales, fœderatos. Non verbis, ſed æquo juſtoque pugnandum.

CONſequens eſt alterum Anonymi ut nunc examinemus argumentum, quo prædictam, quam intendit Venetorum ſubjectionem probare tentat, ſuggeſſit illud ipſi ejuſdem Caſſiodori epiſtola, lib. Variarum duodecimo, ordine quarta & triceſima, ad Tribunos maritimorum ſcripta; quam licet ille verbotenus tranſcripſerit, additiſque poſtmodum de ſuo commentariis ampliarit, nulla mihi tamen idem faciendi videtur neceſſitas; neque enim metuendum erit, ne mutila referendo verba ſententiaſve minus plenas, de fama aut candore pericliter. Sunt illa quæ ad eam adnotare voluit iſtius generis, ut lectorem moratura non ſint, utpote & ſine quibus cœptæ diſputationis filum abſque offenſa ulla aut remora facile ſit pertexere, iis modo exceptis quæ ad priorem epiſtolæ periodum adduxit. Eſt ea hæc verbotenus.

Tri-

Tribunis maritimorum Senator præfectus Pretorio: Data pridem jussione censuimus, ut Istria olei & vini species, quarum præsenti anno copia inclyta perfruitur ad Ravennatem fœliciter dirigeret mansionem, sed vos qui numerosa navigia in ejus confinio possidetis pari devotionis gratia providete, ut quod illa parata est tradere vos sub celeritate studeatis portare, similis quippe erit ejusdem gratia perfectionis, quando unum ex his dissociatum adimpleri non permittit effectum. Estote ergò promtissimi ad vicina qui spacia sæpe transmittitis infinita, &c.

Hanc ergo ad suum propositum Anonymus ut applicet, ait cum ex inscriptione, quæ præfert eam esse scriptam TRIBVNIS MARITIMORVM, tum & ex ipso textu satis apparere, Cassiodorum eo nomine Tribunos Venetos designasse, qui Venetorum Tribuni cum eodem habeantur modo, quo Istriæ populi, qui populi Romani erant subditi, cumque & *jubeantur pari devotionis gratia* id quod Istriæ populis imperatum erat perficere; idque verbis *estote promtissimi, providete, reficite*, & quæ his similia sunt, ultra dubium non esse ille putat, quin & ejus, qui ita jubeat, imperio Veneti fuerint subditi. Videamus utrum recte. Inscriptionem epistolæ quod attinet, certe ea planum non facit maritimorum Tribunorum nomine Tribunos Venetos designatos, eos nempe Tribunos, quos abrogato consulibus imperio urbis Venetæ aut earum quæ successu temporis in unam urbem coaluerunt insularum habitatores sibi elegerant: certe verbi *Maritimorum* indefinita generalitas, istiusmodi restrinctionem non admittit, atque ut ut maxime de

Venetis esset intelligenda, multo tamen prius in toto tractu maris Hadriatici, qui singulari numero Venetia dicitur, quam in urbe Venetiarum sola locum sibi ea vindicaret. Sed vel demus verum esse, quod credi vult Anonymus, sit epistola illa speciatim ad Venetorum Tribunos data, non tamen ex illo quod ipse vult sequetur eos Imperatori paruisse. Nam quod pari modo eos habitos fuisse dicit cum Istriæ populis, illos autem Imperatori fuisse subditos, ejus neutrum pro comperto est, imo contrarium potius. Dicitur inibi de Istriæ populis censuisse pridem data jussione Præfectum Prætorio ut Istria vini & olei species ad Ravennatem dirigeret mansionem. Ast vero jussionem illam in Venetis non geminat, quin potius postquam quid data jussione censuerit exposuit Venetos ab Istriæ populis separat verbis *Sed vos* &c. item verbis *Quod illa parata est tradere, vos studeatis sub celeritate portare*. Quæ verba non tam jussionem, quam mandatum, nec id omnino strictum, sapiunt. Multum à jussu mandatum differt, estque vel ipso fatente Anonymo inter impares & inæquales jussus, ut inter patrem & filium, dominum & servum, magistratum & subditos: mandatum vero inter pares & æquales, inter quos imperium non est, ut inter amicos.

Deinde dicit quidem ipse, sed non probat Istriæ populos, ut subditos ad imperium Romanum spectare. Illud ex Sigonio cæterisque rerum Italicarum scriptoribus constat, perinde ut Athenis, Corynthо, Thebis, Spartæ cæterisque Græciæ urbibus plenum in semetipsas erat imperandi jus, neque tamen eo minus inter sese fœdere contra Persas colligabantur, ita & plerosque Italiæ populos cum summum etiam in sese suosque imperium haberent, cum Populo Romano fœdere fuisse junctos. Istrios eundem ad modum Populi Romani extitisse fœderatos quo minus credamus nihil

nihil impedit servitute non probatâ. Scio regeret hoc loco Anonymus verbo DEVOTIONIS plenariè servitutem confieri; atque quandoquidem *parem devotionis gratiam* præfectus prætorio proponit, non minus quam Istriæ populos, quorum ille alibi regionem devotam provinciam vocat, subditos imperatori fuisse Venetos. Ego vero illud nego, *devoti* aut *devotionis* verbum subjectionem inferre; super cujus dictionis efficacia Barnabam Brissonium eleganti suo de formulis tractatu qui volet consulat. In subjecta nobis materia notasse suffecerit verbum illud in malam olim acceptum fuisse partem, nunc vero usu,

Quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi,

semper accipi in optimam, affectusque prolixe proni benevolique (unum divini numinis excipio cultum) promptitudinem designare. Aliud est subditum esse, aliud amicum. Si quis tamen scrire desiderat qui proprie dicantur devoti, is ita habeat, proprie devotos dici qui sese in alterius amicitiam dediderunt. Faciunt id clarum verba Cæsaris libro 3. de bello Gallico. *Alia ex parte oppidi Acantuannus* (exitum molitur) *qui summam Imperij tenebat cum sexcentis devotis, quos illi soldurios apellant, quorum hæc est conditio ut omnibus in vita commodis fruantur cum his quorum amicitiæ se dediderunt, si quid jis per vim accidat eundem unâ casum ferant; aut sibi mortem consciscant, Neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto cujus amicitiæ se devovisset mori recusaret.* Hactenus Cæsar. Hoc significatu in jure sumi pro fideli amicoque, sicubi dicitur *devotus possessor*, *devotissimus miles*, quæque ejus generis plura sunt, neque ipse diffitetur Anonymus. Nos vero quod si verbum *devotus*, ita accipere volumus, prout id etiam in jure nostro acceptum videmus, manifesto id non subjectionem, sed quæ subjectioni adver-

M 3 sa est

sa est Libertatem inferre deprehendemus. Notum illud Poëtæ,

Omnem equidem terram, sceptris quæ libera nostris
Dissidet, externam reor.

Verbum autem devoti in jure alienigenam externumque denotat, ut observare est in *l. à legatis. C. de vectigal. & commis.* ubi verba *Gentium devotarum* Græce sonant τῶ ἀλλόφυλων ἐθνῶν, id est, *externarum gentium*, quod & clare evincunt verba *d. l. quas de locis proprijs unde conveniunt huc deportant.* Scimus & passim in sacra pagina Allophylorum nomine indigetatos fuisse Phylistæos, easque porro gentes, quibuscum ut misceri Israëlitis nullatenus licebat, ita perpetuo ut eos bello prosequerentur Deus injunxerat. Ipsum & insuper ἀλλόφυλε etymon hominem alterius classis sive alterius tribus sonat. Ad quæ si adtendatur, nos illos Istriæ populos, nec non & Venetos pro externis habitos fuisse dicere non inconvenienter possemus, imo & eadem ratione liberos. Ut ut enim quam latissime Cassiodori verba interpretari, aut extendere velimis, fateamur attamen necesse est, ad summum ex illa majus ampliusve quid haud posse colligi, quam illos ipsos, quibus ea scripta est, quod de Tyrijs Curtius ait, sub tutela Romanæ mansuetudinis acquievisse. Amplius si quid elicere posse sperat Anonymus non equidem invideo, miror magis. Ego saltem quid & quale futurum sit vel cogitatione me præsumere non posse fateor ingenue. Ast sunt, inquit ille, verba epistolæ istiusmodi, ut non monitum, non consilium, non preces inde colligas, sed absoluta, regia & parendi necessitatem injungentia verba. At tamen, nec hic omnino veridicus est. Illa sane verba, *studeatis sub celeritate portare*, item, *festinetis excurrere*, non tam imperio, quam ordini directionique esse commoda nemo non judicet. Sed

esto

esto, largiamur & hoc Anonymo, ac non mandati modo sed vel & plenariæ jussionis concedamus effectum, ergone ipse jussus, ipsum imperium, ut de verbis nihil jam dicam, non cadit in æquales, fœderatos, liberos? cadit vero. Ipsum imperium si respicimus audiamus de Alexandro Curtium *Ex fœdere naves socijs imperat, quæ Hellesponto præsiderent.* lib. 3. Imperativa verba si requirimus offerent sese nobis è vestigio Ætoli liberi illi & majestatem populi Romani duntaxat comiter conservantes. De his ita Livius *Diu jactati Ætoli ut ad conditiones pacis convenirent, effecerunt. Fuerunt autem hæ, imperium majestatemque Populi Romani gens Ætolorum conservato sine dolo malo, ne quem exercitum qui adversum socios amicosve eorum ducetur, per fines suos transire sinito, neve ulla ope juvato, hostes eosdem habeto quos populus Romanus, inque eos arma ferto, bellumque pariter gerito, perfugas, fugitivos captivosque reddito.* Agnoscet hic, ut opinor, verba imperium ac dictamen spirantia noster Anonymus. Fecit id ante ipsum in *Orat. pro Balbo* Marcus Tullius dum inquit, *Primum verbi genus hoc conservandi, quo magis in fœderibus, quam legibus uti solemus, imperantis est, non precantis: deinde cum alterius populi majestas comiter conservari jubetur de altero siletur, certe ille populus in superiore conditione causaque ponitur cujus majestas fœderis sanctione defenditur.* Sed nec & minus fatebitur vel invitus eam ipsam gentem, cui tam imperiosæ fœderis dicuntur leges esse ex asse liberam, ita statuente IC[to]. Paulo in allegata subinde *l. non dubito. de Captiv.* quin vero si totam ei perlegere legem lubet & novissima ejus verba notare, quæ sic habent *fiunt apud nos rei ex civitatibus fœderatis & in eos damnatos animadvertimus*, si considerare jus illud animadversionis in socios fœderatosque non tam ratione delicti Romæ perpetrati enatum, quam è nudo & absoluto imperii jure exortum, ut clarum faciunt illa Crispi in Catilinaria, *ea potestas* (nempe vide-

viderent Consules nequid resp. detrimenti caperet) *per Senatum Magistratui Romano maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives, domi militiaque summum imperium ac judicium summum habere.* Si perpendere porro secum velit Iudicia in invitos dari, nec minus omnibus in ore esse: Qui te judicat Dominus tuus est, ac nihilominus fœderatis istiusmodi populis rationem Libertatis constare, imo vero eos ipsos Libertate frui illæsa, nec ulla sui parte imminuta, desinet ut opinor deinceps verba captare cavillarique. Est nobis de Iure, & de facto quæstio, non de verbis: eam cum *Innocentio* pertinacibus relinquamus. Callide verbis controversias dijudicare velle, non æquo & bono, nec ingenui est, nec generosi. Esset hoc cauponare bellum, non belligerare. Præclare ut omnia *non verbis literisve, sed veritate atque adeo communi utilitate exprimenda jura*, Orator monet, idem nec minus cordate è campis æquitatis ad verborum angulos vetat revocare.

CAPUT. XV.

Frustra Anonymum conari libertatem Venetam subvertere, quia Salvianus, & Justinianus ejus non meminere. Mentio scriptorum nec addit aliquid ejusmodi rei, nec demit.

ILlud vero leviusculum est, quod de Salviano Massiliensium Episcopo dictum antea, mox & de Iustiniano repetit Anonymus, nullam eos nimirum Venetæ Libertatis mentionem facere, etiam sicubi contingit eos ex professo, ut de Iustiniano constat ex proemio Novellæ vicesimæ nonæ, de Venetis loqui. Non esse autem credibile, si qua Vene-

Venetorum eo tempore fuisset Libertas, commoda in id sese offerente occasione, ac vel invitante, rem tam notabilem silentio fuisse pressuros. Colligendum ergo vel ex illo, nec ullam ijs competijsse statuit; quasi vero potuerit à Salviano aut ab Imperatore facta mentio Venetorum Libertati addere quippiam aut detrahere. Quis non videt fortuitum esse & ab accidenti id omne quod ab istiusmodi mentione deducitur? Potuerunt illi meminisse Libertatis Venetæ, potuerunt eam silentio præterire, pro ut visum fuit, nihil inde Venetis compendij, præjudicij item nihil. Sed nec interim verum, occasionem eò velut invitasse Imperatorem. Adeo ex allegata novella deprehendere non potui, necessario Imperatorem nostrum de Veneta Libertate mentionem fuisse facturum, ut ne quidem appareat probabiliter id ipsi fuisse propositum. Accedit quod nec Anonymo in proposito nobis themate, si argumento ab authoritate sententiam suam defensam cupit, simplici negativa defungi liceat: affirmativæ inhærendum foret ei, nec authoritati ut authoritati, verum etiam ut ad id quod intendit adstruendum habili. Ea quæ à fide dignis dicuntur haberi pro veris est tralatitium, sed nec ex adverso ullius tanta unquam authoritas fuit, uti ex eo solo, quod cum probabiliter naturam veritatemque rei habere cognitam posset, nullum tamen scientiæ suæ ad posteros transmiserit indicium, statim qua veritatem, qua existentiam rei ob id in dubium revocare fas sit. Tritum est illud argumentum ab authoritate negativè non procedere. Tantum vero abest, ut habilis esse possit hoc nostro casu negantis authoritas, ut nec ea vel affirmantis obstare posset. Ponamus agedum, (quod tamen factum nunquam) adseveraturum fuisse Imperatorem Venetos de quibus disputamus ad imperium suum pertinuisse, quid tamen inde præjudicii, quantisper non constat popu-

lum Romanum eos aut vi aut jure suos fecisse? ut ut enim deferenda foret, ut certe foret Imperatori fides, in iis, quæ jurisdictionem respicerent imperatoriam, cessaret tamen fundamento jurisdictionis sublato omnis illa authoritas, non jam ultrà publica, sed privata merè, neque tantum sui valitura momento, ut vel punctum temporis subsistere tuerique sese posset adversus illam Libertam quam hactenus monstravi nullo non jure Venetis competere.

CAP. XVI.

Cætera adversarii argumenta diluuntur. Turbata in Anonymo methodus. Agathiæ locus excussus. Adversatur sibi Anonymus. Gothis Veneti non fuere subjecti.

HActenus aliquo saltim ordine argumenta Anonymi refutare licuit, idem ut & in posterum faciamus sperandum non est, adeo ille ordine non servato capite Ttractatus sui tertio probare conatur Venetos exterminatis pulsisque Gothis postliminio in ditionem Imperii reversos, in qua per aliquot deinceps sæcula perseverarint. Etsi vero & hic quoque ea quæ ab ipso adducuntur incerta capita dispescere, necfactu difficile foret nec inconveniens, ac fortassis etiam lectori non ingratum, omitti id tamen visum satius, quo ne quispiam judicet id non tam à me factum consulto, quam quod ad objecta respondere me posse differem. Tolerabilior ergo mihi visa est qualis qualis de Vitio ordinis querela, quam vel aliquantulum uper candore meo præjudicium. Quanquam non est quod tantopere id nos sollicitos habeat, quandoquidem ipsum illud quod refutamus.

mus Anonymi ſcriptum, ſervata ſaltim quoad fieri potuit annorum ſerie continuatum ſermonem deducit. Legam ergo præeuntis veſtigia & quem ille in probanda Venetorum ſubjectione ordinem ſervat, in aſſerenda eorum Libertate ſervabo.

---

§. I.

AGmen illi ducit Agathiæ locus, qui *libro hiſtoriæ ſuæ ſecundo* de Gothis ſic infit, *cogendas ſibi id temporis* (inſtante nimirum cum exercitu Beliſario) *unde quaque vires ſuas putabant, ſubditoſque quotquot ſupervacui, neque admodum oportuni videbantur, miſſos faciendos, quippe qui non amplius de principatu & gloria eſſent concertaturi, ſed jam pro Italia ipſa, neve funditus delerentur, periculum adiuri.* Hunc ut pro ſeſe adducat Anonymus, ait ex illo Agathiæ loco manifeſtum eſſe, Gothos ante id tempus in quieta Italiç poſſeſſione fuiſſe, neque ullam aut ipſis aut Venetorum libertatem, (exemtionem ille vocat) fuiſſe cognitam. verum non leviter hic hallucinatur & ceſpitat ſcriptor, niſi omnia nos fallant Hiſtoriarum monumenta. Certe ut omnino ulli mortalium nec diuturna poteſt eſſe poſſeſſio in quam gladio inductus ſit, ita nec quieta, quantiſper is cui per vim ablata poſſeſſio eſt ei recuperandæ intentus agit, & quæ ſibi per vim erepta videt, aut intercepta dolet, ab invaſore conatur avertere. Expedias mihi, te rogo Anonyme, ecquæ Gothorum ſub adventum, ecquæ quo tempore Italiam inundaverant Cæſarum fuit authoritas? Si aliqua, falſum eſt quod ex Agathiæ loco deducis, ſin omnino nulla, quin fateris falſa eſſe quæ de Originaria Venetorum ſubjectione ſparſiſti. Quin ſaltim quo ad Imperatores tuos, quod in communi ſermone eſt, liberas ædes habuiſſe Venetos confiteris? Aſt

vero ubi & nunc tibi magna illa nomina, Honorius Valentinianusque quos mox totius *Italiæ dominos* laudato authore prædicabas? ubi quem tanto modo fastu crepabas formidabilis ille Cæsarum ad Aquilegiam exercitus? nimirum & Gothorum inter arma silent tibi numerosæ illæ leges, quas in vicino urbis Venetæ tot annos continuos tulere Cæsares: nec earum satis es memor quæ mox è myrothecijs panegiricorum deprompta tanta affectuum animique contentione geminabas: prope est ut nec Cæsar tibi neque regum quispiam supersit, cui alter Ennodius dicat, *minui existimas quod non crescit Imperium*, aut ejus generis similia, quæ non ita pridem tantæ tibi videbantur authoritatis, ut neminem ausurum fuisse dicas de libertate Venetorum vel verbum facere, ac ne cogitatione quidem non vigilantem modo, sed & neque per somnium præsumere. Compone mihi quæso hinc Gothos rerum in Italia non dominos tantum, sed & pacificos, cum Cæsaribus tuis, tantis vel te authore, majestatis Romanæ zelatoribus, ut earum quæ ad imperium spectarent regionum, ne spithanam, ne passam manum, ne latum pedem (agnosce hic tua ipsius verba) passuri fuerint ab alio detineri. Habet sane imaginem falsitatis quidquid à vero abscedit, ac miror Anonyme & Gothis quietam Italiæ possessionem temet largiri, ac nec continentis solum, sed & quâ in insulas divellitur; cum nec ignores verosimile haud esse, gentes immanitate barbaras ad ea divertere voluisse, quibus invictam securitatem & loci natura & necessariarum quà ad explendum, qua ad alendum exercitum inopia rerum præstaret. Eòque impensius miror, quandoquidem tutemet ipse fateris nec Gothis quando & quam maxime isthuc divertere voluissent, ad manum fuisse navigia transmittendo exercitui, nisi fortean & homines illi fuerint de volucrum genere, aut tu aliquando perticas hastas-

hastasve queis se illi saltu libraverint in Venetorum æstuaria, nobis es adducturus.

---

§. II.

Veneti Constantiano non paruere. Frustra Anonymus illa pro confessis vult haberi, quæ ne quidem scriptores illorum temporum prodidere. Eadem JC^tis. verum ac justum. Procopius res quoque levissimas magno studio sectatur. Chalcondylæ de incrementis urbis Venetæ testimonium.

VErosimile porro sibi videri Anonymus ait, quo tempore Dalmatiam Lyburnicumque tractum sub ditionem Constantianus (quod factum imperante Iustiniano) redegit, sub eandem concessisse & Venetos. Ac quamvis neque Procopius, neque alter quispiam eorum, qui illius temporis historiam scripsere, illud narret (neque enim Historiæ leges sinant singulis ijsque exiguis rebus minutatim percensendis immorari) rem tamen ipsam loqui, cum jam tum ab illis temporibus constanter Imperatorum partes Veneti sequuti sint.

Quis vero hic impudentiam hominis ferat, qui cum ubique in eo multus sit, ut ex authorum silentio negativam Libertatis Venetæ eliciat, & ex eodem insuper scriptorum silentio subjectionem illorum vel assertivè ac θετικῶς demonstrare satagit! Verba scribentium in sequiora detorquere humanum non est, ea vero quæ nec ipsi scripserint pro exploratis haberi velle & in odium damnumque tertii valida etiam nefas. Nobis, verum non aliud est quam id quod justum, & è converso non aliud justum, quam quod & ve-

rum. Ecquod autem in eo quod nemo ita sese habere dicat, verum detur, cujus & porro Iustitiæ dictamen Libertatem hujus aut illius isto configat nomine, quod eam nulla scribentium damnent præjudicia? Accipiamus tamen & hanc ipsius pro nobis confessionem, faciet ea ut vel se judice condemnetur ac juxta illud Evangelicum, judicetur ex ore suo: proindeque stet fixum modo id ipsum quod ille ait neminem esse qui scribat Venetos sese aut coactos, aut rebus ita ferentibus etiam ultro Imperatoribus dedidisse, non erit ut multum nos moretur ea quam sibi fingit Anonymus proponitque similitudo veri.

At, inquit ille, minuta isthæc erant, neque tanti ut iis commemorandis præter Historiæ legem decorumque diu immoraretur Procopius. Quantumvis autem existimem nec semel nec perfunctoriè recitaturum fuisse Anonymum, si quippiam ab ejus ævi Historicis memoriæ fuisset proditum, quo palam fiat Venetos sese Imperatori subjecisse, tamen id apud me tanti non est, ut quod magis demirer cur post tot annorum decursum tam exiguas Venetorum res fuisse credere nos velit, ut ne ullis quidem ex annalium scriptoribus se de illius ad imperij ditionem vel de novo accessu vel postliminari reditu libuerit vel verbula loqui. Venetæ enim urbis incunabula si à Gothorum in Italiam adventu arcessimus. qui in annum à nato Christo quadringentesimum & septimum incidit, jam nunc annos ea steterat centum & triginta duos: sin ab eo quod Patavium evertit Alaricus, sex duntaxat anni fuerint demendi: aut si denique & illis accedere lubet qui ad exædificatum in Rivo alto fanum D. Iacobo sacrum urbis originem referunt, anni sint supra centum undeviginti. Quasi vero qui sub Hesperio regno Dalmatas, Liburniam Istriam & Venetorum loca Procopius posuit, quique de

Con-

Constantiano narrare potuit, quod Dalmatiam Liburniamque omnem in ditionem redegerit, eodem ipso loco & tempore (hoc est id ipsum quod conjectura sua designat adversarius) non & Venetorum facturus fuisset mentionem, siquidem & ipsi sub Constantiani ditionem concessissent. Ridere vero hic Anonymum lubet, qui insolens Procopio putet & minuta sectari, cui nihil æque vel ad fastidium est frequens: sed enimvero liberum hic unicuique esto judicium. Si Bodino credimus, qui eum inter selectos recenset & magnum verissimi scriptoris argumentum præbere dicit, Ille, quæ ad historiam pertinet singula commemorat ac res quoque levissimas magno studio consectatur. Sed de his plus satis. Vt tamen planè Anonymo satisfiat, adscribere lubet ea quæ de incrementis primis urbis Venetæ testatur Laonicus Chalcondylas. *Apparet gentem illam (Venetam nempe) admodum esse vetustam, & nobiles Jones fortitudine & generoso spiritu longo intervallo post se reliquisse. habitaverunt antiquitus regionem vergentem ad sinum Jonicum & ab Illyrico in Italiam excurrentem Antiqui eos Enetos nuncupabant, postmodum Veneti dicti sunt. Profecti autem ex Epiro partim voluntate, partim necessitate subacti, ut quorum regio vastata esset ab Attyla rege, ut in majori securitate essent in posterum, Insulam quandam parvam & illustrem distantem ab continente quindecim stadiis, ædificiis occupare statuerunt. Initium ædificandi factum est à paucis Venetis in unum collectis. Deinde accessere quoque finitimi Epiro bellis graviter divexati. Vrbs autem illa usque incrementum sumebat ædificiis & legibus, cum Epirotæ plurimi non cessarent eo confluere. Crescebat quidem ea civitas mirum in modum disciplinæ sanctitate, cum eo accurrerent plurimi bonis legibus enutriti & plurimi virorum Epirotarum illustres eo advolarent, præterea si quis patria fortunisque omnibus pulsus vi hostili erat, huc gressus dirigebat. Vrbs illa incredibile dictu est, quam brevi opibus creverit & disciplina. Multi Græci & Romani nec non alij viri clarissimo genere exorti in patria usi haud satis pro-*

tis prospera fortuna aut ab civibus pulsi in hanc urbem congregabantur, filij existentes virorum illustrium qui regebant regionem haud infrugiferam. Post quæ omnia neminem fore credo qui non mecum aliter de origine deque incrementis Urbis Venetæ judicaturus sit, quæ quidem eo describenda judicavi prolixius, tum quod authores illi sint extra omnem suspicionis aleam, utpote qui præteritis vixerint sæculis, nec ullo partium studio laborasse dici possint, tum quod multotiens pro more suo nimis inclementer origini urbis Venetæ insultat Anonymus, cui per allegata hæc duo authorum loca; quibus & jungi possint, quæ superius ex Sigonia, Schardeone, alijsque supra citavimus, abundè responsum putamus. Quatenus verò conjecturam Anonymi firmet, quod ex quo tempore Constantianus Dalmatiam Liburniamque in suam redegerit ditionem, Veneti constanter Imperatorum partes sequuti fuisse perhibeantur, commodius sequenti §. tractabitur.

---

§ III.

Joannis, belli ducis sub Iustiniano factum, nihil demit libertati Venetæ. Silent leges inter arma. Nulla gens, quæ turbis bellicis non aliquando exposita. Immota Libertas Veneta semper stetit. Duces Justiniani à Venetis auxilia sumpsisse potuerunt. Socij à subditis distinguendi.

EXemplum Ioannis, qui sub Imperatore Iustiniano belli dux erat, seu potius allegata Procopij verba. *Ioannes per maritima loca extemplo dimissis qui in Padum ad trajiciendum exercitum, acates* (genus id est navigiorum, ciulos dixeris) *inferret*

ferret ad iter se præparabat: non probant quod adversarius intendit. Ipsum illud ducis factum nihil per se juris imperatori confert. Nec par necessitas est, de facto quam de jure despiciendi. Quanquam & si de facto despicere sit necesse spectanda sit temporum personarumque conditio. Silent leges inter arma, nec modo ut ait ille,

arma tenenti
Omnia dat, qui jussa negat.

Verum & ipsum adeoque jus,

Ius est in armis, opprimit leges furor.

Ex adverso nulla tam libera potensque gens fuit, aut etiamnum est, quæ non subinde militum trajectus, hospitationes, excursus, pabulationes aut his similia tulerit feratve, sed neque ex eo Ius illis ademtum aut his quæsitum dixerimus. Non ita in puncto, aut in acie, quod ajunt, novaculæ Libertas est constituta, ut quemadmodum inter hoc vel illud esse, & inter non esse hoc vel illud, nihil intercedit, inter rectum & curvum nihil est medii; similiter sicubi vel tantillum à Libertatis exercitio recedas, statim pronus in servitutem ruas. Laxiora hic dari spatia fateamur necesse est, dum inter mediorum, quæ inter utrumque reducta sunt inter cursu, modo ad hoc, modo ad illud extremum propius accedunt, sicut diversitatem quandam deprehendas quidem non tamen repugnantiam, qualia Libertati adversa si dixeris aut obversa, dum nec adsistit iis liber homo, nec resistit, omnia dixeris. Ac sane ingenue ut agamus æquitatemque uti, fas est, aliquanto sequamur solutius, quæ jam commemoravi, minimo minus abest ut libere fiant: mutatum quid in qualitate videri queat, in substantia ne hilum. Manent,

necessitate quodammodo exceptionem porrigente, cuncta quó fuerant statu. Tuta periculosis lubenter omnes anteponimus, utque præclare in hanc rem Tacitus[1], *Nemo est tam promptus in armis, qui non idem quietis pretium quod periculi malit.* Procopius ad hæc, ea unde desumta sunt, ecquid ad jussa ducis factum à militibus sit, quid & à Venetis (quorum ne nominis quidem meminit) ad imperium ab eorum parte præstitum fuerit, nihil explicat, sed ait Iohannem in via morbo fuisse correptum, qui utique rem omnem interpellaverit. Sed enimvero sit ita, fateamur agedum duces Iustiniani à Venetis auxilia subsidiaque sumsisse, demus & sumsisse ex Imperio, non inde sequatur tamen ea Venetis imperata, tanquam subditis: imo vero quantisper de subjectione non constat, statuendum ea ut fœderatis imperata ac socijs. Nulla cum Venetis Imperatorum fœdera memorari apud Historicos si reponat adversarius, & ego jure optimo de Venetis istorum temporum iteravero, quod de priscis Sigonius. *Nempe quo tempore victi sint à Romanis Veneti, aut omnino bello petiti, hactenus ex tanta annalium vetustate erui non potuisse.* Subjectionis (ut omnino nulla est) ablata causâ subeat quod jam ante à nobis evictum, vel illibatâ libertate in fœderatos imperium subsistere, nec non & in socios, coercitionem juxta ut in civeis, idque plenissimo imperandi jure. De socijs notatum quod & speciales sibi præfectos habuerint. Ita lib. hist. 6. Polybius. *Ubi cum Romanis etiam socij sunt congregati omnia inter illos administrant & disponunt viri à consulibus constituti, quos præfectos vocant numero duodecim. Hi ante omnia ex universo cætu sociorum qui adsint, consulibus appositissimos ad omnia, quæ virtute verâ egerint, equites peditesque seligunt, quos extraordinarios vocant.* Nemo tamen est qui non distinguat socios à subditis. His addatur, istiusmodi imperia, de quibus nobis hoc loco sermo est, cum non alio quam contra communem ho-

stem

ſtem intendantur, eo ipſo nedum ut jubjectionem inferant ſocietatem fœduſque (Græci ζυμμαχίαν vocant) valide arguere ſocietatem inquam æqualem utrimque ut & æquale fœdus, qual[illegible]fuit olim illud Locrenſe, de quo ſic Livius. *Locrenſibus juſſu Annibalis pax data, ut liberi ſuis legibus viverent, urbs pariter & portus in eorum poteſtate eſſent, ſocietas eo jure ſtaret, ut Pœnus Locrenſem, Locrenſis Pœnum bello ac pace juvaret.*

§. IV.

Potiſſima pars Libertatis ita vivere, ut velis. Totam Libertatem Venetam eſſe pluribus oſtenſum. Suum ſociis in ſocios imperium. Differt ſubditum eſſe, & præſtare, quæ præſtant ſubditi. Habuerint ne Veneti inſuper ſuam Libertatem? Fuerintne coacti Cæſarum imperia agnoſcere? Nihil adducit Anonymus, quo id probet. Voluntas quæ ſit. Actio libera, & minus libera, nec tamen coacta. Aliud eſt & coactum eſſe, & non eſſe ſpontaneum. Voluntas Venetorum in conſervanda ſua Libertate. Probandum Anonymo ſubſidia Imperatori data ultronea non fuiſſe.

SVpra libri hujus cap. 2. monuimus potiſſimam Libertatis eſſe partem ſic, ut velis, vivere, illumque & eſſe & dici liberum, qui ſe ipſo contentus, ex ſe pendeat, non ex alieno imperio atque arbitratu. Offert ſeſe ad hunc §. (quamvis & alibi paſſim) occaſio preſſius ventilandi, quo pacto verum ſit id quod nos aſſerimus, Venetos nimirum eſſe liberos, neque in definitionem deſcriptionemve Libertatis influere quippiam, quod non ex amuſſim in ipſos quadret, quodque

ex adverso hoc §. adstrui author Scrutinii ex Blondo aliisque Venetos imperio subditos fuisse. Qua de re deinceps verba facturus, fateor equidem, si verbum illud nomenque *subditi* præcisam parendi necessitatem induceret, talem nimirum, qualis est in servis, caussam me dicturum non fuisse, quo minus in Anonymi sententiam concederem. Sed enimvero demonstratum jam antea etiam suum sociis in socios esse imperium, socios autem ipsos eatenus quoque subditos dici. Accedit quod haud leviter inter se differant esse quem re vera, ac de facto alteri obnoxium, aut re vera obnoxius cum non sit, ea tamen præstare, quæ subditi facere ac præstare consueverunt. Erit & insuper operæ pretium ecquæ nam istiuscemodi præstationum caussa fuerit, ecquod principium, pervestigare, utique in suscepto themate, quo dilucide progrediamur, nihil ad eruendam veritatem æque profuerit, quam si hæc duo nobis consideranda ducamus, nempe voluerintne Veneti Libertate insuper habita, vivere in subjectione. Deinde num quid illi, quà præter, qua contra voluntatem fuerint adacti Cæsarum supra sese imperia agnoscere. Ac postremo quo id demum factum sit tempore. Quod ut constet despiciendum porro numquid actum aliquem adducat Anoymus sive à Venetis, sive ab Imperatoribus profectum, qui id lectori planum faciat. Cessat hic utique adversarius. Nos quò ne cessemus humanarum actionum principia si attendimus, fateamur necesse est, ut in homine, ita & in cætu hominum jure congregato, quem civitatem appellamus (eadem enim utrobique ratio) voluntatem esse, quæ se ipsa moveat, subijciat, nec non determinet, idque vi suæ Libertatis, consensu ac motu à semetipsa præditam, voluntatis deinceps actus (qui quidem ei correspondeant) esse non perturbatos: ipsam adhæc voluntatem non volendi duntaxat actibus includi (ipsum siquidem nolle aliud

aliud nihil est, quam velle hoc, aut illud non facere aut non fieri) sed quatenus voluntate quadam quidpiam renuimus volumusque illud quoque ipsum non velle, sub voluntate comprehendi. Atque hoc fortasse sensu Plinius in Paneg. non cogi, sumit, pro libere agere, dum inquit *beatissimum esse in principatu non cogi*. Ut ut vere non diffitear eam, quæ quid abnuit, voluntatem propriè non esse; ac nisi late sumpto verbo voluntatem dici posse, cum ex adverso, idque necessariò voluntas sit illa quæ aliquid assertivè vult; par tamen (ut suo dicetur loco) utriusque subjectionem quod attinet, est habenda ratio. Ab instituto non abeo. Omittamus, si lubet, illam quæ sese foras haud exserit voluntatem, deque ea sola quæ semet per exteriora signa videndam præbet, inque actum deduci patitur, sermo sit: est hic iterum indubium, ad hoc, ut voluntatis actus pro voluntario reputetur, volentis cum actione scientiam debere concurrere. Succedit actioni liberæ, secunda minus libera, nec tamen coacta sed proprie loquendo gravatè spontanea, vicina (neque enim id negari potest) actioni coactæ: Ad cujuscemodi actionum classem redigenda sunt illa quæ nobis pro ingrata temporum, circumstantiarumve quæ nos urgeant malignâ conditione, sic extorquentur, ut re vera magis id quod agimus velle, quam nolle deprehendamur: qualia ut flectere movereque nos possunt, ita plane cogendi potestatem non habent: manente nimirum immotâ voluntate ipsa, quæ sola verum est propriumque actionum suarum principium Vtrique istarum quæ opponatur tertia est, illa scilicet quam coactam dicimus, & ipsa Libera, sed respectu principioque diversis. Cogentem quippe si intuemur sunt ea, quæ à coacto proficiscuntur quam liberrimè voluntaria; ad coactum vero si attendimus, passio sunt, nec aliter actionis indigitanda nomine, quam & apud Poëtam pugna est,

Vbi tu pulsas, ego vapulo tantum.

Harum porro quæ prior est actionum, necessario nihil cum agat, agit liberè; si quæ necessaria sint (cujusmodi ad conservationem individui in homine sunt edere, bibere, dormire, &c.) facit quidem ea, sed sponte liberâ. Secunda, principium volendi ab externis si secernas, item operatur liberè. Si ad externa te convertis, hæret nonnunquam in libertatis coactionisque confinijs; ubi præeligendi facultas deficit, eligere, ac assistendi tantisper resistendique facultate suspensâ, velutque à se sequestrata, id quod possit velle contenta. Tertia denique, cum tota juris sit alieni, ducaturque ut nervis alienis mobile lignum, mutum est mereque passivum cogentis instrumentum. His ita positis etiam liquido constat; longe aliud esse coactum quid esse, aliud, quid esse non spontaneum. Clarius loquar. Coactum quod est, nunquam potest esse voluntarium, non spontaneum vero, subinde voluntarium esse potest, quatenus voluntatem designat, sed non plenam, minusque liberam. Ea propter ergo in Venetis liberam si considerare voluntatem lubeat, si quid animi ipsis fuerit, attendere dubium non erit, quin jam tum à principio non minore voluntatis impetu ad amplectendam servandamque libertatem fuerint accensi, quam vel rationis expertia totis istud curare viribus animantia deprehendimus. Si liberæ voluntatis actum requirimus, nemo utique sanæ mentis credat (ut id è præcedentibus repetam) homines, qui lares, focos, aras, divina, humana cuncta, quo se servituti subducerent, deseruere, inque vacua recepere, cum jam tunc liberi essent, suique juris, alterius esse voluisse. Qui rebus ita ferentibus fecisse eos nonnulla dicere volet, quæ sua sponte facturos fuisse non sit præsumendum, quænam sint illa necesse est ostendat, quo judicare

care liceat, ecquid ea, quatenusve à libertate declinent; durus interim humanæ conditionis æstimator ipse, si quidem isto nomine ipsorum libertatem nititur convellere; quam sane parum admodum sese nosse ipsemet prodat, qui liberum, ut notavi, volendi principium ab extrinsecus gravante caussa non discernat; durior etiamnum, si, quæ à necessitate aliqua profecta sunt, ilico ad coactionem (perinde ac si non sint ea separata, atque inter se discrepantia) velit translata.

Ego vero quandoquidem illa, quæ subjectionem refugit voluntas, alio probari nequit modo, diutius ei non immorbor. Præclare Seneca, *Si scire vis an velim, effice ut possim nolle.* Præstitum id mihi; cum jam ante, tum hoc ipso, per ea quæ dixi, loco. Poterant utique sese in paludibus suis continere Veneti, quos ut Barbaros propulsarent, ut laborantibus sese Italiæ rebus permiscerent, qui adigeret, erat nemo, &, ut ut quam maxime fuisset, protegebant illos incerta vadorum, nec ulli temere superanda paludum uliginumque vastitas: sunt tamen illi, quacumque potuerunt ope, suam versus afflictos pietatem testati, nimio polluendam, si libertatis ea dispendio pensari commeruit. Verumenimvero cum ex libero servum, & vice versa ex servo liberum enuntiativa Historicorum verba neminem faciant, neque adhæc de verbis sit laborandum, ubi ipsâ, rerum evidentiâ quod asseris evincendum est, probandum adversario, quæ id temporis adversum Gothos auxilia Veneti tulere, ultronea haud fuisse, nec & socialia, verum (quod ipse nobis persuasum cupiat) Imperatori vel in tantum debita, ut nec citra majestatis imminutionem detrectari, inque recusantes ipsa majestas insurgere jure potuerit, armarique: probandum denique Venetos etiam ipsos (postquam de subjectione ultronea non liquet) ab Imperatore coactos, illius

illius supra se imperium agnoscere. Hæc illi in animo est à violentis arcessere principiis, si Venetorum in vicinos pietatem servitutis damnare, in antecessum sciat oportet, ad hoc, ut actio aliqua omnino coacta dici possit, plenissimè requiri, non duntaxat modo ut principium actionis consistat extra apentem, pariterque ut externa illa principia cogant per vim: sed & sibi deinceps probandum fore, quæ non minus in subjecto casu, quam præcedentia illa desiderantur, Venetos, quo eos tempore cogebat imperator, assensum non modo ullum istiusmodi præbuisse coactioni, sed eam omnibus viribus enixissime coactionem aversatos. Hæc ille si è fide dignis scriptoribus probare potest, vinci me patiar: id vero cum perinde sit ei pronum factu, quam si digito (quod ajunt) cœlum tangat, non admittam sane illud mortalium optimis, improbisque vel eo usque conjecturis indulgeri patiar, ut quæ tam duris temporibus, rebusque in arcto constitutis adversus Barbaros, pro vicinis suis, imo universa Italia imperioque Romano, cordate, fortiter, piè Veneti gessere, servilibus ministeriis accenseantur. Senecam potius audiamus. *Quæ alio præstante beneficia dicerentur, servo præstante ministeria sunt, beneficium enim id est quod quis dedit, cum illi liceret & non dare, servus autem non habet negandi potestatem, non præstat sed paret, nec id se fecisse jactat, quod non facere non potuit.* Et paulo post. *Vis scire quando sit beneficium, ubi dici potest, quid si nollet? ubi vero id præstat quod nolle licuit, voluisse laudandum est.*

---

§. V.

Tractus maritimi à continente separandi. Male hoc dissimulat Anonymus. In terra continenti regionis Venetæ, nec non in tractu maritimo quædam direptionibus hostium

hostium cessere. Venetorum urbs non occupata. Loca Procopij quædam excussa.

COmmonui jam ante, mala fide ab Anonymo dissimulari, etiam classicos authores, diversam terræ apud Venetos continentis, oræ maritimæ, ipsiusque adeo urbis Venetæ rationem habere, quotiescumque generalis aliqua eorum mentio fit, ac proinde & recte facturos dixi, idem si observandum nobis ducamus. Quam meam hac in re opinionem luculenter adstruit, cum hic ipse quem nunc è manibus deposui, tum alter ille ad quem progredior in Anonymi discursu paragraphus; estque hoc loco adversarius vel semet judice in errore (sequius ne quid dicam) multum claro. Quum enim dicit Venetos à Pado ad Istrum totam maris oram accolentes, sub fide imperii fuisse, satis si quid iudico, fatetur non posse illud prædicari de terra continente. Ejusdem farinæ est quod recenset ex Procopio Iohannis Vitaliani f. datum Narseti consilium, ut secundum mare iter faceret, cum suæ ditionis essent homines, qui maritimam oram incolerent. Ex adverso quod dicit de oppido apud Venetos munitissimo, à Belisario una cum Tarvisio in ditionem redacto, continentem spectat. Sane Tarvisianorum montium, de quibus est apud Plinium *lib.* 3. *c.* 18. qui recordatur, facile concedet non fuisse id oppidum maritimum, sed in continenti situm. Similiter ubi ex eodem Procopio Anonymus citat Francos concertatione partium usos, ex utrorumque bonis crevisse, eosque, cum Gothis pauca Venetorum oppida remansissent, nec non & maritima quædam Romanis loca, cætera suæ ditionis fecisse, cui non appareat evidens tractus maritimi à continenti separatio. Vt tamen & hac in parte lectori satisfiat, ore Diaconi loqui lubet. ait ille *lib.* 2. *c.* 14. *Venetia non solum in paucis insulis quas*

nunc Venetias dicimus, constat, sed ejus terminus à Pannoniæ finibus usque Addnam fluvium protelatur. Probatur hoc annalibus libris, quibus Pergamus civitas legitur esse Venetiarum. Nam & de Benaco lacu in Historiis ita legimus. Benacus lacus Venetiarum, de quo Mincius fluvius egreditur &c.

Hujus distinctionis accensa luce facilis quoque est responsio ad ea loca, quæ hoc §. Anonymus allegat, posse nimirum ex illis adstrui fortassis, in terra continenti regionis Venetæ, nec non in ejusdem tractu maritimo Gothorum, Romanorum ac mox quoque Francorum direptionibus quædam loca cessisse. Ipsam vero Venetorum urbem, quod hic probandum foret, occupatam, direptam, subjugatamve fuisse, mihi sane ex illis haud probatur. Illud subjungam non satis ingenue ab adversario citari Procopiana, ac perperam quoque corrigi. Quæ ille è lib. 3°. allegat sic habent Φράγγοι δὲ Βενετιῶν τὰ πλεῖστα σφίσι προσεποιήσαντο οὐδενὶ πόνῳ. Non verisimile hic lapsum interpretem, ac cum *nullo labore* ponere deberet, posuisse *nullo jure*: neque enim (quod quidem ego didici) Græcis *jus* idem sonat quod *labor*. Alterum quod attinet locum, quem ille ex libro quarto ejusdem Procopij nobis citat, in eo utique vertendo, plane nullum interpretis est erratum. Clara sunt quæ de Theudiberto Francorum Rege ibi habentur verba, quibus ille τῶν Βενετιῶν τὰ πολλὰ οὐδενὶ λόγῳ ἐς ἀπαγωγὴν φόρου ὑποτελῆ ποιησάμενος dicitur, quo loco verba ista οὐδενὶ λογῳ æquè parum interpretari liceat *nullo labore* atque altera ista οὐδενὶ πόνῳ *verbis defectum juris significantibus* explicata queritatur. Nullus ergo hic correctioni locus. Neque pol ego quo pacto sese hic excusaturus sit Anonymus assequi possum. Demus voluisse, non potuit tamen non videre verba ista οὐδενὶ λόγῳ utpote quæ immediate præcederent, imo & pars essent illius, quam ipse (eâ proculdubio causâ) non totam allegat periodi. Maligni sit improbi-

probique, cum sciamus aliena invadentibus, omnia eorum, qui valentiores sint, reputari ipsumque jus ab armis peti; historici non justam invasionem damnantis epiphonemate suppresso, illiusmet verba, contra veri fidem ac significandi usum, in sequiorem sensum velle distorta; pejus etiamnum, si nulli id velis bono, nisi ut vel hoc saltim modo calumniæ vela laxare liceat. Ast quid aio? quos impetere Anonymus satagit, Veneti sunt;

Queis si non aliqua nocuisset, mortuus esset.

---

§. 6. 7. 8.

Anonymi vanæ insultationes. Loca ex historia Iustiniani discussa. Libertatem non imminuit sociorum in socios imperium. Fides Veneta in socios. Narsetis historia excussa. Omnia Libertatem Venetam spirant. Ab exstructa Venetiis æde frustra deducitur subjectionis argumentum.

REm magnam se præstiturum Adversarius existimat, si cui persuaserit sese non externis modo, verum petitis quoque è scriptis eorum, quimet ipsi Venetijs nati sunt, argumentis authoritatibusque, quam sibi convellendam sumsit, Venetorum Libertatem destruere atque evertere posse. Hinc est quod ille hoc § in allegatis à se ex historia Iustiniani locis tantum sibi præsidii ponat, tantumque placeat ut parum esse putet, quod turgidis planeque tragicis exclamationibus intumescat; nisi Venetis insuper insultet atque illudat quoque. Erit tamen ut spero probatu facile, ipsum hoc loco, quod fere semper facit, triumphum canere ante victo-

 riam

riam, sed enimvero in uno Iustiniani testimonio quandoquidem ipsi visum est acquiescere, sequar antecendentem, atque ut ut non desint aliunde, quibus appositè responderi ad objecta possit, æque tamen ac Anonymus unum modo illius pro me testimonium citabo. Illud in antecessum præfari liceat: Scripsisse Iustinianum Latinè ac à Ludovico Dominico versum in vernaculum, neque exemplar Latinum nancisci hactenus me potuisse. Hujus ne sit nescius, quicumque hæc nostra lecturus est, velim: quo ne candorem meum, ejus ignarus in dubium vocet, sicubi nec eadem, nec eodem contextu posita deprehendet verba, quæ ex illo sumus allegaturi. Id vero sanctè quoque polliceor annisurum, ut quæ nobis pro firmanda sententia nostra citari erit necesse, ab auctoris instituto ac genuino verborum significatu omnino ne recedant.

Primum ergo quod adfert est. *Venisse ad Narsetem frequentes Oratores ejus oræ populorum, imperata facturos.* Alterum deducit ex illa, quam Patavini Venetis movebant lite. Nimirum hoc ipso quod de causa Narses cognosceret Venetorum subjectionem validè probari putat, ac Venetos præterea, suo ad Patavinorum objecta responso non obscure fassos, sese iis quæ jam tam retro effluxerant temporibus, Gothis fuisse subditos, seseq; Gothis Italia pulsis, aut mox pellendis, ad Imperium Romanum, cujus sequela ac quasi quædam pars sint, spectare. Quod frequentes adfuisse dicit Oratores ejus oræ populorum imperata facturos, quando non dicit illos qui aderant Venetos fuisse, non est quod nos moretur, illud vero nec ipse quidem dixerit. Constat utique ex Iustiniano Oratores illos missos Venetias istuc nimirum loci, dum ad sua retrogreditur paulisper subsistente Narsete. Ast qui! non ut apud populum sibi subditum (ne cui id imponat) sed videndæ novæ urbis studio, quam & suo in

illam

illam introitu cohonestare volebat, cuique & insimul sciebat se pro fideli adversum Barbaros operâ navatâ gratias habendi reum. Quod adfuisse ait imperata facturos; id vero mirum non est, erat enim belli inter ipsos societas, & in hostem communem auxiliorum in vicem amica communio. Viderant jam ante Veneti sese nisi prius diversi esse desijssent, diversos pugnare non posse, ac quo ne vincerentur universi, dum pugnarent singuli, opus esse belli duce. Cui vero novum turbatis & ad bellum spectantibus rebus unius ductu, auspiciis, imperio cuncta regi? Polibium modo Thucididemque qui legit, animadvertat satis, libertatem singularum Peloponnesi civitatum non minuisse quod pondera, mensuras, numos, magistratus, judices eosdem, etjam quod longe majus est, leges haberent easdem, ita ut re vera si quando inter sese colligatæ essent contra hostem communem quo minus unius urbis speciem præ se ferrent communia duntaxat abesse mœnia viderentur. Quotiens Homero Rex regum Agamemnon est, ac quam sæpe ille pro imperio, planeque παν6α(ιλικῶς agit? At vero quis (belli societatem si excipias) Vlissem, Diomedem Ajacem cæterosque regeis ejus imperiis obnoxios fuisse dicat? Vtique nemo. Sed & ingeminatum nobis jam ante, Libertate salvâ, sociorum quoque in socios imperia ferri. Vnde quoque constat neutiquam id unum sufficere, quod adfuerint imperata facturi, nisi etiam subditos illos Narseti fuisse probaverit, utique taleis, præsto ad imperium adfuisse. Tantum vero abest illud ut probet, ut ex ipsa rei gestæ veritate contrarium omnino manifesto deprehendas. Iustinianus sane quantumvis ait adfuisse frequentes ejus oræ populorum oratores nominatim nullos enumerat, neque ullam prorsus aliorum, quam qui Patavio missi fuerant, mentionem facit, Patavinos imperio Romano obnoxios haud

fuisse vivis ni fallor rationibus jam pridem demonstravi. Illis nunc & Iustiniani accedat authoritas, quam tunc ut commodiori loco servandam, omisi consulto, quod in eo probando testimonium illius ut Veneti scriptoris defugerem: id ipsum ut inpresentiarum faciam necessitas non est, cum & in hoc ipso eum exemplo approbet Anonymus, semelque approbatum frustra sit reprobaturus. Ait ergo illos, postquam ea quæ facerent suæ in Romanos fidei demonstrandæ, essent exsequuti acriter de illata sibi à Venetis injuria questos. *Fidem* dicit non *obsequium*. Subditis, ut ait ille, obsequii gloria relicta est, sociorum propria est fides. Si quis id voluisse addubitet, Audiamus Patavinos. *Semper* (ajunt illi) *ô Narses summis Romanorum nomen honoribus prosequuti sumus. Testantur annales nostri, rebus ita ferentibus* (adversum Lacones, de quo Livius, Gallos, de quo Polybius, Antonium, ut citavi jam ante ex Philipp. 12.) *centena & quod excurrit militum millia a Patavinis auxilio Romanis fuisse submissa, ac pro tantis in Remp. benefactis jure civitatis ac ferendi suffragij donatos majores nostros*, &c. Item, *Haccine amici Romani nominis experiamur, quæ ne inimicis obventura sint?* Item, *Bello accingeris, cujus quæ tibi, eadem nobis, ac communis omnino utrimque causa.* Quid quod & sermonem suum non alio claudunt argumento, quam quod sese ut antiquissimos, ita & fidelissimos P. R. socios vocent? Ex altera parte Venetos audiamus. *Centum* (ajunt illi) *imo & plures nobis literæ sunt à Zenone, Leone, Justino, Iustiniano ad nos datæ; judices illæ testesque nostræ versus imperatoriam Majestatem observantiæ ac fidei, prolixæ item ipsorum erga nos liberalitatis, nec non & clementiæ.* Testantur ibidem Narseti *arma se illi ferre socia.* Item *totis se animi viribus ad tuendum imperii decus propendere. Hoc ipso* inquiunt *cui te paras bello fidelissimos ac constantissimos nos experturus es socios.* Orationem illorum similiter plenum generosi spiritus effatum claudit, sese nimirum haud eo quod imperatoriæ

ratoriæ

fatorię majeſtati ſatisfacere teneantur, quodque Narſetis gloriæ velificari velint, aut ſibimet etiam ipſis deeſſe nolint hæc offerre; *fidem noſtram duntaxat* (inquiunt) *apparere volumus animiq; magnitudinem, quam non verbis modo ac facultatibus, verum corporibus quoque ac ſanguine etiam noſtro ſancire atque anteſtari parati ſumus.* Nemo ſanæ mentis verba iſtiuſmodi ab iis prolata judicet, qui (ſic nempe alienis obnoxios imperiis Tullius deſcribit) *nihil imperanti negare poſſint, nihil recuſare audeant, queis ſi poſcit dandum ſit, ſi ejicit abeundum, ſi vocat veniendum, ſi denique minatur extimeſcendum.* Prolata ſunt tamen ac fidenter adſerta, tanto duci, non bellicoſo modo, ſed victori imo & armato ac in media urbe verſanti. Notum Demetrii ad Athenienſes monitum Leonem intra muros ne admitterent. Studio prætereo, inter ancipitia rerum metuendos quoque fuiſſe Patavinos, quos habebant jam tum ſibi infenſos Veneti, ac ſi vel tantillum inclinaſſet Narſes, hoſtes etiam manifeſtos, certo certius erant habituri. Spirant igitur hæc cuncta Liberatem ut ſolido ſubnixam ſuique ſervandi conſtanter tenacem, ita & grata benefactorum recordatione ab injuria tutam ſtabilemque; & in majus indies provehendam. Ipſam illam tantis Venetorum pro ſalute imperii ſtudiis, tanto illorum pro illius incolumitate affectu, tanto ardore, vel leviter libatam imminutamque velle, Narſeti non turpe modo fuiſſet ac probroſum, verum nefas quoque, imo & ſacrilegium.

Putida porro ſunt illa quæ in ſubjectionis argumentum trahit, quod coram Narſete ut Iudice, dicta ſuperius cauſſa ventilata ſit. Sane nec ordinariam ille juriſdictionem habebat in eos, neque quod ſciam delegetam: Vnde mirari quoque ſatis non poſſum, cur tam operoſus in eo enarrando ſit Anonymus, cum ſciat miſſum ab Imperatore Narſetem, belli gerendi, non Iuris dicundi gratia. Non inficior utique

coram

coram ipso querelas suas instituisse Patavinos, & ad illas respondisse Venetos, sed tamen ipsi pro eo, quo præditus erat imperio, ex semetipso nimirum ac quatenus unus erat Iustiniani ducum, competiisse potestatem terminandæ litis, & jus etiam in invitos dicendi facultatem, illud ego equidem nego. Sed neque novum videatur cuipiam, exsurgente inter vicinas liberasque civitates jurgio sibi-met ipsis jus dicere cum nequeant ac nec aliunde dependeant, deferri ad arbitros cognitionem caussæ, potius, quam ut eam dubii Martis arbitrio decidendam committant. Ne privati quidem extrema primo loco tentent, nedum illi, quorum ut caussa publica est, ita & successus qualiscumque demum ille fuerit, non potest non esse publicus. Præclare ut omnia Grotius *ubi judicia desinunt bellum incipit lib. 2. c. 1. de belli ac pacis jure.* In legendis arbitris, summam aut spectatæ virtutis aut animi æqualitatis, aut denique gratiæ rationem haberi videmus. Adeo fere semper, disceptaturi eos sibi arbitros legunt, quos aut benefactis, aut aliqua ratione sibi æquiores fore præsumant, aut saltim non adversaturos. Qualis vere inter Venetos ac Patavinos Narses fuisse credendus est, apud quem è contextu rei gestæ facile desumere est, utramque partem gratia potior ut esset pro virili annisam fuisse. Fuerit ergo Iudex, aut (qui Iudici æquatur) inter parteis arbiter, Narses, non fecerit tamen adversarius ut ulterius quam ad illum ad quem prorogata est actum, sese jurisdictio exporrigat: finiri porro atque evanescere actu consummato jurisdictionem istiusmodi nulli est dubium; ut & hoc notum ex ante dictis, actum ipsum non aliunde quam ab agentium utrimque voluntate dimetiendum. Absit autem ut eam aliam dicamus fuisse, quam ut medium sese Narses vellet interponere, ac litem motam componere. Neque enim credibile est, quà Venetos, quà Patavinos arbitrum legendo propu-

diosè

diosè à se Libertatem suam abdicare, & in insolitas sibi ad ea tempora servitutis leges convenire voluisse. Addo & hoc, repertum hactenus neminem, qui statueret, quæsitum etiam alias de semetipso Iura majestatis habenti, summæ ex eo potestatis jus, quod consensu partium, in Iudicem electus fuerit, ac pro facta sibi à litigantibus potestate lites diremerit. Ortâ inter Lusitanos Castellanosque super navigatione maris Indici controversiâ, Alexander VI Pontifex medium sese certantibus interposuisse legitur. At vero hactenus Lusitaniæ Castellæque regibus hoc ipsorum facto ademptum jus aut in pontificem translatum, nemo doctorum asseruit, non magis utique quam senatui Parisino quæsitum jus in Castellæ Lusitaniæque reges dixit quispiam, quum illi percussis inter se fœderibus ea non prius rata voluere, quam à prædicto senatu sancita fuissent ac valvis apertis promulgata. Ne quidem Anonymus dubitet explosissimum futurum fuisse, qui summum in Imperatorem pontificemque imperandi jus eidem Parisino senatui hoc nomine vindicare atque asserere fuisset aggressus; quod ex annalibus doceamur Fredericum secundum controversias, quæ ipsi cum Innocentio quarto super regno Neapoleos erant, ad eundem judicandas detulisse. Ast inquit Anonymus provocati à Patavinis Veneti judicium Naisetis non diffugiunt, incompetentiam judicis non allegant, imo vero in judicem agnoscunt, quin etiam ex ipsa Venetorum oratione colligas quod vixisse sese pridem Herulorum regi Odoacri ac post ipsum cæteris Gothorum regibus obnoxios plane non diffiteantur. Allegat & hæc è quibus id colligi putat verba, *Quæstine estis unquam de hac injuria apud ullos? Si nunquam, videte quo pacto vos explicetis, qui dixistis sæpe quæstos. Si questi aut apud Gothos aut apud Herulos aut Imperatorem. Si apud illos, spretus ergo imperator, & antelatus Gothus; Quod si est cur nunc appellatis imperium? Si apud Imperatorem, quod*

sæpe fecistis, exauditine unquam estis, an vero repulsi, exauditos non dicetis. Hactenus Anonymo citante Iustinianus.

Ad utrumque ordine ut respondeam, haud nego, incompetentiam à Venetis allegari debuisse quod dicit, verum fuisse futurum, si quid Narses inchoare voluisset, per quod iniqua Venetis inferri potuisset conditio, quodve in imminutionem præjudiciumve juris ipsis quæsiti devergeret. At nihil hic tale, non ingessit se partibus pronuntiaturus se competentem si declinare alterutra, aut judicem agnoscere detrectasset, sed vacivas duntaxat (ita Comicus loqui amat) aurium ædes præbuit litigantibus, cum hinc ad causæ notionem deferrent Patavini, Veneti ab altera parte tantum bonitati caussæ suæ fiderent, ut vel paratos sese testarentur illam judici etiam non suo terminandam permittere. Non obtendam ego hic in aliena à forensibus velitationibus hæc incidisse tempora, ac neque cuipiam temere persuasum iri Venetos, quos commune Italiæ discrimen plus satis exagitabat habebatque exercitos, de quærenda probandaque exceptione quâ Patavinos repellerent a limine judicij, multum fuisse laboraturos. Sufficerint quæ de prorogata Iurisdictione notasse memini, nempe etiamsi prætori in prætorem, consuli in consulem nihil sit juris, solere tamen prætorem in eos qui sese Iurisdictioni subjecerint de Iure decernere, *recepto* (ut textus ait) *jure si major aut æqualis alterius sese Iurisdictioni submittat, ei & adversus eum jus dici.* Absurdum plane & ab omni ratione dissentaneum est quod ex allegato Iustiniani loco conatur elicere. Repetat si tanti est benignus Lector, quæ superius à me demonstrata sunt, nuda assertione illius, qui se alteri obnoxium dicit, fatetur imo & pro tali gerit, statum liberi hominis immutari non posse aut conditionem, quæ primavæ Libertati repugnet, probari; inveniet ut spero, ex iis quæ ibi dicuntur ut facile, ita & per allegatas à me autho-

tho-

thoritates legum firmum ad hanc adversarii objectionem responsum. Subjungam porro, si quæ Patavinis Veneti interrogatione facta objiciunt eum ad modum, ut facit Anonymus, interpretari liceat, optimo me jure, atque eâdem omnino ratione, argumentum ei contrarium formare posse. Ajunt illa ipsa oratione Patavini detulisse sese multotiens super ea quam Narseti exponunt caussâ, querelas suas ad Gothos, expresso nominatim Theodorico illorum rege, eas vero insuper habitas dolent, eoque instantius Narsetem urgent, testanturque, mirum non esse, siquidem ipsi amici P. R. qui essent, ab inimicis nominis Romani non sint exauditi. Ego sane caussam non video cur & mihi dicere non liceret Gothorum reges eo quod scirent Venetos Patavinosque ad imperium jurisdictionemque suam haud spectare, querimoniis ipsorum deferre noluisse, seque alienæ rei, ac ad se non pertinenti immiscere. Sed enimvero agendum candidè, & ubi de mente loquentium constat ab ea recedere, nefas est. Certum est igitur atque indubium, prædicta, in oratione Venetorum, haud alio esse directa, quam ut à Patavinis laudem illam, suæ erga Romanum nomen observantiæ, quam magno verborum apparatu sibi arrogabant, quantum potecismoverent. Huc spectant illa verba quæ spretum Patavinis imperatorem, & antelatos Imperatori Gothos arguunt, spectant & illa quibus bene de Romano nomine promeritos Patavinos negant, & cum nulla quæ à semet ipsis profecta sint in Remp. Romanam benefacta enumerare valeant, aliena crepare, in os exprobrant, faciuntque illa denique quæ ex adverso de affectu suo Veneti studioque & officiosa in Imperatorem voluntate Narseti edisserunt. Quisquis utramque modo apud Iustinianum orationem legere volet, haud aliter allegata verba intelligi aut posse aut debere; mecum scio judicabit; ac prorsus malignè captata distorta-

ſtoitaque ab Anonymo loquentium verba, & cum verbis mentem (verum modo amet) ingenue fatebitur.

Quod dicitur ex Diacono Narſetem univerſos Italiæ fines obtinuiſſe, Item cum, univerſam Italiam ad Reipub. jura reduxiſſe, reſponſo non eget: ſumus eo labore jam ante defuncti, ac ſatis, ni fallor, ſuperque oſtendimus, verba quantumcumque univerſalia ac præciſa, interpretatione congruâ explicari debere, diximus item pro interpretatione congrua haberi illam non poſſe, quæ aut veritati rerum geſtarum adverſetur, aut jus tertij lædat; ac denique quam exacte utrumque illud in propoſita nobis materia attendi penſarique æquum ſit, abunde monſtravimus.

Poſtremum denique quod ab extructa Venetiis æde divis Theodoro & Geminiano ſacra, ſubjectionis contexitur argumentum omnino enerve eſt: Ait non facturum id fuiſſe Narſetem niſi in loco ſibi ſubdito. Nihil ex adverſo prohibet quo minus id factum ſit in alieno. Eſt quidem inædificatio inter acquirendi rerum dominij modos à gentium jure introductos; ut tamen illa, una cum Dominio ſoli, juriſdictionem quoque conferat; in loca jam ante inſeſſa alterique poſſeſſa, non modo non eſt juris gentium, ſed nec ullius. Seſqui ſæculum & quod excurrit, jam effluxerat à primâ Venetorum urbis origine, cum demum ædificari cœptum illud, de quo ſermo nobis eſt, fanum. Quis hic in vacua Narſetem veniſſe dicat, & occupanti ceſſura? Longe ſimilius eſt vero, ſui in Venetos affectus, inque divos pietatis, illum voluiſſe μνημόσυνον exſtare. Quoniam vero ex illo ducis facto, jus aliquod imperii ſibi fingit adverſarius, videamus quale id ſit, ac quidem ut exiſtimo, nemo eſt quin videat nihil inde juris ulterius exſurgere potuiſſe, quam ut naturali ratione, ædificium ei cui inædificatum eſſet, ſolo cederet, eo deinceps jure cenſendum quo cætera

quæ

quæ divinis ministeriis dicata sunt. Summum quod ex hac ædificatione inferri possit Anonymo si demus, nempe nullius in solo ædem extructam; cesserit ædi solum, *l. in tantum ff. de rer. divis.* sed neque quid, ultra illud. Sin vero (quod sane veritati omnino consentaneum est) habebat jam nunc solum illud dominum suum, exigat utique eadem naturæ ratio, ut ædem solo cessisse dicamus, præsertim si cum nosset solum illud ad se non pertinere, sciens in alieno ædificaverit: quo casu donandi animum in ædificante jura præsumunt, & nihil æque esse naturale dictitant quam ratam haberi voluntatem domini rem suam alienare, & in alium transferre volentis. Sed nec quempiam fore puto, qui circa hoc factum non animadvertat, gratum obvenisse Venetis insigni opificio urbem suam decorari, ac ut fere semper acceptissima sunt nobis munera, quibus suum est ab authore pretium, quam pronis illos animis tulisse insignem bello ducem, amantem nominis Veneti, & flagranti apud imperatorem gratiâ urbis feliciter adsurgentis decori splendorique de suo etiam quid voluisse superaddere. Mirum sane est Anonymum, qui toties pro se authoritatem Blondi citat, non animadvertisse idem illum judicare atque ad exornandi urbem in Narsete studium & reddendas pro latis suppetiis gratias factum referre. Ait ille loco quem & superius citavi, *primus externorum Venetiis exornandis attulit adjumentum Narses Eunuchus Patritius primi Iustiniani imperatoris, copiarum adversus Gothos in Italiam missarum dux, qui quum Veneti eum traducendis à Tarvisio Ravennam copiis navigio juvissent, postquam subegerat Gothos, Ecclesias sancti Theodori & Geminiani in capite Broly Venetiis ædificavit.*

§. 9.

Quæ de Aquilegiensi Patriarcha Gradum confugiente, Gradu autem insula Exarchis Ravennatibus subdita, ab Anonymo dicuntur, solide excutiuntur. Exarchis Gradus subdita non fuit. Smaragdi historia explicata. Aliud Exarchus, aliud Patricius. Patricij qui sint. Effrenis Anonymi vecordia. De regimine sæculari, non Ecclesiastico, instituta hæc disputatio.

DEvenit ad Logobardorum tempora author Scrutinij, quos cum neque vi neque jure sibi Venetos obnoxios reddidisse adseverare aut possit, aut audeat, imo vero etiam fateri cogatur, illos in penitiora tractus Veneti loca sese penetrare non potuisse, eo quod navigijs destituerentur; petit è longinquo nonnulla, quibus thesin suam firmet, eaque ipsa remota adeo, ut magis de mente argumenti, quam de solido ad illud responso sollicitum me habuerit. Sententiam illius si quidem satis assequor, hoc vult. Aquilegiensem Patriarcham metu hostium Gradum confugisse, Gradum insulam Ravennatibus exarchis fuisse subditam, ac proinde Cæsaribus: ac cum sit in confesso Gradensem Episcopatum ad rem Venetam pertinere, nulli quoque dubium esse posse, quin ex eo recte colligatur inferaturque ipsosmet imperatori subditos fuisse Venetos. Quam recte hæc omnia, quamque verè, agedum videamus. Quod de Patriarchæ fuga è Diacono allegat verum est. Negari item non potest Gradum esse ditionis Venetæ, ac nec ei contradico, quod de Ravennatibus exarchis Imperatori subjectis commemorat, nego tamen exarchis Gradum fuisse subditam

tam, quæque porro ex illa, quam sibi imaginatur, subjectione infert consectanea. Recumbit ergo in adseverantem probandi onus. Hoc ipsum cum nec effugere se posse videat, exemplum adfert Smaragdi cujusdam Ravennatis patricij, hunc ait Ravennâ Gradum sese contulisse, atque ibi pro libitu cuncta tractasse. Respondeo breviter, ex illo quem pro se allegat Diaconi loco non liquere, Smaragdum illum, de quo ibi sermo, Ravennæ fuisse exarchum (quanquam fuisse pro comperto habeam.) Aliud Exarchus est, aliud Patricius. Docent nos instituta Iuris, tit. de adopt. ita dictos patricios, quod ab Imperatore in patrem legi solerent, essentque quasi patres ipsius Principis. Sic apud Zozomenum Eutropius Imperatoris Eunuchus ὑπάτε καὶ πατρὸς βασιλέως ἐπ' ἀξίᾳ ἐτιμήθη, & apud Zonaram ipsa Imperatoris mater, Zoste (dignitatis id nomen) & patricia creatur. Præterea quod adfert de Smaragdo illud omnino est facti, atque etiam talis, ut manifestam præ se violentiam ferat. Ait enim Diaconus illo, quem Anonymus allegat, loco, Heliæ Aquilegiensi Patriarchæ Severum successisse, & regendam suscepisse Ecclesiam. *Quem*, inquit ille tamen *Smaragdus veniens de Ravennâ in Gradum per semetipsum è Basilica extrahens Ravennam cum injuria duxit cum alijs tribus ex Histria Episcopis, id est Iohanne Tarentino & Severo & Vindemio, nec non etiam Antonio jam sene, Ecclesiæ defensore, quibus comminans exilia atque violentiam inferens, communicare compulit Ioanni Ravennati Episcopo trium capitulorum (supplè Chalcedonensis concilij) damnatori, qui tempore Papæ Vigilij vel Pelagij à Romanæ Ecclesiæ desciverat societate. Exempto vero anno à Ravenna ad Gradum reversi sunt, quibus neque plebs communicare voluit, neque cæteri Episcopi eos receperunt. Smaragdus Patricius à Dæmonio non injuste correptus successorem Romanum Patricium accipiens, Constantinopolin remeavit.* Hactenus ille. Queis perlectis alij quid judicaturi nescio. Ego sane effrenem Anonymi vecordiam demi-

demirari satis non possum, quem è factis tam alienis ab omni jure, simulque ab authore, qui vivus etiamnum Dæmonibus in prædam cessit, ac sacrilegiorum a se patratorum pænas dedit, argumenta sua non pudet mutuari. Est hoc si quid unquam

Flectere cum nequeas superos, Acherunta movere.

Execrandum remedij genus & Paganis dictum, morbo sanitatem debere velle: at quo demum nobis habendus est loco, qui jus ipsum justitiamque summa humani generis bona, vastissimis injuriæ violentiæque barathris debere velle pudendum haud putat. Quod porro Cardinali Baronio notatum commemorat Anonymus, Gradenses Episcopos exortis in Ecclesia dissentionibus ad Ravennates exarchos ut plurimum deflexisse, Aquilegienses vero ad Longobardos convenire solitos; planè ad rem non facit. Sermo nobis de regimine Ecclesiastico, ut jam dici cœptum omnino non est, aut de ulla prorsus Episcoporum inter sese subordinatione, neque video ad ea, quæ tractamus ullatenus spectare qua versum illi, si quando sævientibus schismatum malis durius haberi premique sese viderent, concedendum sibi judicaverint, una duntaxat nobis de subjectione, temporalem quam vocant, est controversia. Hanc Anonymus si probare sese posse confidat, hæc duo demonstret necesse est, fuisse Gradenses ullo unquam tempore imperatori subditos, ac fuisse etiamnum tales, quo tempore eorum insula cum urbe Venetorum coaluit, parsque illius fieri cœpit. Accedit quod etiamnum tota illa caussa alterius fuerit fori, neque actum sit unquam de jure aut potentia Exarchorum aut obsequiis, quæ illis deberentur, verum de reconciliatione eorum, quos hæresis divulsos ab Ecclesiæ gremio, transversos egerat. Venetorum ecquid à partibus intervenerit scire lubet? audiamus

diamus age Rubeum suæ rerum Italicarum ac Ravennatium historiæ lib. 4. Ille de Smaragdo loquens sic ait: *Severum de basilica tractum Ravennam secum adducit una cum aliis tribus Episcopis quos tandem omnes cum Joanne communicare invitos coegit. Insequenti anno cum se ad sedes quisque suas reciperent, Veneti rudes adhuc earum rerum, nisi quod Romanum nomen summæ illis esset venerationi, subsistere parumper an recipiendi essent, concilioque hac de re omnium oppidorum indicto cum plerique existimarent recipiendos, neque quod fecissent inviti & coacti id illis vitio & culpæ vertendum, ea tandem sententia vicit, qua decretum est ab Romano pontifice, quem tunc, ut diximus, Pelagius gerebat, expectandum quid agendum esset. Pontificis enim Romani esse non arbitrii senatorum, hæreticos, qui in hæresi per annum perseverassent, Ecclesiæ reconciliare. Quapropter ex ejusdem pontificis responso non prius ad Ecclesiam quisque suam admissi quam coacta decem Episcoporum apud Maranum oppidum quod Varanum olim fuit Synodo coram omnibus hæresin jam acceptam abjuraverint.* Hactenus ille.

---

§. 10.

Ingenua Anonymi confessio de Longobardis. Falsum Impp. Romanos profugorum in insulas Hadriatici maris Dominos fuisse. Nullum inter profugos & imperatorem imperandi vel parendi jus intercessit. Insula Amacina Exarchis non paruit. Nihil necessitas cum aliis se conjungendi Libertati demit.

FActa Longobardorum, nec non & Gradensis oppidi mentione, pergit adversarius & cum fateri cogatur, neutiquam sese ex annalibus eruere potuisse Longobardos, non modo ipsam Venetorum urbem, sed ne insulas quidem ad-

jacentes sibi subdere potuisse, firmat insuper, quæ nobis sub hujus disputationis principium fuere dicta, compluresis nimirum hostili metu profugos, concessisse in Hadriatici maris lacunas, ac vel patriâ carere potius habuisse, quam Barbaris servire, hanc ergo ut Gradensis Patriarchatus, & multarum civitatum extitisse originem, quæ tamen nec eatenus extendi debere statuit, ut vel præsumere liceat id egisse profugos istos, ut se justis legitimisque Dominorum suorum (Impp. scilicet) imperiis subducerent, quin potius vixisse eos Ravennatibus Exarchis subditos, quod & Amacinæ insulæ (Italis *Commachio*) exemplo existimat posse probari.

De Longobardis post tam ingenuam cofessionem illius, ultra non est quod urgeamus, ut neque operæ de Gradensis patriarchatus origine, deque exordio aliarum adjacentium insularum multa coacervare. Hallucinatur in illo, quod Romanos Impp. veros legitimosque profugorum dominos facit, quos utique expellendis Barbaris impares, multis Italiæ locis, quod ea tueri non possent, ultro decessisse aut ut decederent, qua vi, qua sponsionibus adactos fuisse, liberaliter ostendimus; quin & diximus durum, barbarum, ac ne quidem humanum, fore, si quis istiusmodi loca, postlimio servituti velit addicta, sicubi sese, etiam non adnitente imperatore, suo marte, suoque sanguine, in libertatem asseruerint, ut alibi Boëthius,

Repetunt proprios quæque recursus,
Redituque suo singula gaudent;
Nec manet ulli stabilis ordo,
Nisi si fini junxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.

Atque ut est à naturâ Libertas, ita & ab illius interruptione

ac im-

ac impedimento recessus, atque ad primævam conditionem recursus pro naturali quoque haberi debet. Quapropter si nos adstipulari ipsi desiderat Anonymus ac statuere cum ipso, illos de quibus nunc loquimur profugos, quantumvis Barbarico jugo colla subduxerant, mansisse tamen Imperatori subditos. Hic iterum duo necesse est ut probet; quorum prius erit Imperatori tanquam vero legitimoque illorum domino; ut ut esset illis tutandis impar, adeoque & suæ illos tutelæ permitteret, durasse semper ac permansisse plenum in illos jus imperandi. Posterius, sicubi in Historiarum monumentis imperatori nonnulli ex prædictis insulanis adhæsisse aut ejus agnovisse aut observasse Majestatem deprehenduntur, (inter quos fuere forsitan incolæ Amacinæ insulæ) id eam in sese necessitatem includere, ut omnino dicere nefas sit, illismet ipsis fuisse liberum, illam in quam sese asseruerant retinere atque exercere libertatem. Primum quod attinet, aliter sese rem habere jam ante vidimus, ac abesse longe ut revera Imperator dominus illorum fuisse dici possit, quos ipse fatetur, sedibus suis excitos, quæsivisse novas, civitateis extruxisse item novas, idque medio in mari, loco prorsus (si quis usquam) libero & tum quoque vacuo. At nec minus ægre, quod sibi ipse fingit, Imperatori jus durasse, probaturus est, quale quidem ego illi ut largiar à me non impetro.

Movet, quod in proposito nobis themate non possit Imperator (qui loquendi mos) pro subjecto habili reputari. Quippe cum natura dictet dominos ad protegendos sibi subditos non minus obligari, quam ad præstandam cum obsequijs fidem, dominis subditi tenentur, necesse est fateamur, juris id esse minime dubij, cessante potentia, nec non & illa, quæ facultatem imperandi tribuere solet, qualitate, jus ipsum cessare; idque modo non dissimili quam (si privata publicis fas est componere) cessat in hæredem collata

 dispo-

dispositio testatoris orbi, liberis supervenientibus, & sui heredis agnatione testamentum rumpentibus. l. tale pactum. §. ultimo ff. de Pactis. Accedit huic, quod, neque juris patiatur ratio, uti quippiam, vel tunc quoque subsistere, ac non potius extinctum velimus, si quando in istiusmodi casum revolvitur, à quo principium capere non potuit. Vidimus non uno loco, quam accisæ profligatæque essent imperij res, quas eo statu fuisse probavimus, ut ne quidem à direptionibus barbarorum immunis fuerit Roma, sedes ac caput imperij, nedum ut cætera illius membra longe lateque dissita secura forent. Isto quoque imperij deliquio, apud omneis in confesso est coeptam condi Venetorum urbem, à quo utique in novellam urbem regimen, jurisdictionemque, ac imperium ut facile vel quivis judicet, inchoari non potuisse, ita & tali rerum cardine (ut ut dare velimus aliquid omnino juris Imperatoribus fuisse) servari illud defendique potuisse nemo crediderit. Iisdem artibus (addo & viribus) quibus initio partum fuit imperium, facile retineri author est Crispus, at vero alios in tutela ut habeat, qui sibi ipsi tuendo sit impar, etiam Imperator Romanus absurdum esse pronuntiat. Si verum amamus non potuit illis temporibus inter Imperatorem profugosque præcitatos, ulla prorsus existere, aut introduci obligatio imperandi parendive; ad minimum saltim utiliter illa constitui non potuit. Imo ut si vel de facto contra textum d. l. existimo de verb. obl. cum Iurisconsulto Paulo pronunciare Iubeat, Novum haud esse ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo non potuerunt consistere, nihil tamen inde compendii ad Imperatorem redundare possit. Quæ diximus illustri exemplo probat Rupella, infractis adverso Marte Gallorum rebus, Anglici quondam juris, ac nec multo post excusso jugo libera,

bera, neque etiam prius exinde regni Gallici accessio facta, quam in istiusmodi ultroneæ suæ ad parteis Gallicanas adjunctionis redhostimentum, ea à Rege stipulati essent, quæ subditorum conditionem immane quantum anteverterent. Interfuere castri, quod ubi incubabat, destructio, Rege pro se ac successioribus aliud ædificandi Libertatem in perpetuum abdicante; Cudendæ monetæ jus: Vt præfectos à rege missos, extranei si forent, aut justa de caussa suspecti, recusandi jus esset potestasque, nulli privatim publicève futura fraudi, aliaque his similia, pacto quin insuper adjecto, crimini sibi aut vitio vertendum neutiquam fore, si quidem regibus contra pacta conventa venientibus à corpore regni sese divellere vellent ac in alterius cujuscumque demum luberet Domini, potestatem concedere.

Amacinam insulam, eque adjacentibus civitatibus complures, Exarchis Ravennatibus quare paruisse credat, caussam non video: neque enim id ullibi expressum, quod sciam, aut à quoquam memoriæ proditum. Sed neque firmum est illud, imo ne ullum quidem subjectionis argumentum, quod de vicinis civitatibus (id enim ex Diacono noster in argumentum citat) divitiæ multæ ibi fuissent commendatæ; quodque Francio militum præfectus, quem ibidem de partibus Narsetis fuisse Diaconus ait, cum post sex obsidionis suæ menses Longobardis insulam tradidisset, essetque ipse, pro ut optaverat, à Rege dimissus, Ravennam cum uxore ac supellectile properaverit. Arguant hæc insulam Amacinam cæteris insulis (quod & continuo semestri obsidio tolerata, vel me tacente, satis evincit) munitiorem fuisse, arguant insulanis non male convenisse cum vicinis sibi Ravennatibus, subditos tamen fuisse, omnino non probent. Quo ne tamen agere præfractè nimium quispiam nos credat (salva quaquaversum veritate) largiamur age, ita ut nobis persua-

ſuadere tentat Anonymus rem ſeſe habuiſſe: Demus Amacinos Exarchis paruiſſe; inſula amiſſa Francionem ad ducem ſuum, ſuperioremque Exarchum Ravennæ, remeaſſe concedamus, nihil tamen egerit. Vt ut in omnes ſeſe formas vertat, perſonam, aut corpus non eſt ut egrediatur ſervi conditio, neque etiam in propoſito nobis themate ullo modo eſt ut ſubſiſtat argumentum à loco ad locum, à perſonis ad perſonas deducendum. Saluſtii hic verbis utar: *Libertas, juxta bonis & malis, ſtrenuis & ignavis eſt optabilis, verum eam plerique metu deſerunt.* Si quem fortaſſe in Amacinis, inſuliſque circumjacentibus metum (quod tamen eum feciſſe non video) notaſſe potuit, ejus ſane Venetos non eſt quod inſimulet, ut quibus firmum ſemper immotumque ſtetit, id vero demum eſſe bonum nulli æſtimandum, nulli obnoxium agere: unde & illibatam ab poſteros tranſmiſere libertatem, ſuis aduſque ſubnixam viribus, & ab alienis arbitrijs pendere detrectantem. Quanquam & aliàs novum non eſt, ut tenuioris conditionis ſi quæ ſint civitates, fortioribus ſeſe adgregent, ab illis deinceps protegendæ. Enimvero iniquum foret, quin & iniquiſſimum, libertati ipſorum præjudicium aliquod ex iſtiuſmodi facto creari, quod ipſos alia mente complexos haud conſtat, quam ut eandem ſibi ſartam tectamque conſervare poſſent. Facit hoc caſu neceſſitas ut omnis honeſta ratio eſſe videatur expediendæ ſalutis. Quod olim de bello Samnitium Dux adſeverabat, *Juſtum eſſe bellum quibus neceſſarium, piaque ijs arma eſſe, quibus nulla niſi in armis ſpes relinqueretur:* idem & nos uſurpare poſſumus de obſequijs, quæ novis duriſque rebus ab infirmioribus plus quam Manliana neceſſitatis juſſa nonnunquam extorquent. Nihil ea libertati abradere, ac ſi ſola, & per ſe conſiderentur, nihil ea juris in eum qui potentior ſit, conferre, manifeſto ex l. 7. ff. de Captivis & poſt l. reverſ. jam aliquoties

ties nobis citatâ, deprehendere est. Quin imo si quid isto casu moribus receptum sit, attendere volumus, notatum Bodino lib. de rep. 5. Bernates olim Burgundiorum metu compulsos, sese in clientelam Comiti Allobrogum dedisse, soluto metu, clientelari pariter lege confestim solutos, neque quicquam hoc nomine, quod clientes eos habuisset, comitem prædictum ausum sibi arrogare. Multoties illud usu venit, ut belli direptionumque militarium metu alienæ ditionis homines in oppida munitiora se recipiant, neque dubium est quin quam diu ibi agunt eandem cum cæteris obedientiam loci magistratui debeant, nec alia, quam è subditis quilibet, conditione regi; ast quam primum oppidi finibus excesere, retrogresos ad sua, ultra habendos esse ut subditos, nemo dixerit. Facit huc quod casu non absimili ac in terminis etiamnum fortioribus absolutissimi sui quem de Commissariis scripsit tractatus part. 3. l. c. 3. n. 5. observat Rulandius etiam Iudæis, quorum ut scimus, durior apud Germanos caussa, liberum esse quotiescumque voluerint exire è tutela illius cui sese addixerant magistratus. Notat idem, firmatum id esse Cameræ Spirensis præjudicio, decretumque adversus nonnullos equestris ordinis viros, qui Iudæorum è clientela exire volentium uxores liberosque captivos attinuerant, mandatum cum clausula de dimittendo. Nota sunt illa Plantii apud Livium lib. 8. *Neminem populum diu in ea conditione esse posse cujus ipsum pœniteat.* Agit denique perverse hoc § Anonymus, qui corporis tutelam rerumque, ac ipsam quoque servitutis fugam ab impulsu naturali ipsemet cum arcessat, præsumendum tamen negat iis adipiscendæ libertatis animum fuisse, qui sese servituti ereptos inque plenaria Libertate constitutos videbant: perinde ac si non esset idem in libertate adipiscenda, servanda, tuendaque, naturæ

turæ:

PErgit his §§ in astruendo Exarchi ac sic Romani imperii jure antagonista, quod ut se non minus ad Venetos, quam ad cæteras imperij partes extendisse doceat tria Beati Gregorij loca allegat, unum nempe quo Callinicum Ravennatem Exarchum per Epistolam monet, ut Imperatorem certiorem reddat de mutua reconciliatione inter sese, nonnullorum Episcoporum, & inter illos, Caprulani sive Caprulensis Episcopi. Verba sunt, *Necesse est hæc ipsa pijssimis Imperatoribus nostris suggerere festinè debeatis.* Alterum deinde, quo constet ipsum adeoque Pontificem maximum perquam multum detulisse Exarchi potestati, verba item sunt ejusdem Gregorij ad Ravennæ Episcopum Marianum, *Magis autem apud excellentissimum filium nostrum Exarchum id studiosius peragite, ut suis illos jussionibus apud eos, quorum illic interest, securos in omnibus reddat.* Tertium denique quo asseritur Gradensem Episcopum sub Romanis fuisse. Est quidem de Ravenna, de qua suo loco, alia res, Caprulanum vero ac Gradensem Episcopatum esse ditionis Venetæ ac tum quoque fuisse dubium non est. Vult ergo Anonymus ijs locis perlectis æquus lector ipse ut judicet eccujus sub imperiis Veneti dicendi sint vixisse.

Fateor ingenuè multum apud me valere illius, quem pro se adversarius allegat, authoritatem, ut quem non modo sic vixisse attestatur Platina, ut neminem usque ad illa, quibus isthæc scribebat, tempora parem habuerit, nedum superiorem, vel sanctitate vitæ, vel in rebus agendis diligentiâ vel doctrina & scriptis. Sed & consentiens bonorum fama receptis cœlo mentibus adscripsit, interim ut, ne perperam si distorqueantur, Venetos lædant cautio nobis est. Quod ergo dicit vir sanctus Imperatoribus nostris &c. Exarchum tangit ipsumque qui ea scribit D. Gregorium, nec eorum personas egreditur; ac ut egredi demus, non sunt

alia ista verba, quam enuntiativa merè, quæ ut animo disponendi prolata non sunt, ut ullius omnino dispositionis ac assertionis quoque legitimę neque nomen habent, neque qualitatem, (ut de effectu jam nihil dicam) ita quoque nec alia dici possunt, quam prolata simpliciter, & cum narrativis ἰσοδυναμοῦντα. Tum quoque per se sola si considerentur, nihil probant, ast quid sola dico? imo ne quidem dispositiva si sint atque affirmantia, atque illius insuper à quo scripta proferuntur authoritate suffulta. Adsertioni (assertiva si fuisse largiri placet) Papæ, Imperatoris, Regis ac cujuscumque demum, qui superiorem non agnoscat, fidem haberi debere plenariam, recepta quidem est DD. & maxime communis opinio, est tamen & hoc verum multis illam, nec immerito, limitationum repagulis obvallari. Quid si enim non per modum causæ (ut loqui solemus) sed narrativè duntaxat quid asserant, ac nec in illo quod asserant intentionem suam fundent, utpote quod ad illius, quod sibi alterive arrogare nituntur, juris dispositionem minus sit necessarium? quid si pronuncient de facto aut jure alieno, quod non modo verosimiliter ignorent, sed & cujus in contrarium veritas è vestigio possit probari; quid si per errorem? quid si de re in controversiam non deducta? quid si & de tali, circa quam ipsis non modo non libera, sed ne ulla quidem dispositio competit? quid si ulterius exporrigenda sit assertio quam ad illos ad quos directa est? quid si denique in tertii præjudicium sit redundatura, nec leve quidem illud aut modicum, sed longe maximum, ac cum gravamine continuo? quid si tertius ille asserentis imperio subditus non sit? quæque his adfinia sunt. Consulat super hac re qui volet Oldradum cons. 258. Ios. Mascard. Concil. 139. Cardin. Thuscum concluss. pract. tom. 6. concl. 62. per tot. non dictis modo casibus sed & longe pluribus, quos illi liberaliter enumerant & compluribus autho-

authoritatibus firmant, adferentes vel ijs ipsis, quos enumeravi in illis quæ dicant fidem haud esse habendam. Quæ si quis ad propositam nobis materiam velit applicare fateatur necesse est, ea ex amussim atque ad unum omnia sive separatim ea spectemus, sive conjunctim, concurrere, atque in illa locum sibi vendicare. Prædictis insuper addere si cui lubet, eam esse verborum, quæ enuntiativa vocamus, naturam ut neque dispositionem aliquam inducant neque probationem, comprimis eò si directa dicantur, ut iniquè tertio nocitura, jus aliquod per ea constituendum sit, cui semel constituto, tertio illi deinceps ut ut maxime velit renuntiare liberum non sit, næ ille de facili judicaturus est, leviora hæc esse quam ut morari nos debeant, nedum movere. Addamus jam dictis, agi hic de probando per enuntiativa supremo dominij jure, idque per enuntiativa non modo non prolata in instrumento aliquo publico (quanquam ne id quidem de jure suffecturum sit *l. si quis in aliquo. C. de Edendo.*) sed in Epistolâ, quam ad instrumenti publici pondus in astruenda fide neutiquam assurgere, vel me tacente nemo est qui nesciat. Ferreus sit oportet qui cum jus ipsum, quod tamen impensissime libertati favet, enuntiativis verbis in favorem Libertatis disponentibus, vim juris effectumque non largiatur, l. cum testamento. C. de jur. & fact. ignor. in opposito casu, potentia ad infligendum Libertati lethale vulnus, istiusmodi verba esse velit, ac valida.

Atque hæc quidem de verbis, eorumque ad conferendum tollendumve imperii jus ἐνέργεια dicta sunto. Super re ipsa, subjectione nimirum illa, de qua ibi D. Gregorius, multis agere operæ pretium non videtur. Subjecta materies, nec non & scribentis qualitas (ut de meo nihil addam) satis evincunt, esse eam alterius fori, ac nec aliter quam de spirituali

ὑποταξ[illegible] quæ inibi dicuntur intelligi debere. Non immitto falcem in alienam messem.

---

§. 14.

Frustra Anonymus ex Heraclia ab Heraclio dicta, probatum vult Imperatori subditos Venetos fuisse. Heraclia à quo condita. Ordini sacro addictus Heraclius. Equilium à quibus dictum.

NArrat porro Heracliam ab excidio Opitergij conditam, eique ab Heraclio, qui tum temporis Romanorum erat imperator, nomen impositum fuisse, ac cum nomine urbi nascenti, quæ brevi exinde spatio non pœnitendis incrementis assurrexerit, ac prima quoque Ducum Venetorum fuerit sedes, subjectionis characterem vel ab origine impressum.

De veritate historiæ non est quod ambigamus. Conveniunt in eo Sabellicus, Iustinianus, Sigonius. Quod tamen de impressio subjectionis charactere fingit Anonymus, id non falsum modo est, sed & malignitatem spirat. Heracliam qui condidit Antistes fuit cognomento Magnus, patriâ Altinas, vir sanctimonia vitæ ac morum comitate, apud suos longe clarissimus. Hunc Opiterginæ Ecclesiæ pridem Episcopum, ejusdem Opitergii excidium, novam ubi sedem figeret, despicere coegit. Secessit ergo in interiora paludum ac novæ urbis fundamenta jecit: quam quod ab Imperatore Heraclio denominari ac Heracliam dici voluerit sat erat caussarum. Ferebat sese Heraclius addictissimum ordini sacro, tremendis id temporis (non ignorat hoc, qui Ecclesiasticam historiam modo à limine salutavit) persecutionibus obno-

xio

xio; fovebat illum protegebatque, & qua poterat, ſublevabat. Recens erat illius erga Aquilegienſem Eccleſiam benemeritum, ut qui non modo aurea atque argentea vaſa complura, ſacris uſibus deſtinanda, Patriarchæ ſive Epiſcopo Primogenio, ſed ipſam quoque Divi Marci cathedram, Choſroe debellato ab Alexandria uſque tranſmiſerat, ſui in Aquilegienſem Eccleſiam amoris ac pietatis monumentum ſuis ipſe ulnis manibuſque Crucem Chriſti Saracenis ereptam bajulaverat, & victor in urbem Hyeroſolymam atque in ipſum montem Calvariæ reduxerat, nudus pedes & ad Patriarchæ monitum projectis imperatoriis inſignibus veſte plebeia indutus. Fortunatus quoque Gradenſium Epiſcopus ſede ſua deturbatus, quantumvis alieno tempore ac implicito bellis Perſicis Heraclio; non aliunde tamen quam ab ipſo auxilium ſeſe expectare m onſtraverat. Secutus exemplum Magnus quid mirum, ſi illa quoque ratione conciliare ſibi Imperatorem ac demereri tentaverit, ut quem non modo lætioribus ſi quando ſe offerrent, rebus faventem ſibi experturum ſeſe confideret, verum etiam ſi quid denuo à Longobardis, Opiterginæ ſedis everſoribus, exitiale timendum foret, aſyli loco eſſet habiturus.

Atque hoc eſt quod uno ore quos allegavi Hiſtorici notant Magnum Altinatem impietatem Longobardorum, quos tanquam peſtilens ſidus, adflaverat Arrianæ Hæreſeos virus, deteſtantem fugientemque, urbi à ſe conditæ in Principis gratiam Heracliæ nomen indidiſſe. Quando vero id factum? quo nimirum tempore nondum ſeſe ad Monothelitas (hæreticorum id genus unam in Chriſto voluntatem deprædicantium) deflexerat, aliiſque (verba ſunt Hiſtorici) ſceleribus ſeſe contaminarat, ſed virtutum opinione, omnibus gentibus erat venerabilis. Hic vero in Anonymo calumniandi animum lector deprehendat, & non vulgare li-

bertatis ſpiramentum etiam in profugis Heracliæ conditoribus conſpicuum. Eſt eorum quæ dicturus ſum, leviuſculum quidem illud, tantum ſcilicet abeſſe ut in ſervitutis notam nomenve exules illi conſenſerint, ut conditâ jam tunc Heracliâ, à ſupradictis Opitergii quondam civibus, eundem antiſtitem agreſtes quidam cum equis pecoribuſque ſecuti, cum Heracliæ mœnibus contineri non poſſent, alium ſibi locum elegerint, eumque (ab equis ut etymon ſonat pecoribuſque) Equilium appellarint, ut eſt author Sigon. de Regn. Ital. lib. 2. Hi ſane ſi quidem una cum civibus ſuis Imperatori ſeſe obnoxios anteſtari volebant, earundem calamitatum, fugæ ejuſdem ſocii, ac pari cum illis neceſſitate ad novam urbem condendam compulſi, non erat ut nomen principis quod civeis ſuos arripuiſſe avidè, ac ominis etiam loco videbant amplexos, ipſi diffugerent. Illud vero majus eſt, quod ruente, atque adeo etiam devexo in ſcelus non minus quam in hæreſin, Heraclio, perinde ac ſi indignus eſſet ille cujus nomen ad poſteros tranſmitteretur, ac ut ſunt urbes ad ſpem æternitatis inſtitutæ, cum urbe perennaret, ipſum Heracliæ nomen ſupereſſe noluerint, cœperitque poſteris urbs nova dici, quæ prius Heraclia fuerat dicta. Suo ſic olim ſæculo, quamvis occaſione longe diverſâ Nolanis iratum Maronem cum ante dixiſſet

—Vicina veſevo
Nola jugo —

Vrbem illam cujus nomen victuris æternùm carminibus inſeruerat, ex albo velut immortalitatis expungere voluiſſe Servius notat. καὶ ζώντα μὲν ἐν πατρίδι. Debuerat quæ retuli apud eundem Iuſtinianum, eodem loco, eodemque quem citat libro, Anonymus vidiſſe, aut ſaltim animi morbo eo uſque indulgere non debuerat, ut iis vernilis conditionis

ſtigma

ſtigma inuſtum vellet, apud quos, res ipſa planum facit, etiam duris adverſiſque rebus, neque declarandæ gratitudini pronos affectus, neque generoſam quoque Libertatem defuiſſe; qua cum vitiis, ipſam inſuper vitiorum ſcelerumque memoriam, gravem ſibi eſſe exoſamque teſtarentur.

ß. 15.

Male Anonymus quod ex jure probare non poteſt; ex facto adſtruere conatur. Duces ab Imperatore non creati. Duces Veneti à quibus inſtituti. Prima Ducum in Italiâ origo. Longinus totius Italiæ Exarchus nullum Venetis ducem præfecit. Non eadem Venetorum cum cæteris Italiæ ducibus origo. Exarchi quot annos rexerint. Eorum ſedes. Primus Dux Venetorum. Nullum Exarchi nullum Pontificis, nullum Imperatoris factum in creando Duce intervenit.

DIverſam hic ab ICtis. viam Anonymus inſiſtit, qui cum ex facto jus oriri tradant, ipſe contrario prorſus modo, quod ex jure probare non poteſt Imperatori competiiſſe, in facto fundamentum locat, illiuſque validitatem deducit, atque hac ratione ſubditos Imperatori Venetos aſſerit, quod Ducum Venetorum, ut vult, origo, Ravennatibus Exarchis, ut delegatis ab Imperatore Vicarijs, adſcribenda ſit: Exarchis vero quum nec aliunde creandi Duces poteſtas quam à delegata juriſdictione imperatis proficiſci potuerit, à delegatis facta ad ipſum delegantem referenda ſtatuit. Prætereo ea quæ in hac hypotheſi ſunt juris, utpote talia, quæ probationem non requirant: ipſam theſin pro-

probari ait posse, utriusque Iustiniani, Antonij, nimirum Petrique testimonijs, quorum prior fatetur nonnullos existimasse dignitatem ducalem ab Imperatore collatam, quamvis ipsi ea se minus probet opinio; aitque Italiam, quà ab Exarchis, quà à Longobardis, dignitate Ducum cœptam repleri. Posterior Legatos ad Pontificem missos ait, ut instituendi legendique potestatem Pontifex authoritate, perpetuo Venetis confirmaret.

Quod ex jure deducit argumentum, petitione principij peccat: aliud nobis in quæstione hactenus non est quam id ipsum, quod pro fundamento ponit. Dicunt ex adverso Veneti, cum delegantem nunquam supra se agnoverint, nec gesta à delegatis ad se pertinere. Videas ergo illos de imaginariæ illius delegationis vi atque efficacia plane idem pronuntiare posse, quod olim de condemnatis usurpatum Vlpiano in l. si sese non obtulit, 4. ff. de R. I. §. condemnatum accipiendum nempe pro condemnato, eum qui rite condemnatus est, ut sententia valeat; cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, nec condemnationis verbum tenere. Nec male: eadem utrobique ratio negat, in rerum natura quod non est, accidens illius dari. Sed nec alio laborat vitio, quod Iustinianus recenset voluisse quosdam dignitatem ducis ab Imperatore collatam: quicumque enim illi tandem fuerint (quos mirum est ab Anonymo non conquisitos, cum tam curiosus etiam minutula atque adeo remotissima quæque pervestigaverit) non habuerunt illi fundamentum aliud opinionis suæ, quam quod Imperatori obnoxios fuisse Venetos crediderint. Probanda ergo in antecessum illius potestas foret, quod quam diu non fit (sane hucusque id non fecit adversarius) supervacuum fuerit rationum momentis conjecturas per se satis vanas & nulla veri authoritate suffultas, eludere velle. Veniamus ergo ad illa

quæ fa-

quæ facti sunt, eaque male ac perperam in Venetorum detorqueri præjudicium demonstremus. Ait ex Iustiniano, *Italiam qua ab Exarchis, qua à Longobardis cœptam repleri ducibus.* Sed quid hoc? ergone & illo tempore urbi Venetorum præfectus dux? id si factum, à quo vero? num à Longobardis? nihil minus, id enim verum si esset, jam non Imperatoris, sed Longobardorum regum subditi fuissent Veneti. An ab Exarchis? quin cum nominat. Annales age consulamus, qui de prima ducum in Italia origine scripserunt. Blondus, cujus potissimum authoritatem sequitur adversarius, ac quacumque potest thesi suæ aptat lib. 8. decad. 1. sic ait: *Ceperunt autem urbs Roma & Italia novam gubernationis formam, ex qua dignitatem, gloriam & apud orbem terrarum timorem magis amiserunt, quam omnibus ex illis calamitatibus, quæ eos centum & sexaginta annos attriverant, atque aliquando fecerant Romam relinqui feris & obscœnis avibus habitandam. Longinus namque novum in Italiam adduxit Magistratum nomen Exarchatus Italiæ, qui interpretabatur Summus Italiæ Magistratus, & Ravennæ se continens, nunquam ivit ad urbem Romam vel qualis esset inspiciendam. In administratione vero Italiæ, & urbium, quæ in Iustini Imperatoris partibus cum Roma & Ravenna duraverant, hunc primus servavit morem, ut non Provinciæ sive regioni præesset Princeps aliquis aut Magistratus, sed singulæ urbes singula oppida à singulis custodirentur regerenturque magistratibus, quos appellavit duces.*

Sigonius, quem & ipse non uno loco commendat, à fide, lib. 1. de regno Italiæ Blondo adstipulatur ac de Longino sic ait: *Is Narsetem* &c. *& quod summa cum potestate atque imperio venerat, novam pro arbitrio Italiæ administrationem induxit. Primum Ravennæ non Romæ præfecturæ suæ sedem posuit, nec se ducem sed Exarchum Italiæ quemadmodum Exarchus erat vocavit & provinciarum consularibus correctoribus, præsidibusque sublatis singulis civitatibus singulos duces imposuit, ac varios eis ad reddenda jura judices assignavit.*

T Iustinia-

Iustinianum, Sabellicum, Sanzovinum, aliosq; idem memoriæ prodentes omitto, ne Veneti cum sint, Venetis addictiores esse objiciatur: quanquam in simplice rei gestæ narratione, nec odiis, nec affectibus locus esse potest, ac citra mendacii notam scriptoribus à veritate deflectere non detur; & ex allegatis qua Blondi, qua Sigonii locis, longe diversum elicio. Esse nimirum evidens pro Venetis Libertatis argumentum, quod Longinus, qui totius Italiæ Exarchus erat, qui singulis Italiæ urbibus duces suos assignabat, nec urbibus modo, sed & oppidis etiamnum munitis, nullum Venetis ducem præfecerit. Nemo eorum, qui modo cum adversario statuere volet Imperatoriam Iurisdictionem, ad omnia generatim ac nullo discrimine exporrectam ex istiusmodi creatione ducum à vicariis Imperii facta, valide probari, in dubium id mihi, ut reor, erit revocaturus, non leviter adstrui Venetorum Libertatem, ex hac ipsa ducis creatione apud Venetos omissa. Quin assensum hic mihi si quis negare sustinet, diversitatis assignet velim rationem, caussamque edisserat, cur qui per omnem Italiam priores magistratus antiquaverat, & ad novam regendi normam cuncta redegerat apud Venetos pristino statu res manere voluerit, suisque eos potissimum, ac neque præ cæteris, verum & solos Magistratibus permiserit regendos.

Dicam amplius eo majore cum instantia diversitatis me rationem assignari velle, quod non modo vicini Ravennatibus essent Veneti, ita ut (in si liberi, ut erant, fuissent) verisimile non sit Longinum (qui & remotissimis Italiæ locis de duce prospexerat) ipsorum in eo præficiendo rationem habiturum non fuisse, sed quod ipsum Longinum Veneta in urbe versatum ex annalibus constet, benigneque exceptum, ac Venetis insuper honoris ergo multis cum navigiis comitantibus deductum Constantinopolin, factum id anno ab urbe

ab urbe condita centesimo quinquagesimo octavo, id est toto quinquennio (si Sigonio credimus) antequam ab Imperatore Mauritio, suffecto ejus in locum Smaragdo domum revocaretur. Nemini sane istorum temporum historiam revolventi non videatur absurdum Anonymi dogma, qui velit Longinum in potentiæ suæ argumentum Venetis ducem (si quem alias præficere in animo habebat) præfecturum fuisse, qui non Venetorum modo indigebat auxiliis, eaque ut rebus suis firmandis valida deposcere sustinuerat, sed Classensi oppido, quod quam paucissimis à Ravenna miliaribus aberat, quodque ejus velut in conspectu obsidione premebatur, liberando par non erat; absurdum etiamnum, statuere si quis velit, factum id fuisse pro summi Imperii jure, cui reluctari Venetis tantundem fuisset ac strigosis equis Τὸ πρὸς κέντρα λακτίζειν. Alia longe quam ut tale quid admittamus temporum erat ratio, alius rerum status, nec id sinat Longinus ipse, qui præterquam quod tum temporis bellicis distineretur curis, ubi ad se redierat, erat (talem eum annalium depingunt scriptores) infrunitus prorsus ignavusque, ac ipsi quoque Pontifici Pelagio dispectus juxta ac invisus. Eorum quæ dicimus fidem adstruant illa ad Apocrisiarium suum, qui illi postmodum in Pontificatu successor fuit, Pelagij verba à Sigonio citata: *Agite consulite quo pacto possitis mature nostris periculis subvenire, quia res publica* (Romana nempe) *in tantas est angustias deducta, ut nisi princeps magistrum militum ac ducem huc mittat, omnibus simus auxiliis destituti: Nam pleraque urbes Romanæ ditionis præsidiis vacant, atque Exarchus scribit nullum se nobis auxilium ferre posse. Ne se ad Ravennæ quidem partes tuendas satis valere. Faxit Deus ut Imperator nostris subito periculis præsto sit, priusquam nefandissimæ gentis exercitus occupet quæ à Repub. adhuc obtinentur* His de rebus subjungit immediate Sigonius: *Mauritius in præsens Longinum ut parum ad*

 tantam

tantam rerum molem sustinendam idoneum revocavit, ac Smaragdum patricium virum impigrum atque imprimis militiæ gnarum Exarchum cum novo exercitu Ravennam, Gregorium vero ducem & Castrorum magistrum militum destinavit. Quid quod Gregorius ipse alibi scribit: *Malitia Exarchi erga nos, gladios Longobardorum vicit, qui nos rapinis ac fallaciis perdit.* Sed pergamus.

Evanidam esse omnino Anonymi conjecturam, Venetorum originem ab Exarchis deducentis, probatur quoque, vel hoc ipso quod non eadem Venetorum ducum cum cæteris Italiæ ducibus fuerit origo. Referunt cæteri omnes ad Exarchum Longinum sua principia, Veneti ad Exarchorum neminem. Annorum computum si inimus, tribuuntur Exarchis anni centum & septuaginta quinque. Primus sese Longinus Exarchum, non ut sex civitatibus præfectum (qui quorundam est error) sed ἔξαρχον, id est eximium, sive principum principem dici voluit, anno à partu Deiparæ quingentesimo septuagesimo octavo, à Venetorum urbe condita, centesimo & octavo supra quinquagesimum, Longinum Smaragdus excepit, Smaragdum Romanus, Romanum Callinicus, Callinicum alter Smaragdus, illum Iohannes Lanugius, natione Thrax, Lanugium Eleutherius, Eleutherium Isaacius, Isaacium Calliopa, Calliopam secutus Iohannes Platina, Platinam Theophilacius, illum Paulus Exarchorum penultimus, cui demum successit Euricus, qui anathemate percussus eundem & Imperij & Exarchorum nominis habuit finem. Exarcho demum Paulo, id est totis novemdecim, supra centenos, annis primus Venetijs Dux creatus Paolucius, sive Paullus Anafestus. Revolvantur omnes omnino Chronologi quotquot sunt, vel ante quot fuerunt si quis dicat ab ullo prædictorum Exarchorum, Venetorum ducem creatum, causa cadam. Quo tamen malignas suspiciones, quas legentium animis callide adver-

adversarius insinuat, planissime configam, ac ne illarum vel umbra superesse possit, ostendam mox suo loco ubi Anonymus agit de nonnullis, quæ sub Pauli Exarchatu, (sic loqui liceat) obvenere, ad Exarchum illum Paullum, ducem eligendi institutum referri non posse, eive acceptum ferri Quod ubi præstitero, neminem fore puto, qui ducis creandi morem receptum jam tum & approbatum ad Euricum Exarchorum novissimum retro trahendum existimaturus sit. Vt alia omnia præteream, constat illum tanto odio laborasse adeoque despectui habitum ut non alia de causa Stephanus Romanus Episcopus Pipinum Gallum sibi in Italiam evocandum judicaverit. Vt vero conjecturis omissis regiam veritatis ingrediamur viam, mirum mihi videri profiteor quid Anonymum impulerit quam ob rem, si quidem allegatam à Iustiniano quorundam opinionem in medium adducere volebat, nullam prorsus eorum fecerit mentionem, quæ illam et ipsa verba, quæ citat, proxime antecedunt sequunturque. Vidit nimirum figmentis suis insignite pugnatura, nec fieri posse, quin eximium pro parte adversa ex illis ipsis assurgeret argumentum; quale sit hoc, quod non modo haud eadem creandi duces causa apud Venetos reperiatur fuisse, quæ cæteris locis, sed usque adeo diversa, ut nihil in illis aut simile aut commune quis comprehendat. Primis per Italiam ducibus Exarchi lubido præpostera principium dedit. Venetis vero commune urbis jam prope adultæ bonum. Nempe Iuvenis ad instar aquilæ, quam (Poëtæ verbis loquar)

Olim juventus & patrius vigor
Nido laboris propulit inscium
Vernique, jam nimbis remotis,

Insolitos docuere nisus.
Venti paventem, mox in ovilia
Dimisit hostem vividus impetus,
Mox in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ.

Veneti jam tum vires, in quas succreverant exploratas habebant, illarum robur lacessendo senserant, hinc Longobardi, Veneto nomini vel alias minus æqui, inde Turcæ, nec non & pyratarum maleferiata colluvies, à vicinis prosperos urbis successus oculo sinistro torve spectantibus, submissa: accedebat ferale discordiæ virus, & à secessionibus periculum. Ventilabant quaquaversum dissidiorum flabella Tribuni qui si quid delirarent, plectebantur cives, illorum subinde conspirantibus studijs pressi, aut ubi dissiluerant distracti. Primus Christophorus Gradensis Antistes non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam si ab uno regeretur, cum jam tum ut ad unum cuncta deducerentur pacis interesset cordate demonstravit, additoque in omne ævum salubri temperamento libertatis, valere jussis missisque Tribunis, auctor fuit ut Rectorem quidem Senatus crearent, sed regnantis tamen. Extat illius digna magno præsule, digna populo libero ad insulanos concio, traduce libertatis spiritu vel isto sæculo decora. Nullum vero Exarchi, nullum Pontificis, nullum Imperatoris factum intervenisse reperio. Si quis intervenisse dicat, probationibus justis se paret. Me quidem, ut ut aliter rem se habere commonstranti cessurum ingenue profiteor, non movet illud, quod ducis sui ab Adeodato Pontifice confirmationem Venetos petijsse Anonymus allegat ex annalibus Petri Iustiniani, cum vel ipse totis viginti annis, antequam Duces Venetijs creari cœperint, Adeo-

Adeodatum in vivis esse desijsse notet. Pone tamen Venetos petijsse à Pontifice confirmationem Ducis sui, idne eos pontificum potestati subjecerit? nihil minus, utique longe absit, ego id ut statuere, præsumam cum ne quidem Anonymus Venetos simpliciter subditos finxisse minime contentus, nisi ut vicarios insuper traducat, rem tam à vero dissonam efferre, nedum argumentis rationibusve ausit tueri. Summum ut largiamur potuit erroneo illo suo effatu, Iustinianus theoninis Anonymi dentibus lancinandum se præbere, potuit illi quid admorderet ostendere, sarta tamen manet, ac tecta Venetorum Libertas, nec ullum inde veritati luxamentum, quæ rerum gestarum erroribus non vitiatur.

---

§. 16.

Fallitur Anonymus, dum inter terram continentem à Venetis incultam, & lacunas Hadriatici maris distinguendum non putat. Inepte etiam ex scripta à B. Gregorio ad Venetorum Ducem Epistola subjectionis infert argumentum.

EST hæc Marci Tullij Ciceronis ad Quintum fratrem sententia, *Ea est hominum labes, ut simulationum involucris tegatur uniuscujusque natura.* Vel tuta in adversario mihi suspecta sunt, nec tamen suspicionibus indulgere est animus: quod res est fatebor, non satis assequor quid sibi noster velit, cum hoc S. Gregorium II. Marcello Venetorum Duci, ordine pariter secundo, scripsisse commemorat, cum inscriptione *Dilectis filijs, Donato Patriarchæ, & Episcopis atque Marcello Duci, & plebi Venetiæ & Istriæ*, cujus epistolæ tale quoque sit exordium: *A Deo salvata communitas vestra*, &c. Quantum con-

conjicio, vult hoc, non esse distinguendum inter Venetos, qui terram continentem incolant, quive in lacunas dispersi degant, sed nullo eos habendos discrimine, Pontificis nimirum exemplo, qui omnes ac singulos uno communitatis verbo sit complexus, aut si non id ei est in animo, subjectionis inde aliquam notam conatur elicere. Utrumque male, de priori, jam non agam, ne retexendis iis quæ jam ante adstructa sunt, ac vel adversarij confessione stabilita, fastidium legenti creem; illud addam, alterius illum cujus Epistolam jactat, atque ipsam quoque Epistolam, ut ex inscriptione liquet, fori fuisse, ad filios spirituales directam, hos ipsos arctis nimium finibus, malignisque prorsum, circumscripserit Anonymus, si alios ipsis limites, quam quousque Beati Petri temporale (fas sit ita dicere) patrimonium exporrigitur, assignat; ut de Epistola ipsa nihil dicam. Quin ea pastoralem curam, quin ordinationem ad spirituale bonum spiret, mihi non est dubium: quidquid sit, adversarius ne γρῦ quidem ex illius contextu adfert, quo libertati Venetæ vel tantillum decedat. Sin ex hoc, ipse quod scripserit Venetorum duci, plebique eorundem subjectionem infert à spirituali diversam, putidus est, eademque ratione Narsetem, Constantiam Augustam, Theodelindam Longobardorum, Brunichildem Francorum reginas, & quos non denique? Gregorio primo subjectos dixerit, hoc nomine quod multotiens ad illos literas dedisse illum videamus. Filij sane vox dilectionis nota est, non Imperij, patrem spirat, non dominum, affectum denique scribentis adversus illos, quibus scribit, propensissimum, ac verbo ut dicam istiusmodi, qualem à nullo superari ipsæ adeoque sacratissimæ leges ajunt, sed non ero hic longior ne aut σκιαμαχεῖν, aut Andabatarum more in tenebris decertare credar.

§. 17.

§. 17.

Historia Leonis Jsaurici Imp. excussa. Varii propterea motus exorti. Tempora nonnihil turbata ostenduntur. Venetorum duces & antiquati & denuo restituti. Exarchi quando esse desierint. Pontificatus Gregorij tertij, & Leonis Isaurici coincidunt. Rebellionis nomen aut crimen in Venetos non cadit. Rebellis quis sit. Argumentum ex Etymologia infirmum. Diaconi locus illustratus.

ALtius hoc § adversarius assurgit, ac non vulgare propositæ sibi subjectionis illius indicium putat quod Diaconus, exulceratis contra Leonem Isauricum animis, & rebus, ut videbatur, jam jam erupturis in nervum Ravennatem exercitum cum Veneto confundat. Verba Diaconi sunt: *Omnis quoque Ravennæ exercitus vel Venetiarum talibus jussis uno animo restiterunt & nisi eos prohibuisset Pontifex, Imperatorem super se constituere fuissent aggressi.* Hos ipsos animorum motus Blondo *rebellionis* voce taxari signarique notat. Illius item verba sunt: *ut Ravennates primi, exinde Venetiæ populi atque milites apertam in Imperatorem Exarchumque rebellionem præ se tulerint.* Tria consideranda videntur ipsi in Diaconi loco: primò, quod pari gradu Venetus ac Ravennas exercitus constituatur, ideoque indubie & pari subjectionis gradu censendi sunt: secundò, quod Imperatores supra se constituere voluerint. Ac denique quod Blondus loquatur de *populis Venetiæ* quod omnino etiam authore Sabellico de terra Venetorum continenti non sit accipiendum, sed de Insulis maris Hadriatici.

Commode ad hoc argumentum responderi non poterit, nisi facem nobis præluceat historica Veritas, quam nimio plus parachronismis & enatis inde erroribus involutam, quo defensioni nostræ fides constet necesse erit expediri. Loquar ergo verbis alienis quacumque potero, & jugi collatione facta, protraham è Democriti puteo temporis filiam, quæque de Venetis ex Diacono, Blondoque allata sunt iis, de quibus nobis sermo est, Venet s aptari neutiquam posse demonstrabo. Certum est Leonem Isauricum Imp. Rom. cui post modum Iconomachi sive Iconoclastæ inditum nomen, Philippici cognomento Bardanis inhærentem vestigiis, ἀσπονδον omnibus omnino sanctorum imaginibus bellum indixisse, utpote qui auctore Sigonio vano Hebræorum vaticinio inductus, hostem eis se fore, si imperio potiretur, promiserat; quin eousque progressus est, authore Diacono, cujus hæc verba sunt, *ut compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam vi quam blanditiis, ut deponerent ubicumque haberentur imagines, tam salvatoris, quam sancta ejus genetricis vel omnium sanctorum, easque in medio civitatis incendio concremari fecerit. Et quia plerique ex populis tale scelus fieri præpediebant*, eodem referente, *aliquanti ex eis capite truncati, alij parte corporis mulctati sunt, cujus errori Germanus Patriarcha non consentiens à propria sede depulsus est, & ejus loco Anastasius presbyter ordinatus est.* Hæc eadem Diaconi eisque sequiora excipiens Blondus allegato porro loco sic continuat. *Non cessavit mala intentione frustratus Imperator, quin imo majora in dies exaggerans scelera apud Pontificicem blanditiis primo egit, ut si in suam vellet gratiam promoveri sanctorum imagines ubique in Italia, sicut ipse in suo Orientali fecerat imperio aboleri, deponi, incendique curaret. Cui* (subjungit) *impietati tantum abfuit ut consentiret Pontifex, quod è contra per universum terrarum orbem scripsit, ne impiis profanisque istiusmodi jussionibus obedirent, tantam tunc potestatem habuerunt Romani Pontificis decreta, ut Raven-*

nates

nates primi, exinde Venetiæ populi apertam in Exarchum Imperatoremque rebellionem jure se tulerint, impulerintque Pontificem ut abrogata Constantinopolitani imperii majestate, ex Italia Romave Imperator diligeretur, eoque processit Exarchi rebellio, ut depositis Exarchi magistratibus, singulæ ei civitates, singula oppida, tunc primum postquam Romanum inclinavit imperium, proprios sibi magistratus quos appellarunt duces præficere inchoaverint. Compescuit vero Stephanus Pontifex eam deligendi Imperatoris novi Italicensium voluntatem quod Leonem speraverit, saniori postmodùm consilio flagitiis temperaturum; procedebat tamen & invalescebat indies Romanorum Italicorumque rebellio; Marinus Spatharius qui Romanæ urbis dux erat, ejusque filius Campaniæ populos pertentarunt. Quod cum rescissent Romani, patre & filio interfectis, Ducem & ipsi quendam Petrum nomine crearunt. Et pariter Ravennates auditis his quæ per Italiam primo, & postea Romæ facta erant, post variatas inter cives intentandarum rerum novarum consultationes Paulum Exarchum interfecerunt. &c.

Quantum ergo ex Blondo colligere licet, opposuit sese Leoni Isaurico Pontifex Stephanus, hunc authorem, hunc ducem, hunc denique moderatorem habuere illorum temporum motus rerumque transitus, sed metuo ne parum ex vero id narretur. Vt enim vult Anonymus ac quidem (ut nec inficior) recte, gesta sunt hæc anno circiter septingentesimo vicesimo quinto. Stephanus vero totis viginti & septem annis ab illo demum tempore Pontificatum adeptus est, nempe anno septingentesimo & secundo supra quinquagesimum, rerum jam tum ab excessu Leonis, decennium integrum potiunte Constantino Copronymo. Turbat insuper sedis Apostolicæ successionem Blondus. Verum quippe ille si diceret, eradendi essent ex albo Pontificum Gregorius III. Zachariasque, quorum uterque Stephanum præcessit, annosque quisque sui Pontificatus enumerat plures decem. Sed neque res Venetæ permiserint ut

hæc in Stephani tempora dicamus incidisse, cum certum sit, etiam annuente adversario, obvenisse illa Ursi Hypatij Venetorum ducis temporibus. Urso, dum turbantibus Heracleanis & Equiliensibus medium sese interponit in turba occiso, cessavit quantisper Venetijs ducum electio; quin ducibus antiquatis fasti numerant quinque equitum magistros annuo imperio urbi præfuisse, hic vero Magistratus cum denuo minus placeret, constat Theodatum Hypatum jam anno ante Constantini Copronymi imperium creatum fuisse Venetorum Ducem. Similiter non ferat hoc Exarchorum Ravennatum Historia, nam si Blondo credimus, præcessit hoc Stephani factum Paulli Exarchi necem, quam sub Isaurico obvenisse certum est, quin imo aliquot annis ante illius Isaurici mortem. Tradunt nimirum annales Isauricum Paullo interfecto Eutychum constituisse Exarchum, in quo & Exarchorum ut dignitas, ita & nomen, idque illo etiamnum imperante esse desijt; licet non desint qui demum Copronymo imperante Exarchorum gubernationem desijsse memoriæ prodant. Quid? quod & Longobardici regni series evincat contrarium. Siquidem enim illa obvenere, ut certe obvenere sub Luytprando, fieri non potest ut hæc Stephano attribuantur, cujus, Sigonio si fidem habemus, ut Aistulphi regnum Pontificatus incidit, cum tamen Aistulphum Hillebrandus præcesserit & Rachis, quorum prior paulo plus semestri, posterior toto quinquennio & quod excurrit Longobardini regni habenas moderatus est. His addamus Chronologos passim, ac nominatim qui de rebus Italicis Pontificumque scripsere, Platinam in vita Gregorij, Sigoniumque lib. 3. de Regn. Ital. diversum à Blondo statuere: quamquam nec diffitear, qui post illos scripsit, Sabellicum, ut ut illis propior accedat, à Blondo non omnino abscedere. Ut ergo ex incertis certa constituamus, eaque tandem

tandem nostro instituto applicemus, statuendum in eadem tempora incidisse Leonis Isaurici imperium & Pontificatum Gregorij tertij, tumultusque illos, de quibus nobis agi jam cœptum ac deinceps agendum erit, præcessisse Pauli Exarchi necem, quorum posterius omnium consensu verum cum sit, probationem non requirit, prius etsi enervata Blondi contrarium statuentis authoritate probatum satis videri possit, non gravabor tamen hic quos modo citavi Platinæ, Sigonij locos (cum & insuper lucem illaturi sint ad ea quæ nobis dicenda sunt) hic transcribere: ait ergo ille, *Hic Gregorius*, nempe statim ubi Pontificatum inijt, *Cleri Romani consensu, Leonem tertium Imperatorem Constantinopolitanum imperio simul & communione fidelium privavit, quod sanctas imagines è sacris ædibus abrasisset, & statuas demolitus esset, quodque etiam de Homousio male sentiret.* Sigonius vero sic infit. *Romæ autem Gregorius Pontifex harum rerum certior factus, sævire animo atque extrema meditari remedia cœpit. Itaque Pontificis Constantini exemplo decretum proposuit, quo Leonem Imperatorem piorum communione removit, ut qui non solum non Catholicus, sed etiam Catholicis infestissimus esset, ac mox Italiæ populos, sacramenti quo se illi obligaverant, religione absolvit; & ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent indixit. Quo decreto accepto Romani, Campani, Ravennates & Pentapolitani à Leone subito defecerunt ac varijs tumultibus excitatis, ipsos etiam violare Magistratus non dubitarunt, quippe Ravennæ Paullus Exarchus occisus est, Romæ Petrus dux luminibus captus, in Campania Exhilaratus dux cum filio Adriano obtruncatus est. Quin etiam odij sui vim adversus eum vehementer adeo intenderunt, ut ad hostiles acerbitates provecti de imperio illi abrogando alioque Imperatore legendo retulerint. Quod consilium Pontifex ut parum præsenti tempori aptum oportunumque repudiavit.* Hactenus ille. Quæ cum nostram irrefragabiliter sententiam firment, constanter nego, rebellionis aut nomen, aut crimen, quod ex Blondo Venetis impingere studet Anonymus,

nymus, in illos potuisse cadere. Fundamentum mihi est cum Bartholo, non dici rebellem qui fecit contra Principem vel statum Reipublicæ, quando ei nunquam fuit subditus, quia tunc dicitur hostis, non autem rebellis. *Extra. qui sint rebelles. versic. tenore in verbis. Sed quæro in quo differt.* Venetos autem Imperatori subditos non fuisse, ut alia jam dicta preteream testetur vel ipse ille Gregorius Pontifex, de quo sermo nunc est, qui literis etiam datis ad Ursum Venetorum Ducem, precibus egisse apud illum, Leoni & Constantino Imperatoribus, contra Longobardos suppetias ferre ut vellet, legitur; ut mox ad sequentem § dicemus fusius, ac quam non cadat in subditos adductis rerum testimoniis ostendemus. Rectius ergo in hostiles acerbitates erupisse Sigonius ait. Mihi quidem si adversarium hoc loco petitis ex jure rationibus confodere animus foret, non essent ea quærenda longe, quid enim illud cuive bono, quod captato rebellionis etymo tantum sibi placet? est re vera aliud nihil etymon ipsum, quæque inde Etymologia deducitur, quam vocis qualiscumque, notatio, aut rei quam designamus expressio, quæ cum longe differat à vera certaque rei designandæ notitia, ne quidem affirmative (ut nostro casu) concludit; tantum abest ut argumentum inde deductum, ad effectum (qualis nobis esset ex etymo rebellionis subjectionis illatio) ex etymo, aut ratione etymi causandum, procedat. Sed enimvero id mihi nunc animi non est, consulat qui volet super hoc Præsidem Everardum in Topicis ubi late hæc singula subtiliterque pertexit. Illud ago, ut ipsa rei evidentia testatum faciam, quos pro se Anonymus adducit locos, eos adduci perperam. Ac quidem comprimis ipsum illum Blondi locum ad urbis Venetæ incolas applicari non posse, duo evincunt, primum est, quod, ut ad sequentem § latius dicam, Leoni Exarchoque vixerint addictissimi, quorum

gratia

gratia ipsos etiam Longobardos, nihil adversum ipsos hostile designantes, ultro bello petierant. Alterum ex ipsius Blondi contextu deducitur, ubi enim dicitur *eo usque progressam rebellionem ut voluerint ex Italia Romave Imperatorem deligi*, item *compescuisse Stephanum eam deligendi novi Imperatoris Italicensium voluntatem.* Item *invalescebat indies Italicorum Romanorumque rebellio.* Item *Ravennates audiis quæ per Italiam primo ac postea Romæ facta essent*, &c. nisi quis lumen animi excæcare atque extinguere sponte velit, satis indicant non quadrare in incolas urbis Venetæ, sed iis adaptanda oræ Venetæ locis, quæ jam antea, qua Gothis, qua Narseti, cæterisque Impp. belli ducibus, qua Francis, qua Longobardis, cessisse, ex Agathia, Procopio, Diacono, Blondo cæterisque dixit author Scrutinii. Quod porro ex Diacono notari jubet Ravennatum Venetorumque exercitum componi, pro me facit plane, verbum enim *vel* quod Diaconus usurpat, ibi accipiendum est, aut ut copulet, aut ut exprimat, quod novum nulli videbitur cui stilus auctoris etiam tantillum est notus. Quin imo eodem hoc capite, cum Diaconis dicit *voluisse Leonem deponi ubicumque haberentur imagines tam Salvatoris quam sanctæ ejus genetricis vel omnium sanctorum* facturos hic mecum omnes credo, asserturosque particulam *vel* aliter, quam cum jungendi exprimendive potentia, nec posse accipi nec debere. Hoc si evinco, per me licet Ravennatem exercitum componat cum Veneto. Evidens plus omnibus erit exercitum illum aut unum fuisse eundemque, aut saltem non aliunde Veneti nomen sortitum, quam ab illis quos ilico designari monstravi Venetis.

§ 18. Epi-

§. 18.

Epistola Gregorij Pontificis diligenter extussa. Nihil illa Libertati Venetæ detrahit. Hortatur illa, non imperat. Pontificum vires unde creverint. Ad Venetos ut ad Tutores Ecclesiæ scripta hæc Epistola. Orationes Paulli Exarchi & Ursi ducis, Venetorum libertatis luculentum argumentum.

PErsonam hic Anonymus ac scenam mutat, cumque videat ea, quæ contra Luytprandum Longobardorum regem gesta sunt à Venetis precibus qua Exarchi, qua Pontificis Gregorij fuisse data, ipsasque illas preces cum annexis optimo jure in libertatis insigne argumentum Venetis deduci, tacite ei occurere conatur, ac, veritatem facti negare cum nequeat, ne nihil dixisse videatur, negat pontificijs in literis ullum omnino libertatis vestigium deprehendi, simulque nec debere nos, ait, factum illud Pontificis subditos ad præstandum, quod superioribus debeant, officium cohortantis, sic accipere, ut ex illo libertatem aliquam exemptionemque è jurisdictione veri legitimique domini inferri putemus.

Verba ejus quam citat epistolæ Pontificiæ fatetur Antonio Iustiniano se debere, cujus fidei tantum in hoc rerum id temporis gestarum articulo cum deferat, ut vel ipsam pro se adducendam, ac contra libertatem Venetorum allegandam putet, in cæteris idem negotium spectantibus absque piaculo sane eam ipsam, quam usque adeo liberaliter ei se habere ostendit fidem, enervare tentet, aut denegare.

Ac quidem ingenue candideque agere, si mens ei fuit aut id quod adstruit, nobis probare, debuerat utique totam nobis exhibere Pontificis Epistolam, ejusque è contextu

textu, si quid inferri valide possit, deducere, atque ob oculos ponere, aut id si nollet, saltim æqui lectoris judicio permittere. Ipse quod omisit, ego præstabo. Epistolæ hæc sunt verba.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Urso Duci Venetiarum. Quia peccato favente Ravennatum civitas, quæ multarum caput extat Ecclesiarum, à nefanda gente Longobardorum capta est, & filius noster eximius Dominus Exarchus apud Venetias ut cognovimus moratur, debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo nostra pariter vice decertare, ut ad pristinum statum sanctæ Reipublicæ imperiali servitio Dominorum filiorumque nostrorum Leonis & Constantini Magnorum Imperatorum ipsa revocetur Ravennatum civitas, zelo & amore sanctæ fidei nostræ. Deus te incolumem servet dilectissime fili.

Judicet nunc æquus lector ecquod breve hoc Pontificium in sese verbum contineat, quo Venetorum subjectio inferatur. Ex adverso multa sunt Libertatem quæ evincant, ac disertim illud, quod à subditis suis auxilium nemo implorat, suamque authoritatem ac fidem nemo interponit, ut subditi Dominis suis, quibus quin in læsæ Majestatis, feloniæ, ac perduellionis crimen committant atque incidant deesse non possunt, laborantibus adesse velint. Nihil abhorret æque refugitque longius, potestas nulli obnoxia, quam precarium regnum. Hic si quidem, ut adversarius vult, subditi erant Veneti, si officii sui non satagebant, si ad defectionem spectabant, agendum erat pro authoritate, imperiisque ut ut

 blan-

blandis, non segnibus tamen, aut in vanum lapsuris; Sic apud Poëtam, dum Phaëtontæum post incendium suam gnatique vicem non sine indignatione miseratur Phœbus, verbisque non obscuris, si Poëtam audimus, solitum currus moderamen detrectat,

Talia dicentem circumstant cætera solem
Numina, neve velit tenebras inducere terris
Supplice voce rogant.

Ex adverso,

— Divum sator atque hominum rex,

sic patrem sese gerit, ut simul regem meminerit, sic regem ut patrem non deponat, subjungit ergo idem qui ante Poëta,

— Missos quoque Iupiter ignes
Excusat, precibusque minas regaliter addit.

Verum nihil hic tale. Ipse Pontifex non imperatorium modo numen aut nomen, non barbarorum tetras gentes, non Ravennatum duntaxat urbem multarum Ecclesiarum caput, permovendo duci allegat, verum semet ipsum, ut

Quo nihil majus meliusve terris,

ac secum communem zelum amoremque sanctæ fidei ob oculos ponit; sua pariter vice decertandum ingerit ac zelo & amore sanctæ fidei revocandam urbem à Barbaris detentam. Est insuper (si verum amamus) hoc ipsum quoque Libertatis ac potentiæ Venetorum non leve argumentum, quod ab ipsis auxilium suppetiasque Pontifex deprecatus sit. Qui historiarum Italicarum à translatione præsertim utriuf-

utriusque Imperii, omnino hospes non est, novit ille proculdubio, primos Pontifices vitæ sanctimonia miraculisque claros, ac sic exemplo magnos, præstringente oculos ad hæc nova Euangelii luce, Imperatores multos ad sese pertraxisse, invitos etiam ac reluctantes: successu deinde temporum, sæculis hæresium sectarumque feracibus, cum tremenda in Ecclesiam Dei persecutionum tempestas desuper etiamnum incumberet, multotiens parricidali, securi jugulum præbuisse, sub ictibus gemuisse, ac sacri cruoris stillicidio terram maculasse. Quoad usque tandem ab aliquot imperatoribus erecti promotique, in illas sese vires asserere cæperunt, quibus impræsentiarum instructi sunt, sed pedetentim gradatimque, ac confugiendo semper ad illos, tanquam ad Asylum, sicubi res eorum in arctum redigi, seque durius haberi animadvertebant. Sic in hujus ipsius Gregorii tertii vita memoriæ tradit Platina: *Consuevisse Pontifices*, ait, *Romanos, si quid mali ab externo hoste immineret auxilia ab Imperatore Constantinopolitano petere, quod*, subjungit ibidem immediate, *facere Gregorius substitit, tum ob illas caussas, quas jam commemoravi, tum vel maxime quod urbem regiam ægre Leo à Saracenis tutaretur, nedum alios defenderet. His itaque rationibus accidit, ut primum Ecclesiæ tutela ab Imperatoribus Constantinopolitanis translata sit.*

Atque hoc modo, qualiter & postmodum Ecclesiæ tutelam, Gregorij ejusdem precibus motus suscepit Carolus Francorum rex, tunc temporis ad Venetos, ut ad tutores Ecclesiæ scripta est Epistola Gregorij, non vero ut ad subditos, quos, ut sui quæ essent officij implerent, hortari (si Dis placet) opus ipsi fuerit. Amplius dicam, nisi perspectam sibi veritatem supprimere dolo malo, nisi contra mentem ire, suæque met conscientiæ vim facere voluisset Anonymus, vidisset apud eundem Iustinianum, cujus authoritatem pro se ad firmandam thesin allegat, orationem Ex-

archi Pauli, ejus quam asserimus Venetorum libertatis inconcussum testimonium, notassetque quam non pro subditis eos Imperatores habuerint. Allegabo ego eorum nonnulla, ut nisi Chamælion sit, erubescere discat adversarius. Illud tamen in antecessum Lectorem monitum volo, esse ea, quæ citaturus sum non Iustiniani ipsius, verum Sabellici, qui ea fere semper verbotenus, quanquam non ea subinde, qua Iustinianus, emphasi, expressit; Causam jam ante dixi, non est mihi nisi Italicè loquens exemplar Iustinianeæ Historiæ, nec adeo sum arrogans, ut in exprimenda Iustiniani sententia æquare me posse confidam Sabellicum, hominem Italum ac tersissimæ Latinitatis scriptorem.

Ait ergo Exarchus, *Sese qui secundus ab Imperatore summo, summumque Magistratum gerebat, copias ductabat, cui populi, civitates, & insulæ nobilissimæ parebant, à quo auxilia cuncti implorabant, barbari & externi reges, exulem, extorrem, sine exercitu, sine dignitate supplicem cogi alienum auxilium implorare.* Si subditi fuerant, Anonyme, cur supplicat Exarchus, cur alienum eorum auxilium vocat? repeto hic illud Poëtæ,

Omnem equidem terram, sceptris quæ libera nostris
Dissidet, externam reor.

Primævæ libertatis apud Venetos testimonium si desideras, audi Exarchum, *Nec prius*, ait ille, *quietura est sæva barbaries, quam totum libertatis nomen tota Italia extinxerit, quod cum alijs molestum videri debet, tum vobis acerbissimum, Dux & viri Veneti, quorum majores non tam mortis, quam servitutis metu olim in hæc loca devenere, qui hoc domicilium libertatis medijs fluctibus constitutum vobis per manus tradiderunt, cui tanto sunt barbari infestiores, quando stabilior est hic omni tempore libertas, quam alibi futura, si sint dico, qui*

eam

eam tueri velint, ſed cur vos illorum progenies non omni tempore tueri velitis, quod priſci Veneti ne amitterent amœniſſima Italiæ ora relicta in hac loca decreto migrarunt, in quibus nihil erat quod poſſet quemquam ad ſui cultum invitare præter locorum fiduciam, quibus illi freti per tot bellorum motus, tot ſtrepitus, tot rerum novitates, libertatem tutati, jam adultam & ſtabilem vobis reliquere, &c. quam vero notanda ſunt illa ejuſdem Paulli? *Et nunc illud perſuadete viri Veneti non Italiæ Exarchum, ſed Romanum Pontificem, & Leonem Imperatorem, in conſpectu veſtro ſtare, veſtrum axilium; veſtram fidem implorare, multis precibus contendere, ut urbem clariſſimam velitis veſtra opera ad imperium retrahi, in veſtra igitur poteſtate eſt velitis apud ſummos nominis Chriſtiani principes ſummum beneficium collocare, de cujus hoſtimento dubitet quidem nemo, niſi qui Imperatoriam majeſtatem dignitatemque pontificiam ita profligatam exiſtimet, ut nulla poſſit inde gratia in futurum expectari; quod tam eſſet impium, quam ſtultum credere.* Ac paulo poſt. *Etiam atque etiam vos hortor ac moneo, ut ne talem promerendorum principum oportunitatem elabi patiamini.* Ac denique quo fœderatos amicoſque Imperatoribus ſemper fuiſſe Venetos conſtet, ne Apelles quidem penicillo æque graphice urbis ſitum faciemque expreſſerit, quam rerum Venetarum ſtatum, exponunt illa Urſi Ducis: *Quum mea magis quam cujuſquam veſtrum interſit videre ne quid in Republica peccetur, vel quia optimi ſit Principis id cavere, vel quod major in me quam in alios redundaret invidia, nunquam paterer viri Veneti publicam fidem co fœdere labefactari quod cum Luytprando ictum habemus. Nam id in dubium video venire utrum fide publica incolumi poſſint Veneti laborantibus Imperij rebus opitulari. Sed meminiſſe vos oportet in eo fœdere, quod cum Longobardis regibus eſt publice ictum, diſerte poſitum ut imperij & Romanorum Pontificum rebus caveretur, atque ita fœdus tenere diceretur, ſi Longobardi ab utriſ-*

utrisque injuriam abstinerent. Quod cum Ravenna de rebus imperij capta sit à Longobardis, sit & Italiæ Exarchus hostiliter pulsus, quis non videt jam Venetos nullo fœdere teneri. Cæterum quantum illorum injuria liberat publicam fidem ab omni perfidiæ crimine, tantum necessitas cui nemo repugnat subigit nos etiam invitos Imperij rebus mature subvenire, quibus in Italia cadentibus, cadere Venetos necesse est. Nam quantacumque est hæc rerum Venetarum fortuna, est enim Dei benignitate minime pœnitenda, quibus alijs artibus aut quibus viribus crevit, quam perpetuo cultu & amicitia Imperij? Et quæ porro sequuntur. Et sic quidem ad hunc § ni fallor dictum satis, probata quoque satis superque puto, quæ superioribus à me in commodiorem locum rejecta fuerunt:

I. Exarcho Paulo non ferendam esse acceptam Ducis apud Venetos creationem, ut ut illa durante illius gubernatione principium habuerit.

II. Pontificum epistolas, quæ ad Venetos datæ sunt, nullam superioritatis quo ad ipsos Pontifices, aut subjectionis à Venetorum partibus esse notam.

III. Perperam ac contra veri fidem à Blondo taxatam Venetorum adversus Leonem Imperatorem, ejusque Exarchum rebellionem.

Liber ergo solutusque ad ulteriora progredior.

§. 19.

§. 19.

Anonymus frustra ex militum Magistris, Magistratu Veneto, colligit Venetos Imperatori subditos fuisse. Ejusmodi Magistratus etiam apud alios fuere. De Tribunis Venetis & Romanis.

Commonstravi jam ante, non infimum ex illo Venetæ libertatis argumentum peti, quod pro libitu suo arbitratuque Tribunos, Militum Magistros, Duceis, ac quoscumque demum Magistratus sibi præfecerint, nedum ut inde aliquod omnino subjectionis indicium eruere liceat. Adversarius tamen quo probet Venetos Imperio fuisse subditos unum ait: ut Exarchos, ita & Magistros militum, nec non tribunos, Magistratuum nomina fuisse alijs in locis haud nota, quam ubi summum habebat Imperator imperium, ac sic quidem Africæ suum fuisse Exarchum, sed qui Imperatorem agnosceret, idem de militum Magistris ac tribunis statuit dicendum porro, ac consentaneum vero, spectasse Venetos ad Imperij corpus, qui non secus quam cætera Imperij membra istiusmodi à Magistratu regerentur, quem vel ipsum nomen evincat, ad Imperiale fastigium, vim suam, una cum ortu referre.

Vt jam non dicam ab accidenti esse, eoque separato deductum consequens, ac neque vel in adminiculum sufficere argumentum tam leve, ut quoque iterato ne repetam pridem dicta, paucis defungar. Fallitur in eo Anonymus, qui non alibi quam sub imperii ditione Exarchos, Tribunos, Militumve Magistros, pari etiam qua sub imperatoribus agebant potestate instructos, reperiri putat. Earchos quod attinet, audiamus de Exarchis dissertantem si placet Hieronymum

nymum Rubeum: is vero ſub principium libr. 3. Ravennatis hiſtoriæ *Fuere & aliis in locis Exarchi, ut in Africa Gennadius ad quem hoc titulo D. Gregorius ſcripſit. Athenienſes quoque* (an & hos Imperatori vendicas Anonyme?) *Exarchum habuere ut Iulius Pollux eſt author. Siciliæ etiam Exarchum præfuiſſe à Michaële Balbo cæteriſque Byzantiis Cæſaribus miſſum ex Joanne Curopalate & Thoma Fazelio rerum Siculárum diligentiſſimo ſcriptore ſatis conſtat. Quod ſi repertis vetuſtis Marmoribus habemus fidem Mediolani etiam fuit Exarchus, nam Merula tabulam ex marmore Mediolani inventam ſcribit qua hæc continebantur. D. M. Aurelio Ianuario inſigni Dalmat. fert. & Aurelio Valentiniano Exarcho poſuit Aurelius pater Ianuarius, vixit annis XXXIII. M. II.* Ad Tribunos ut veniamus, eſt hic omnino ineptus adverſarius, neque eſt quiſquam tam hoſpes in Hiſtoria qui ullos omnino tribunos, quales ſub Imperatoribus fuere, Primanos puta, Laticlavios, aut Auguſti clavios, Rerum nitentium, Militum, Actuoſos & Vacantes, Sacri ſtabuli, Notariorum, à præfecto prætorio inſtitutos, & qui plures ejus generis fuere, cum Tribunis Venetis comparandos putet. Quid? quod populare ab initio tribuni nomen vel hoc ipſo placuiſſe potuit populis ſervitutis nomen exhorrentibus.

Quid! quod cum nomine munus eorum ſimiliter fuerit populare. Pone tamen tribunis apud Venetos largius aliquantiſper imperium fuiſſe, ac regendi jus. Non minus id fuit ſub populari regimine P. R. Appiano ſi credimus lib. 4°. belli civili ἱερὰ ἐστιν ἡ ἀρχὴ καὶ ἄσυλος· καὶ τὰ μέγιστα ἰσχύειν ὡς καὶ τῶν ὑπάτων τινὰς καὶ ἐν τὰς φυλακὰς ἐμβαλεῖν. Ac ſi quod res eſt dicimus mutuati ſunt tribunitij nominis velamentum ipſi Imperatores, ſic ut fere ſemper Libertatem everſuri qui ſunt, ſpecioſum Libertatis nomen præ ſe ferunt. Introductæ jam in Rempubl. Tyrannidis ſtator ac vindex Auguſtus, conſulem ab initio ſe tulit authore Tacito & ad tuendam

tuendam plebem tribunitio jure contentum. Ac ut neque Militum magiſtros relinquamus intactos, magiſtratus illi qui apud Lacones Πολέμαρχοι dicebantur Athenis ἱππάρχοι, ut apud Sigonium ſuo de Athenienſi Republ. tractatu videre eſt, ejuſdem, ſi non omnino nominis, authoritatis ſaltem ejuſdem fuere. Interim longe diverſa illorum potentia fuit dignitaſque ab illa, quam habebant apud Venetos militum magiſtri. Quos cur illo nomine indigetare Venetis viſum ſit, annales tacent, neque ego dixero. Si conjecturis locum facimus ut exemplum, ita & nomen à Conſtantino Magno fortaſſe deſumpſere. Ille narrante Zozymo, ut præfectorum prætorio qui à Maxentii partibus ſteterant vires infringeret, Magiſtros militum inſtituit, Venetis, quod Ducum potentiam res illorum temporum minus ferrent magiſtros militum legi coeptos, quo minus dicatur nihil vetat. Putidus ſum, ſi cum res ipſa diſcrepet ſimilitudini vocum nominumve recte quid deferri, multis aut negem, aut doceri velim.

---

§. 20.

Fruſtra eſt Anonymus, dum negat ex eo, quod Longobardi nunquam Venetæ urbis domini fuere, Venetorum ſequi Libertatem.

NVllum hoc § argumentum, directe atque in propatulo format Anonymus, ſed cum jam ante faſſus ſit, Longobardos nunquam urbis Venetæ fuiſſe dominos, atque etiamnum fatetur, quo tempore Longobardis Ravenna una cum locis omnibus ad Exarchatum ſpectantibus iterato ceſſit, haud enumerari tamen urbem Venetam inter illa:

quæ Longobardis cesserint; negat tamen ex illo recte quippiam inferri pro Venetorum Libertate, tacitæque objectioni velut occursurus, novum quoque negat esse, ut summo pluribus subalternis magistratibus hic aut ille cum imperio præsit, ac nihilo tamen minus cæteri illi distinctos habeant Iurisdictionum suarum territoriorumque fines. Vt exemplo res illustrior fiat. Neapoleos proregem Mediolanique præfectum refert, cæteris Hispani regis per Italiam ministris cum imperio præesse, neque tamen ullatenus ob hoc mutatos regni Neapolitani terminos, finesve Mediolanensium confusos.

Multis hic non agam, vereor enim ne opera me abuti candidus lector credat; ad illa respondere si velim, quibus neque ipse quidem adversarius legitimæ argumentationis robur accommodat. Sciunt omnes quæ inter alios fiunt, tertio, cujus quidem nullum interesse vertitur, nec obesse posse nec prodesse, nihil id ipsum facit ad Venetorum Libertatem, qua lege ministros attineat Hispaniæ Rex, aut quam late quamve large jurisdictionis suæ limites extendat Mediolani Dux; Ac cum ex separatis nihil potenter inferatur, sufficit ex adverso pro Venetis ipsa illa adversarii confessio, cui elevandæ, ac in se quantum foret exterminandæ, syncera legentibus perstare judicia, quod haud patiatur mirum mihi non fit, quando neque ipsum fugere potest, quoties ex hujusmodi omissionibus authorum, scriptorumve, occasionem sibi arripuerit atque argumentum. Ac quidem illius confessioni quanta sit efficacia etiamsi ostendi à nobis posset, valideque in authorem Scrutinij contorqueri, non est tamen proprie id ipsum nostri instituti, ut pote qui debitum veritati, nec non & illi quam defendendam adsumpsimus Libertati præstitisse patrocinium videbimur, si confutatis illius objectionibus, quid sentiendum sit de

tota

tota controversia, ipsi porro rerum evidentiæ commissum linquamus.

---

§. 21.

Donatio Pipini imaginaria. Homines liberi in commercio esse non possunt. Duces Venetorum apud Imperatores Orientis variis dignitatibus functi. Male exinde subjectio Venetorum infertur. Proedri, Spatarij, Archispatarii, qui fuerint. Batavi corporum aliquot Impp. Rom. custodes. Id honoris etiam Frisiis delatum. Sebasti dignitas. Dignitates in Duces Venetos collatæ amicitiæ, non subjectionis argumenta.

AC ne hoc quidem § directe argumentari noster audet, quo ne tamen sui aliquo pacto dissimilis sit, quantumvis etiamnum ipsemet fateri cogatur, nullis historicorum monumentis sufficienter probari posse Venetos (eadem ipsius hæc sunt verba) in temporalibus S. R. I. fuisse subditos, citat nihilominus textum ex Ostiense desumptum ac vel se judice, erroneum, cujus auctoramento fides legentibus fieri possit Pipini munificentia donoque patrimonio sedis Apostolicæ Venetos accessisse. Is vero textus tenuis multum cum sit, ac cum propius inspexeris pellucidus, ait porro, spectasse potius ad imperium Orientale res Venetorum, utpote quorum Duces Spatarij, Protospatarij, Archispatarij, Imperialis Hypati, Protosebasti, Protoedri, Patricij denique imperialis, dignitatibus functos constet. Nisi omnino fallor animi morbo indulget, cunctaque è quibus inferri aut in suspicionem influere possit Venetorum sub-

jectio, concervat argumenta ut ut evanida ac nec hilum profutura, nulli prorsus bono, nisi forte id agit, ut ex ipsa farragine præsidij quid suæ thesi acquirat, ut quæ

——Lectori singula duram
Flectere non valeant, flectant simul omnia mentem.

Donationem Pipini quod attinet, imaginariam (ut est re vera) dixisse contentus, operose adversus illam non insurgam: fatigavit multorum calamos immensa Constantini donatio, ne quidem iis ipsis credita, quorum maxime ne convelleretur intererat. Peti ex illorum scriptis rationes possunt horsum facturæ.

Ac nec tanti judicet id quispiam, obviæ cum sint, tritæ, ac nulli non cognitæ. Clamat ipsa naturalis ratio quemadmodum homines liberi, in commercio esse haud possunt aut alienari, perinde quoque non aliam esse donationum materiem quam res illas, quæ in commercium cadunt, & sic quidem eodem jure donari possunt, quo illas alienare liberum est. Spectarintne porro ad Orientalis Imperii sedem res Venetorum, ac quatenus, commodius pleniusque suo mox loco exequemur, in præsens ergo quid sibi velit adversarius despiciamus, cum Duceis Venetorum iis apud Imperatores Orientis quas modo enumeravi dignitatibus functos ait. Dicam quod ICtus. Celsus, Domitio Labeoni rescripsit. l. Domitius. ff. qui testam. fac. possunt. *Aut ego non intelligo quid sit de quo quæris, aut valde stulta est quæstio tua.* Si enim simpliciter id allegat, ut constet verum esse quod dicit, perperam omnino facit; cum quia plane nihil ad subjectam materiam tali commemoratione accedit, tum quod nec sit quispiam, qui factum neget, id ipsum quod dicit. Hoc vero si agit ut ex ista Imperatorum Orientis in Venetos Duceis dignitatum collatione subjectionem, quam sibi præscribit, adstruat, næ

totus

totus in errore est, eoque nec uno. Nemo tam est in historiis hospes, qui Libertatem Venetam (Ius hic summæ potestatis designo) pari cum ducibus jure censendam ducat. Ac ut ut summo cum imperio duces apud Venetos (quanquam falsum & hoc, ut suo pariter loco) rerum potitos asserendum putet, ea ad totum reipub. corpus pertinere, dicere audeat, quæ ducis personam ut egrediantur, nulla juris ratio permittat. Addo quod nec hactenus authorum repertus sit quispiam qui sentiat, eum, qui aliàs, in se consideratus, subditus alteri non sit, eo solo nomine, quod ab altero illo beneficiis adfectus, aut dignitatibus ornatus sit, è libero subditum reddi, quo nimirum casu non rei, sed personæ (ut hic) dignitas collata deprehenditur. Addo & hoc; rei alienæ & ad se non pertinenti etiam ab eo qui superiorem non agnoscit frustra atque inutiliter ullam dignitatem conferri, in subjectionis argumentum, ut ut secus sit in proposito adfectus testandi, de quo statim. Illud non inficior posse Papam, Imperatores, Principes, reales in terris sibi subjectis erigere dignitates, easque dignitates subjectionis argumentum esse non infirmum; etiam ultra statuo cum Abbate in *cap. cum inferior. de Major. & obed. Socin. consil.* 152. *lib.* 2. *per totum*. Verùm nec hoc mihi quispiam eripiat, concludi id omne territorii sui finibus, quos excedere si cui lubet, audiat illud; Extra territorium jus dicenti impune non pareri. Ac ut pressius etiamnum loquar, ipsa quæ enumerat dignitatum nomina vel me tacente evincunt datum quidquid id fuit amori, adfectus, personæque (fas sit ita dicere) ducum ipsorum, nec quid inde ad Rempublicam dimanasse, præter illud unum, quod etiamnum per subditorum gloriam inclarescere, ac (summum ut dicamus) quodammodo etiam vivere dicantur Respublicæ. Veruntamen, pone ullas, Venetis, qua ducibus, quacivibus, dignitates contulisse, hinc Orientis, inde

Occidentis Imperatores, aut collatas voluisse, eone minus liberam, illustrem, suique juris futuram fuisse dicamus Venetorum rempublicam? absit sane: Usurpare lubet illud Divi Julij, quantumvis dissimili occasione prolatum,

—— Si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago subducere fontes,
Non magis ablatis unquam decresceret æquor,
Quam nunc crescit aquis.

Certum est porro dignitates illas, non semper subditis (quanquam & hoc non raro) verum etiam externis liberisque hominibus conferri solitas; ac neque viritim, sed vel turmatim. De Patricijs Imperialibus, deque Hypatis dictum antea, nunc non repeto; de Protofœdro nihil hactenus, post exquisitam satis indagationem, apud Codinum, Cedrenum, Curopa'atemve, unde hæc petenda, reperio. Conjecturæ si quid liceat, error est Typographi, Proedrum voluit concilii sanctioris, ac in quo res gravioris negocii tractabantur, Præsidem designare. Demus admotum sanctioribus conciliis hunc aut illum, virtutis id est meritique non subjectionis signum: Sed missa conjectura, de Spatariis, Archispatariis Spatho cubicularibus, Protospatariis videamus. Certum est illos non alios fuisse quam σωματοφύλακας Imperatorum. Id vero tali dignitate præditos; ut subjectioni damnet, merito novum videbitur illi, qui Romano Pontifici, qui Galliæ Regibus cæterisque orbis Christiani dynastis, ad corpo-poris custodiam admoveri videbit Helvetios, gentem, si qua alia est, liberam nec ulli subditam. Tacitum, Dionem, Suetonium, qui modo à limine salutavit, Batavos ac latiori nomine Germanos, Augusto, Tiberio, Germanico, Caligulæ, Agrippinæ, Neroni, Galbæ ac cui non denique?

corpo-

corporis custodes fuisse fatebitur. Istone ergo nomine etiamnum subditos? nihil minus. Delatum id honoris etiam Frisiis ad quos, ab avo materno originem refero, meis, ut ex Interamnensi in Vmbria reperta inscriptione, notare licet, quorum sane spectata in Populum R. fides fuit, obsequium quamdiu per avaritiam præfectorum non stetit, come ac diuturnum, nulla, quæ Libertatem ademerit, subjectio. Exemplo fuerit quod Neronis tempore cum in Pompeij theatrum intrassent Verritus & Mallorix Frisiorum Legati, & quosdam externo cultu, in Senatorum consessibus animadverterent, quinam forent rogitantes, postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent. NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE exclamarunt digressique sint & inter Patres consederunt, quod ipsum comiter à visentibus acceptum, Tacitus notat, quasi impetus antiqui, bonæque (ita Lipsius legendum censet & recte) æmulationis. Item quod de Spatarijs, de Sebastis quoque dixerimus, nempe Protosebasti dignitatem meritis potius quam subjectioni deferendam. Erant hac dignitate Sebasti, Sebastocratores, Sebastophori, Protosebasti, Panhypersebasti, quorum prima à Panhypersebasto erat (quod & nomen indicat) Protosebasti dignitas, Panhypersebasti vero qualitas, si Codino credimus, ἰσοστάσιος καὶ σύνθρονος τῷ καίσαρι ac Imperatori æqualis. Quis vero credat secundum ab Imperatorio fastigio locum delatum subdito? sane ut ut per quam egregie assurrexisset jam tum Venetorum nomen, lenta tamen habuit primordia, neque id temporis eo usque provectum erat, ut credibile sit par fuise futurum ferendæ illorum invidiæ, qui Imperatori subditi cum essent, & auctoritate & opibus, nec non & viribus longe praecellebant atque oculis minus æquis, sinistrisque, adspecturi

ſpectori erant tam ſublimeis honoris prærogativas. Ad ipſam denique rerum veritatem experientiamque quotidianam recurrere ſi lubeat, videbimus nullas hic ſubjectionis, aut dominij parteis eſſe, ſed amicitiæ. Sunt hæc Scytharum ad Alexandrum, *quibus bellum non intuleris bonis amicis poteris uti, nam & firmiſſima eſt inter pares amicitia, & videntur pares qui non fecerunt inter ſe periculum virium. Quos viceris amicos tibi eſſe cave credas. inter dominum & ſervum nulla amicitia eſt.* Ea ipſa examuſſim in Venetos ac Orientis Imperatores aptari poſſe ex tota Hiſtoria patet, ut ex mox dicendis clarius patebit: ſaltem ab ijs, cum nec armis petiti fuerint; nec victi, minus ingenui ſit, quæ amori debentur, violentiæ coactionique delata velle. Amicitia ergo in conferendis dignitatibus προσωποληψίαν omnem ignorat. Nihil jam dicam, antiquam olim eamque juſtiſſimam apud Thraces legem fuiſſe ut nobis Atheneus lib. 4. Deipnoſophiſticorum memoriæ prodit, ut quibus facultates ſuppeterent regem munerarentur, qui vero nihil haberent iis rex daret: In conferenda dignitate ſubſiſtam, ac ne multis, brevitatis ergo, è veteribus unum, pariterque unum è recentioribus, allegaſſe contentus defungar. Plutarchus ſuo de rebus publ. tractatu author eſt, Alexandro magno civitatem à Megarenſibus decretam, atque hic cum ſtudium eorum pro joculari duceret, regeſſiſſe Megarenſeis, ſoli ſe ſuperiorum memoriæ, civitatem Herculi, & ſecundum illum ipſi decreviſſe; atque ita Alexandrum admiratione adfectum, dignationem raritate dimetientem, agnoviſſe honorem. Recenti exemplo, nonne quotquot fere ſunt ex Auſtriaca domo progeniti, aurei velleris equites ſe ferunt? At nec ipſi Imperatores, ipſi Hiſpaniarum reges, Auſtriæ Archiduces, ſuæ cum domo Burgundica dignitatem, non exæquatam modo, ſed & infra ipſam conſtitutam ferant, quod ex invento Philippi Burgundionis

dionis erecta sit prædicta aurei velleris societas, ejusque, nec non ab eo descendentium, manu, in ipsos collata sint societatis ac honoris insignia. Vt nec sanæ mentis futurus sit, qui magnum illum Alexandrum, cui ne quidem Orbis unus suffecit, Megarensibus ob admissos ipsorum honores æqualem, nedum inferiorem effingere in animum inducat.

---

§ 22.

Historia capti à Desiderio Longobardorum Rege filij Mauritij Venetorum Ducis. Malignus Anonymi animus. Aliquando inimicorum amici hostium loco habentur.

AIt hoc § narrare Bibliothecarium Anastasium, Mauritij Venetorum Ducis filium à Desiderio Longobardorum rege fuisse captum, nec eorum quæ tradat rationem assignare, aut causam, quæ tamen in promptu sit, nempe factum id eò, quod adversum subditos imperij male affecti essent Longobardi. Leviusculum hoc, & quod sine responso transmitti posset; est interim adversarius apertè malignus. Filium quippe ducis si respicit, est ab accidenti quod vult captivum fuisse: ista namque captivitas, si dubio Martis debetur eventui, dicendum cum Epirotarum rege:

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me Libertati parcere certum est.
Dono ducite, doque volentibus & magnis Dis.

Sin vero illam delicto deputat, peccat in ipsam humanita-

 tem,

tem, quæ delicti causas in se considerata procul habet. *Si* Venetos Imperatoribus subjectos credit, jam recordetur quæso, aliter olere catulos, aliter sues, ac longe à subditis amicos differre, quamvis & hoc novum quoque non est, neque inauditum, hostibus, inimicorum amicos, hostium loco nonnunquam haberi; nullam ob id necessitatem existere, cur subditis annumeremus, atque ut subditos odio Imperatorum male dicamus habitos, quos amicos dicere possimus, quibusque ipsum non minus quam subditis noxæ esse & potest & solet, amici nomen. Exemplo fuerit gens Ætolorum, eosdem cum P. R. amicos, inimicos eosdem ex fœdere habere jussa: Urbs etiam illa, quæ dum Senatus deliberat fœde eversa est, ut nihil dicam de iis, qui bello medij sunt, quos neque partis quæ superior est gratiam inire certum est, neque alterius odium diffugere. Notum illud Poëtæ,

Nunc neque Pompei Brutum, neque Cæsaris hostem
Post bellum victoris habe.

---

§ 23.

Candor in Anonymo quæsitus. Carolus Magnus Francorum Rex in Italiam adversus Longobardos excitus. Suppetias ei Veneti tulere, non ex imperio, aut mercede conducti, sed sponte libera.

PRoduxit annorum gestarumque rerum series adversarium ad finem regni Longobardici, utinam quoque ad metam perverse cum rebus authorum scripta detorquendi,

eaque

eaque ſupprimendi quæ Veritati lucem allatura, non poteſt non eſſe vel ipſimet quam perſpectiſſimum. Id ut voveamus, meritiſſimam nobis hic § occaſionem ſuppeditat. Ait ille, ſcriptores Venetos memoriæ prodere, excitum ab Adriano Pontifice Carolum Magnum, Francorum Regem, adverſus Deſiderium Longobardum, à Venetis claſſe viginti quinque navium adjutum fuiſſe, quod cum nulli authorum, qui præteritis vixere ſæculis, narretur; addit, non videre ſeſe, quo pacto veritati conſonum ſit, quod Bernardus Iuſtinianus inquit, dum in conſilio Tribunorum ventilatur, ferendæne eſſent Carolo ſuppetiæ nec ne, Deſiderij quoque erga ſe ſtudium multis in rebus perſpectum memoratum fuiſſe; cum tamen certum ſit, à Deſiderio fuiſſe captum ipſius Ducis filium. Negat porro ex ſuppetiis Carolo latis, aut pro Venetorum Libertate, aut contra illam argumentum deſumi poſſe, quamdiu non conſtat, qua lege, aut conditione, arma ſua Francicis adjunxerint.

Verumne ſit nec ne, quod ille refert, non niſi Venetis ſcriptoribus tradi de latis Carolo adverſus Deſiderium Longobardorum regem auxiliis, indagine non eſt opus. Satis eſt quæ à Venetis tradita ſunt, hactenus ſtare, neque eſſe qui ea, pro minus veris habeant. Illud vero aperte malignum eſt, & viro bono indignum, quod ait, aſſequi ſe non poſſe, quo pacto temporibus iſtis beneficia Deſiderij commemorari potuerint, qui eo ipſo, quo hæc gererentur, momento, filium Ducis attineret captivum. Sin neſcit, videat vel hinc ſaltim, diſcatque Anonymus, privatam Ducum conditionem ut ut civitatis Principem, cæteraſque magno intervallo ſupergreſſam, non eo tamen fuiſſe loco, ut totum ad ſe Reipub. corpus ſui momento attraxerit, ſed neque omnino habendum pro impoſſibili, ut cujus in Rempub. extant benemerita, ejuſdem quoque offenſæ Rempub. lædant, ac vel in

tantum, ut reipub. Rectores ancipites habeant, vindicandæne sint offensæ, an vero grata benefactorum memoria obliterandæ. Non est humanarum virium rectum semper tenere cursum, neque eos, qui nunquam peccent, sed qui sæpius honeste agunt, pro honestis habendos ratio docet. Sane laudabili apud Persas instituto cum quis à Iudice quippiam contra leges argueretur fecisse, etiamsi liquido constaret eum culpæ affinem esse, non tamen condemnabatur statim, sed prius in omnem ejus vitam inquirebatur diligentissime, plurane turpiter & flagitiose, an bene laudabiliterque gessisset, turpium si vinceret numerus condemnabatur, si præponderarent turpibus honesta, absolvebatur. Ac sic quidem facile conciliantur, quæ adversario videntur ἀσύστατα. Ut vero liqueat peccare ipsum contra viri boni officium, verba ipsa Iustiniani à me versa recitabo. Ille, post hæc verba: *Desiderii quoque regis erga se studium multis in rebus perspectum memorabatur*, quæ ab Anonymo citantur, immediate subjungit, *Et speciatim in Heraclea confiniis, qua pridem Venetis Luitprandus donaverat, donationem Desiderius ratam habuerat, amplissimoque insuper confirmarat privilegio*. Arbitror equidem, quicumque videbit hæc non esse ab Historico ex intervallo posita, verum annexa, cohærentia, eidemque inclusa periodo, debitum veritati candorem in Anonymo requiret, damnabit indignam viro ingenuo suppressionem veri, aut non negabit saltem malignum hominis esse judicium; eique ne locum quidem fuisse futurum pronuntiabit, si quidem ille aut sibimet ipsi vim haud inferre, aut veritati, quam plenissime perspectam habebat cognitamque, quantum debuerat deferre voluisset.

Eandem omnino censuram opus est incurrant ultima citati à nobis §, quibus asseverare nititur, nihil Venetorum Libertati præsidii accedere, nihil quoque decedere posse,

quan-

quantisper non constat, an Carolo militaverint ex imperio, an sponte liberâ, an vero mercede ad id conducti. Quid enim dicemus, si manifesto appareat, neque ex præscripto latas suppetias, nec exactas mercede media? Quod video, restabit nihil, nisi ut ipsemet secundum enumerationes illarum, quas fecit partium, spontaneas dicat. At vero dico, non fuisse latas illas ad imperium mandatumve Caroli. Argumento ipsa sit rei evidentia. Incognitum nempe ante ea tempora fuisse constat Caroli in Italia regnum. Sigonio si credimus: *Victo captoque rege Desiderio, & Longobardis omnibus in fidem ac ditionem receptis* (ipsamet illius verba sunt) *Carolus regnum Italicum jure victoriæ sibi vindicavit.* Si victoriæ jure, fuit ergo illi victoria pro titulo, quem antea nullum habebat, si eum demum sit nactus victo captoque Desiderio, & acceptis in ditionem Longobardis, dictat ratio non habuisse illum simile jus ante ea tempora, ac per consequens, neque Venetis pro imperij Iure, naves auxiliaresve copias, sibi ut submitterent indicere eum, aut præscribere potuisse. Si dicendum sit Venetos operas præstitisse mercenarias, (sciens prætereo aliud dictare rerum gestarum fidem) rationem non video, cur minus Anonymus liberos illos pronuntiaturus sit, quam Helvetios, quos ipse pro populo sui juris qui sit, in fundamentum velitationis hujus, ac exemplum, ultro adfert, omni exceptione majus. Insolens haud est, aurum qui accipit, Libertatem ut vendat, est tamen id inter ea quæ libere fiunt, ac in quibus, sicubi displicuerit, liberum est juxta & pœnitendi arbitrium, patetque plenarius ad pristinam libertatem regressus. Nihil ergo certum æquè, quam spontanea fuisse auxilia Venetorum illis temporibus Francorum regi lata. Quod quidem ita si est, ut esse negari non potest, lubens assentior, ipse per se benignus lector ut judicet, cujusnam fuerint status Veneti qui isto

sæculo vixerunt. Dixi jam ante non suscepisse me patrocinium asserendæ illorum libertatis, firma per semet ipsam ea hactenus stetit, stabitque (fave benignum numen) intemerata, intemeranda. Calumniarum iniqua averruncare volenti, suffecerit, intra justæ defensionis moderamenta, mentem manumque arctare potuisse.

---

§. 24. 25. 26.

Carolus donationem Pipini patris confirmat. Inter alia donatæ Provinciæ Venetorum, & Histriarum dicuntur. Nec Pipinum, nec Carolum donare eas potuisse ostenditur.

HOrum ut §§ refutationi operose insistam non est operæ, neque enim illi directe instituto nostro adversantur. Accedit quod ex iis, quæ jam ante attulimus, satis appareat respondendum quid sit: hoc vult. Carolum Romæ cum esset, confirmasse donationem patris Pipini, atque etiamnum iterasse, Anastasium vero Bibliothecarium, inter illa, quæ Pontifici donatâ sunt, Provincias Venetiarum atque Histriarum comprehendere, credere vero sese textum illum Anastasii mendosum, non minus utique quam alterum illum Hostiensis, quem tertio ab hinc §, ipsemet erroris damnat.

Quam paucissimis ergo ut defungar, unum dicam titulum hic me requirere, cujus vi atque efficaciâ donare Venetorum oras Histriæque aut Pipinus aut Carolus potuerint. Sigonii, quem præcedenti § adduxi, locus, jus Carolo nullum defert, nisi post debellatum Desiderium: atqui si Anonymo credimus, paternam donationem tempore obsidionis Patavi-

Patavinæ, ac sic nondum depulso sedibus suis Desiderio, ratam Carolus habuit. Monstrandum ergo quo jure Provincias illas aut donare Pipinus potuerit, aut quo pacto rata habere Carolus ea, quæ pater donaverat, cum tamen illa neutrius in potestate essent ac manu, sive donationis tempus attendas, aut quæ donationem sequuta fertur, confirmationis. Aliena dono dari posse, perinde ac vendi testamentove relinqui, modo interesse præstetur, quis forte dixerit, ac neque ego negavero, sunt tamen ab alienis ea segreganda quæ in commerc o non sunt, inter quæ liber est homo, ni semet ipse venundari lucelli faciundi causa sit passus, spretaque Libertate, cui superesse forsitan haud potuerat, alterius esse maluerit quam suus.

Quod posterioribus §§ ait redegisse Carolum sub ditionem suam Ducatum Beneventanum annoque à nato Christo VIII[c]. Imperatoriam suscepisse dignitatem, ad ea quæ præ manibus habemus, ne hilum quidem faciant, aut sicubi (ut facturum se adversarius præfert) iis repetitis erit opus, aut confutatis, unius dilutionis aut confutationis labor ille futurus est, atque eo levior procul dubio, quod una eademque responsione ad binas simul objectiones, respondere dabitur, ac quod in proverbio est, geminos parietes una dealbare fideliâ.

---

§. 27.

Anno DCCCII. *utriusque Imperatoris Legati convenere.*

PLane nihil hic § continet, quam anno recuperatæ salutis secundo, supra octingentesimum, nec non & tertio ultro citroque utriusque Imperatoris commeasse Legatos,

inseratur) si Gradensem civitatem velit anno superius citato nempe IↃ IIIC IV. urbis Venetæ partem fuisse. Si non fuit, ut revera non fuit, separatam Venetorum Gradiensiumque fuisse causam, æquum est patiatur. Ut quid obtineat, probandum foret, ad urbem Venetam, ut totius sui partem Gradum pertinuisse. Id vero ei impossibile; cum ex Historijs doceamur, totis quinque annis postmodum insulas illas, ac inter eas Gradum in unum corpus coagmentatas, nempe post navalem obsidionem à Pipino tentatam (ut seqq. §§) parum fæliciter. Italos scriptores ut consulto prętercam Paulum Æmilium Historiographum Gallum patria cætero quin Veronensem, si placet audiamus, ait ille, *Constat bello Gallico faciem Venetæ urbis immutatam*, ac paulò post: *Veneti summi viri videbantur, Francorumque bellum, cæteris horrendum, ipsi etiam in bonum verterunt, ac relictis pars maxima reliquis sedibus, quas Venetiis contributas diversissimis æstuariis littoribusque passim incoluissent sexaginta passim insulas, ut quæque Rivo alto proximè adjacebant, pontibus inter se jungunt, quæ singulæ admodum parvæ, universæ magnificentissimæ urbis speciem præberent, ubi Ducum sedes publicumque deinceps concilium haberetur*. Æmilio astipulantur Chronologi, neque qui dissentiat hactenus mihi visus. Accedit quod factum illud Caroli privilegii nomine vix est ut venire possit, sed citius beneficii habendum sit loco: quis enim privilegium dicat, si quis libere aliquem ac quiete agere permittat, qui sibi amicus sit, aut quem amici causa offendere non audeat? Conspiraverat adversus Venetos duces, quibus ob decessorem suum interfectum quam pessime volebat, Fortunatus Gradensis Episcopus, detectaque conspiratione, Gradi ulterius haud ausus subsistere, in Galliam profugerat ad Carolum, cujus sese penitiori familiaritati jam antea Romæ cum agerent, insinuaverat: Ejus adminiculo, Carolum in Venetos extimulaverat. Quid hic mirum ergo si Carolus

Venetorum hostis à Gradensibus contra Venetos adjuvandus, iis concesserat, ut quiete viverent? fuit ergo concessio ista, non tam (ita loqui liceat) beneficii positiva, quam negativa maleficii, qua scilicet iis qui sub ejus agerent exercitu, aut imperio, prohibitum fuisse dicendum est, Gradenses aliquo pacto lædere. Si quis urgeat, cum causam successivam habuerit, imo maxime dicendum Privilegium, atque eo magis quod ipse Iustinianus ait extare exemplum istius Privilegii (quod amplissimo epitetho etiamnum ornat) in Chronicis Andreæ Danduli; adstringi tamen id suis finibus dicendum est: Histriæ nimirum, Romaniolæ ac Longobardiæ, quas quidem Carolus ex fœdere, de quo statim sequenti § fusius tractabimus, sibi depectus erat. Vnde etiam apparet, iniquè cum Iustiniano, qui eum rideat agere Anonymum, cum dicit ex textu illius Privilegii videri nullum Imperio Gallico in maritima Venetiâ jus fuisse. Exigit quidem ipse dicti rationem à Iustiniano, eam tamen si non videt, cæcus est, si videre non vult malignus. Certum est potestatem concedentis Privilegium attineri territorii finibus; certum est item verba generalia specificis subjuncta restringi ad specifica. Si Gradus pars fuit Venetiæ maritimæ, si Dominus ejus erat Carolus, cur qui adjacentium Provinciarum Histriæ, Romaniolæ, Longobardiæ meminit, Venetorum obliviscitur. Si pars non fuit, quis non videt verba illa: *& ubicumque quietè degant.* ad Histriam, Romaniolam, & Longobardiam sese referre, nec ultra porrigi?

Hæc ergo Iustinianæi dicti ratio est; quam cum ipse fundet in textu privilegij à se visi, si quid contradicere volebat adversarius, poterat illius fidem (ut sæpiusculè solet) elevare, rationem vero ut exigeret, causa non erat, cum præter textum illius prilegij immediate etiamnum alteram Iustinianus subjungat rationē, quam non potuit ille non videre, nempe

Caro-

Carolum Magnum post firmatum cum Orientis Imperatore fœdus, cum ducem Istriæ Provinciæ præfecisset Iohannem, quererenturque Istriæ populi atteri sese insolitis oneribus, tres eo destinasse quæsitores, qui despicerent, ne populus Clerusve, durius haberentur, cunctaque in pristinum restituerentur statum, ejusdemque essent conditionis, qua ante fuerant, Græcorum sub imperio: additque Iustinianus nullam oræ Venetæ mentionem fieri, cur? quia *ex fœdere libera manere jussa erat, nec imperium Caroli agnoscere tenebatur.* Inter hæc Iustiniani verba si quid intercessisset rerum, si quæ lacunæ, si quæ sententiarum digressiones, venia forsan adversario danda esset; at nihil hic tale, imo ex adverso connexa sunt omnia, atque inter se concatenata, medij nihil est. Adeo sicubi præjudicijs judicium succumbit, vel ad solis jubar caligant mortales,

Nec juvat ad surdas si cantet Phineus aureis,
Nec miserum Thamyram picta tabella juvat.

---

§. 29.

Frustra Anonymus Venetos utrique Imperio subditos facit. Fieri id non potuit. Diviso Orientis atque Occidentis imperio sibi, & libertati suæ Veneti sunt relicti. Aliud est utrique imperio obedire, aliud neutris partibus accenseri. Pax inter Irenicum & Carolum facta. Qua Veneti neutri obnoxij pronunciantur. Fazoldi mens explicata.

LAnguere cœpisse videri poterat adversarius aliquot §§. in disputatione sua. Hic vero se recolligit, & illo quod

inter Nicephorum Orientis, ac Carolum Magnum Occidentis Imperatores, sancitum est fœdere, cautum refert, authore Blondo, ut Veneti, qui antea *ex vetusta consuetudine Constantinopolitano magis parentes* (verba sunt Blondi) *erant imperio, legibus proprijs ita viverent, ut pariter utrique Imperio obedirent.* Citat insuper & alterum Blondi locum, ubi sic ait, *Pariter altera in parte Italiæ Veneti, etsi Græco magis consentiebant quam Romano, non tamen in omnimoda illius potestate erant.* His non contentus in Iustinianum denuo incurrit, Bardum adulationis taxat, Goffredi Viterbiensis fidem elevat, cœlum denique terræ miscet, ut Venetos, utrique imperio fuisse subditos, Lectori persuadeat.

Equidem, sicubi unquam veracem adversarium expertus sum, hic experior, agnosco ipsum quod facere se velle dixit, abunde præstare, ac non quid juris sit, sed quid facti inquirere. Hoc ipsum tamen lubens ei condonarem, nisi vir egregie, quod hic ipse testatur discursus, in jure versatus, in quæstione facti, captiosis vera postponere, injustaque pro legitimis venditare præclarum putaret. Veniamus in rem præsentem. Utriusque Imperij subditos Venetos facit. Plebis hic apud Livium voces audire videor: Unius Regis ejecti loco, binos sibi imperitare quiritantis.

Quid vero hoc monstri, binis eundem populum paruisse? non diffiteor, ubi scissis in contraria studiis, in partes itum est, aut bello civili factioneve, ut Rempub. hic premat, ille distrahat, accidere posse; verum quis hoc evenire posse præsumet eo in loco, qui utrique imperio medius, & per se subsistere poterat, ac neque impedire, quo minus Imperium utrimque intra fineis suos terminosque coërcitum, secure subsisteret? Si credi debere putat Anonymus, utrique imperio Venetos paruisse, unde illa quæso, ac quidem primæva parendi necessitas? à situne urbis? absit, à primo urbis condi-

conditore utrique subdito? nec hoc quidem; à quæsito utrique imperantium jure? multo minus. Hactenus id saltim non liquet, ac refuga dominantium Libertas, non alia jura novit quam quæ à communi parente cuivis prompta sunt obviaque, ac ne verborum sim prodigus, ingenita. Obedisse Anonymus si vult, Imperium necesse est ut ponat, illud vero unde? an translata Constantinopolin sede, facta quoque eodem tempore divisio conventumque eccujus Imperio Venetûm Vrbs accederet? sin facta est aliqua, cur non adfertur? sin nulla, quid frustra tempus extrahimus? Iterum dico, si facta est aliqua divisio, unde tam altum omnibus omnino, qui Historiam istorum scripsere temporum, super hac re silentium? id ipsum fortuitum si quis putet, nec ultra æstimandum, ad quid pactione opus fuit? Iam ante obedientiæ vinculis attinebantur impetriti, quid stipulatione, ut utrique obedirent imperio? Apage ergo Alexandri maleferiatam sententiam, cui nec magis duos Asia Reges habere potuisse visa est; quam mundus geminos soles sufferre: ridicula sit experientia Lucani, cui

—— Dum terra fretum, terramque levabit
Aër & immensi volvent Titana labores,
Nulla fides regni socijs, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. ——

Arduum esse eodem loco potentiam esse & concordiam, frustra Tacitus (hist. 4.) cui & alibi (ann. 12.) Regni cupido fratre & filia potior dicta est, monuerit. Frustra Carthaginensium deploraverit antistes, quos unius uteri hospitium ceperit, unius regni non cepisse consortium. Cypr. Epist. ad Demetr. Anonymo si credimus per decursum non unius sæculi, utriusque imperij, Venetum Urbs portio fuit, &

quidem ex æquo; tamque immensa rerum omnium, sursum deorsum euntium, vertigine. Mansit illibata imperatoribus utrimque concordia, neque quis sibi præcipuos illos habere, aut eis præ altero dominari in animum induxit. Taceo jam eo deveniundum, ut ipsam veritatem quæ neminem posse simul duobus obedire dominis pronunciat, (cum adversario si sentimus) inaniloquij ream pronunciare sit necesse; prætereo, frustra ICtos. proprium imperio, innatumque jurisdictioni & adæquatum ducere, ut sint individua: quibus tamen si quis recte sentire velit, non video quo pacto cum adversario ei sit conventurum. Me quidem judice (salvo melius sentientium placito) tutius fecerimus, si cum ijsdem JCtis, formam ipsam substantiamque ab effectu secreverimus. Individuum quid est servitus, at vero fructus dividuos nemo neget: Individuum quid jurisdictio, at non perinde individui sunt jurisdictionis effectus, & cum effectu commoda. Ut Blondum veritati, quin etiam sibi concilicmus, statuendum quod res est, Venetos quo tempore facta est divisio Orientis, atque Occidentis Imperiorum, ejus jam tum fuisse momenti ac pro talibus habitos, ut alterutri si sese illos adjungere partium eveniret, uterque Imperator judicaverit fieri non posse, quin illa cujus accessionem sese Veneti vellent, alteram viribus excessura esset, ac tantum non oppressura; ac proinde communi suffragio satius esse visum, ut quos natura situsque loci utrimque sejunxerant sibi sua haberent, resque imperij ut extra se positas, nihil ad se pertinere putarent, essentque tuta utriusque imperij subditis cum Venetis ac sine fraude commercia. Venetisque ex adverso cum subditis Imperij ita componere se suaque liceret, ut assolent illi, qui nulli privatim, publiceve obnoxij, secure degunt, ac neminem cum læserint, ne quis eos lædat neutiquam timent. Usu compertum non semel, ex ipsa situs vicini-

vicinitate, quæ dominantibus ut firmissimum amoris vinculum, nunquam non prætendi solet, graviorum quaquaversum curarum, sequiorumque fere semper suspicionum, ac simultatis non infrequenter causas enasci. His si jungimus vicinorum odia semel concepta non eadem facilitate, qua nascuntur, emori solere; utique nullam hic cum adversario imaginabimur in proposita nobis facti specie similitudinem veri, saltim istiusmodi nullam, qualem ille nobis delineat, nedum à facti verisimilitudine delabemur ad credulitatem nullis (solida ac per se subsistentia ut omittam) veri simulacris suffultam, quamque ipsa, quæ stultorum mater, rerum experientia, viam monstrantibus innumeris omnium omnino sæculorum exemplis confodit evertitque. Atq; hoc est quod firmant illa Blondi, quæ ipse quoque Anonymus citat, *In fœderibus illud accurate apud vetustos Scriptores legimus intervenisse, ut Veneta urbs Italiæ maritima utrumque reverita Imperatorem, proprijs uteretur legibus, & sive pace sive bello neutris partium censeretur.* Nemo est qui non videat, aliud esse, utrique imperio obedire; aliud, proprijs uti legibus, &, sive bello sive pace neutris partium accenseri, sunt tamen hæc utraque ejusdem Blondi, quem sibi si contrarium dicit Anonymus, qua fronte quave fiducia volet, contra receptam praxim, ut testi fidem habeamus contraria attestanti? Sin existimat conciliari posse, ecquæ sane conciliatio excogitari, nedum dari possit, quæ vero magis sit consentanea, quam est illa quæ jam nunc à nobis est allata? quam sane conciliationem non leviter probant illa Pauli Æmilij Veronensis qui libro historiæ suæ tertio in vita Caroli Magni, ubi de fœdere inter Carolum & Nicephorum agit, ait. *Id in has conditiones ictum, ut alter Orientis, alter Occidentis Augusti fratresque essent, dicerenturque simul hinc à Neapoli, illinc à Siponto, quidquid ulterioris Italiæ in mare procurrit cum suâ è regione insulis à Græco, reliquum à Franco*

jura

jura peterent, inter duo imperia medius cardo Venetiæ, utriusque Imperii Majestatem comiter conservarent. Quam procul hæc ab omni remota sint subjectione, per se videre Lectorem non dubito, modo recordari velit geminatim jam ante repetita ICti. Proculi verba, *Liberum* nempe *haud minus esse populum, etiamsi fœderis legibus adjectum sit, ut ille populus alterius Majestatem comiter conservaret.* Atque ut sic etiam ab eo quod juris est, accedamus, ad ea quæ facti sunt, id est, ad ipsam gestarum rerum veritatem, videre lubet quid super hac transactione posterorum memoriæ commendatum sit. Qua in re ut eo, quem sanctè professus sum quaqua versum observaturum, candore progrediar, ICtos. primum omnes ac quidem magni nominis ac inter eos Alciatum præteribo: Historicos etiam ipsos, atque inter eos Egnatium prætermittam, licet ille disertim tradat in vita Caroli Magni, voluisse Carolum in transactione terminorum cum Orientis Imperatore ut Veneti neutrius legibus tenerentur. Atque omnes denique annalium scriptores, qui Venetæ urbi nataleis suos debent. Omnes etiam præteribo Chronologos, qui Venetos Authores hoc loco laudant, ac quo nulla vel suspicionis umbra residua sit, minime suspectos allegabo, ac primo quidem Carolum Sigonium, vel ipsi adversario à synceritate ac fide commendatissimum, & Huldricum Mutium, hominem Germanum, eoque judicio ac candore scriptorem, quantum in probatissimo vel votis optare liceat. Ait ergo Sigonius de regno Italiæ lib. 4o. *Nicephorus initio rebus pariter suis conducere arbitratus pacem cum Carolo habere, Legatos ad Carolum ad Salam amnem castra habentem, de feriendo fædere misit; Eos Carolus non benigne solum excepit, sed etiam fœdere icto cum literis domum remisit, in fœdere illud nominatim expressum, ut Veneti inter utrumque imperium positi, liberi, atque immunes, & ab utroque securi viverent, ac sine molestia res suas, in Italico regno possiderent.* Pôsterior

ſterior rerum Germanicarum lib. 9. *Paxque facta eſt*, inquit, *inter Irenem & Carolum & cum Nicephoro, ea conditionum lege, ut Veneti ſuis legibus uterentur, eſſetque civitas libera neutri, neque Orientis neque Occidentis imperio obnoxia.* Subjungam his epimetri loco Iacobum Leſmoræum Theologum Scotum è ſocietate Ieſu, nec id alia de causâ quam quod authorem ſuum nominat Æmilium lib. 4. integerrimum hac in re teſtem, aitque, *quantumvis pacis conditiones eſſent inter duos Imperatores, ut uterque Auguſtus eſſet & Orientali maneret Sicilia, cum ea parte Italiæ quæ eſt à Sipontinis in Apulia verſus Græciam, reliqua omnia eſſent Imperatoris Occidentis, Veneti tamen ab utroque Imperio immunes ac liberi decernuntur.*

Leſmoræo etiamnum alterum è dicta Societate Ieſu adjungere libet Horatium nempe Turſſelinum, ita ille *Articulis hujus fœderis additum, ut Veneta Reſpub. nec hujus, nec illius imperium agnoſceret, nequaquam imperio ſubdita, utpote abſolute libera, ſuique Iuris.* Petrus autem Berthautius Presbyter oratorij D. Ieſu. Flori Gallici lib. 2. c. 15. *Convenit, ut Orientis alter, alter Occidentis Auguſtus diceretur, ac medius inter duo imperia velut limes, Venetiarum Reſpubl. utriuſque Majeſtatem obſervaret: libera, immunis, & ab utroque ſecura.* Recordatur etiamnum fœderis hujus Petrus Mexias nobilis Hiſpanus, aitque in vita Caroli Magni fœdere iſto cautum fuiſſe, *Veneta urbs utrique parti ut eſſet amica, neutrarum cæteroquin partium nec huic nec illi ſubdita.* Plura non addam, videt ex allegatis benignus Lector, quam vera ſint quæ de origine incrementoque libertatis Venetæ è Blondo, Cedreno, Sigonio, alijſque ſupra citavimus, videt quoque, ut ſucceſſu temporis urbs illa, velut eo manu ducentibus fatis, indefeſſo ſupremi numinis favore quaqua verſum comitante, tantos progreſſus fecerit, ut quam ab initio opprimere pronum fuiſſet, quo minus id fieret, quos magnis conatibus opportunos notatum, tranſitus rerum, primo impedi-

jura peterent, inter duo imperia medius cardo Venetiæ, utriusque Imperij Majestatem comiter conservarent. Quam procul hæc ab omni remota sint subjectione, per se videre Lectorem non dubito, modo recordari velit geminatim jam ante repetita ICti. Proculi verba, *Liberum* nempe *haud minus esse populum, etiamsi fœderis legibus adjectum sit, ut ille populus alterius Majestatem comiter conservaret.* Atque ut sic etiam ab eo quod juris est, accedamus, ad ea quæ facti sunt, id est, ad ipsam gestarum rerum veritatem, videre lubet quid super hac transactione posterorum memoriæ commendatum sit. Qua in re ut eo, quem sanctè professus sum quaqua versum observaturum, candore progrediar, ICtos. primum omnes ac quidem magni nominis ac inter eos Alciatum prætcribo: Historicos etiam ipsos, atque inter eos Egnatium prætermittam, licet ille disertim tradat in vita Caroli Magni, voluisse Carolum in transactione terminorum cum Orientis Imperatore ut Veneti neutrius legibus tenerentur. Atque omnes denique annalium scriptores, qui Venetæ urbi nataleis suos debent. Omnes etiam prætcribo Chronologos, qui Venetos Authores hoc loco laudant, ac quo nulla vel suspicionis umbra residua sit, minime suspectos allegabo, ac primo quidem Carolum Sigonium, vel ipsi adversario à synceritate ac fide commendatissimum, & Huldricum Mutium, hominem Germanum, eoque judicio ac candore scriptorem, quantum in probatissimo vel votis optare liceat. Ait ergo Sigonius de regno Italiæ lib. 4o. *Nicephorus initio rebus pariter suis conducere arbitratus pacem cum Carolo habere, Legatos ad Carolum ad Salam amnem castra habentem, de feriendo fœdere misit; Eos Carolus non benigne solum excepit, sed etiam fœdere icto cum literis domum remisit, in fœdere illud nominatim expressum, ut Veneti inter utrumque imperium positi, liberi, atque immunes, & ab utroque securi viverent, ac sine molestia res suas, in Italico regno possiderent.* Posterior

sterior rerum Germanicarum lib. 9. *Paxque facta est*, inquit, *inter Irenem & Carolum & cum Nicephoro, ea conditionum lege, ut Veneti suis legibus uterentur, essetque civitas libera neutri, neque Orientis neque Occidentis imperio obnoxia.* Subjungam his epimetri loco Iacobum Lesmoræum Theologum Scotum è societate Iesu, nec id alia de causâ quam quod authorem suum nominat Æmilium lib. 4. integerrimum hac in re testem, aitque, *quantumvis pacis conditiones essent inter duos Imperatores, ut uterque Augustus esset & Orientali maneret Sicilia, cum ea parte Italiæ quæ est à Sipontinis in Apulia versus Græciam, reliqua omnia essent imperatoris Occidentis, Veneti tamen ab utroque Imperio immunes ac liberi decernuntur.*

Lesmoræo etiamnum alterum è dicta Societate Iesu adjungere libet Horatium nempe Tursselinum, ita ille *Articulis hujus fœderis additum, ut Veneta Respub. nec hujus, nec illius imperium agnosceret, nequaquam imperio subdita, utpote absolute libera, suique Iuris.* Petrus autem Berthautius Presbyter oratorij D. Iesu. Flori Gallici lib. 2. c. 15. *Convenit, ut Orientis alter, alter Occidentis Augustus diceretur, ac medius inter duo imperia velut limes, Venetiarum Respubl. utriusque Majestatem observaret: libera, immunis, & ab utroque secura.* Recordatur etiamnum fœderis hujus Petrus Mexias nobilis Hispanus, aitque in vita Caroli Magni fœdere isto cautum fuisse, *Veneta urbs utrique parti ut esset amica, neutrarum cæteroquin partium nec huic nec illi subdita.* Plura non addam, videt ex allegatis benignus Lector, quam vera sint quæ de origine incrementoque libertatis Venetæ è Blondo, Cedreno, Sigonio, alijsque supra citavimus, videt quoque, ut successu temporis urbs illa, velut eo manu ducentibus fatis, indefesso supremi numinis favore quaqua versum comitante, tantos progressus fecerit, ut quam ab initio opprimere pronum fuisset, quo minus id fieret, quos magnis conatibus opportunos notatum, transitus rerum, primo impedi-

pedierint, videt exinde ut viribus civiumque numero indies auctior, suammet ipsa libertatem tutari servareque, servatam in majus extollere potuerit, ac vel eo magnitudinis virtute ac constantiâ civium suorum promovere, ut media cum esset inter utrumque imperium constituta, imperantium uterque suis eam legibus permittere maluerit, quam aut communibus armis appetere, aut uni sibi vindicandam relinquere. Nec aliter videas saluberrimo in omne ævum consilio, rerum humanarum peritissimos, quacumque datur sic potentiam vicinorum viresque admoderatas velle, ne unquam graves sint, ac in æquilibrio velut bilancis trutinæ pendulæ, se finesque suos tutari possint, adversum vim atque injuriam: res aliorum novare, turbare aut invadere, non item. Vt longior ne sim in re (ut spero) nulli dubia, consulto prætereo, quæ adversus Iustinianum nugatur Anonymus, quæ Bardo convicia ingerit, utpote talia quæ sint ut ijs jam nunc responsum sit, aut nullo præterea responso sit opus. Paucis addam, leviusculum esse quod ex Faroldi elogio elicit. Hunc nimirum, Anonymi mens est, cum dicat eo anno sive superiore remansisse Venetos, subjectionem in præteritum tacite fateri; Quasi vero aliter accipiendum sit illud, quam Venetos, ab omni ævo ante ea tempora liberos, ad illud jam fastigij traducem subvexisse libertatem, ut vel ipsorum imperantium non consensu modo, sed decreto, liberi, suique juris, sine superiore remanserint. Alia sane Faroldo mens esse non potuit, aut si fuisse ut credamus postulat, subjectionem in præteritum opportet adstruat argumentis indubijs validisque, in tam ardua, tantique momenti re, conjecturas male formatas, exsurgentesque ex perperam detortis scribentium verbis, ac contra ipsam scribentis intentionem prolatas, admittere æquum haud esse, non uno discursus sui libro adseverat

ſeverat Anonymus, nos etiam quid epiphonematibus, eloquijs, enunciatiſque ejuſmodi deferendum ſit, non uno loco monuimus.

---

§. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37.

Pipinus Venetos neutiquam in poteſtatem redegit. Id ipſum Æmilii Veronenſis, Sigonii & aliorum teſtimonio luculenter probatum. Hiſtoria illius belli accurate excuſſa. Libertas Veneta paſſim ſtetit immota. Magnifica Venetorum legatio ad Carolum Imperatorem. Hiſtoria horum temporum & res obſcuræ. Facta probari debent, non præſumi. Imperator à Venetis Dalmatiſque minus recte inter ſe convenientibus conſultus, & quare. Fœdus inter Venetos, & Italicos ante Caroli Craſſi tempora percuſſum. Male Anonymus ex Nicephoro ſententiam ſuam de debellatis Venetis adſtruere conatur. A perfidiæ in Pipinum notâ Veneti liberati. Locus Adelmi de ſubjecta Pipino Venetia quomodo intelligendus. Adverſatur ſibi Anonymus. Variis auctorum teſtimonijs ſententia adverſarii refutata.

HOrum quos nunc in manum deſumo §. §. una hæc eſt intentio, ut Lectori probet Pipinum Caroli filium, vivente etiamnum Carolo patre, Venetos in poteſtatem redegiſſe, everſurus nimirum fundamenta noſtra, quibus Libertatem eſſe diximus quod velis faciendi facultatem, niſi

aut vi aut jure prohibearis, neque enim causa est, quin si vi superati sint, actum sit cum eorum libertate. Quid præstet agedum videamus, Ac quidem primo fatetur plurimum tenebrarum circumfusum esse historiæ, fatemur & nos: verum cum id fateri habeat necesse, perperam agit, ac fide prorsus non bona, qui fragmenta quædam Gallicorum scriptorum eruit, ac lectori obtrudere satagit, quo ne ullum ex iis quæ præcedunt quæve sequuntur, judicium ferri possit, nos ad singula cum bono Deo responsa paramus, ac quidem ut in hac re notus sit candor noster, hoc lectorem meum ut notare dignetur etiam atque etiam rogo, laudari ab Anonymo circa veritatem hujus historiæ; atque etiam in argumentum, adeoque in argumentum à sensu corporeo desumptum ac sic quidem validissimum adduci, adductum etiam jam ante à nobis Paulum Æmilium Gallicarum rerum scriptorem, qui sane patriâ Veronensis cum fuerit, omnino credendus non est, plura studio partium, quam veritati dare voluisse, equidem jure optimo etiam à nobis adducetur, eoque majore ut æquum est efficacia, quod ipsius etiamnum testimonio acquiescentem Anonymum videamus, ac, sic quoque causam subesse non posse, quo minus ejus narratis plenaria fides habeatur. Hic ergo lib. historiarum suarum tertio, ab ovo cuncta repetens, causasque belli primi enarrans postquam inter Nicephorum & Carolum fide sic satis ambigua scripsit agitata pacis consilia, porro subjungit, *Venetus utrumque Imperatorem observare jussus, ultro citroque commeans pacem redintegrare conabatur, nulla re insecutâ, nisi quod infestior hostis Veneto Pipinus quam Græco effectus est, crimini dans eum inter speciem reconciliandæ gratiæ pecuniâ supplementoque hostium classem juvisse.* Agnoscet hic ut opinior, (si quidem vir bonus esse aut videri vult) adversarius, sequestra Venetorum inter utrumque Imperatorem moderamenta, ad pacem inter

ter eos formandam ſpectantia, Bardumque male adulationis ſibi taxatum fatebitur, ac in poſterum ſugillare deſinet. Pergit Æmilius. *Ac paulo ante Nicephorus Auguſtus duces fratres Obelerium Spatarium, Beatum Conſulem creavit, igitur Francus Brundulum, Palæſtinam, Albiolam, quæ Venetæ civitatis per bonæ partes erant, capit, Methamaucumque deſertum fuga Optimatum, nobilem locum, quod ibi tunc ducum ſedes ac regimen rerum eſſet occupat, & velut confecto bello, cum una parte Nicetas, altera Paulus cum claſſe adventarent ne circumveneretur claſſem reduxit. Eſt apud Venetos fama, Pipinum cum Rivum altum inſularum Venetarum celeberrimam claſſe tentaret, brevibus ſtagniſque impeditum æſtu recedente hæſiſſe, cladeq; Francorum nobilem locum factum, certiores authores nihil tale tradunt. Conſtat Gallico bello faciem Venetæ urbis immutatam, Pipinum, diruiſſa claſſe, Mediolanum ſe recepiſſe. Auguſtus Francus eo exorabilior paci Venetis reddendæ fuit, quod omnem culpam à republica in duces ſuos averterent, quos in patriam neſaria conſilia iniviſſe vel ea fides erat, quod voluntarium ſibi conſciviſſent exilium, & Veneti ſummi viri videbantur, Francorumque bellum cæteris horrendum ipſi etiam in bonum verterant, ac relictis pars maxima reliquis ſedibus, quas Venetiis contributas diverſiſſimis æſtuariis littoribuſque paſſim incoluiſſent, ſexaginta circiter inſulas, ut quæque Rivo alto proximæ adjacebant pontibus interſe jungunt, quæ ſingulæ admodum parvæ, univerſæ ſpeciem magnificentiſſimæ urbis nobis præberent, ubi Ducum ſedes, publicumque Concilium deinceps haberetur. Sunt qui non ductu ſed juſſu Pipini Venetum bellum geſtum tradant, idque facile crediderim quod neque Carolum Auguſtum, neque filios ipſos aliis certaminibus navalibus interfuiſſe conſtat, ſed præfeciſſe Comites ſuos, cum in terreſtribus neque ſuo, neque filiorum periculo parceret Francus.*

Æmilio Veronenſi quem Comitem potius addiderimus quam caſtigatiſſimæ fidei atque ſedulitatis hiſtoricum Carolum Sigonium, ille ergo poſtquam belli illius hiſtoriam variè adeo à Francis Venetiſque narrari eſt pro-

 feſſus,

fessus, ut neque in caussa neque in eventu consentiant; postquam ostendit in quam diversa inter sese illi, ac discrepantia dissiliant, ad se ubi redit, historiæque suæ filum prætexit, *Belli*, inquit, *ut apparatus, sic etiam exitus fuit memorabilis. Pipinus cum Metamauci nihil, nisi domos vacuas repperisset, eas diruit, ac littore toto percurso usque ad portum pervenit, ibi cum omnem belli summam ad Olivolam & Rivum altum constitisse, omnesque Venetorum copias ad eum locum tenendum collatas esse audiret, eum invadere statuit. Verum majoribus navigijs eò penetrari non posse à peritis regionis edoctus, ex proximis amnibus lintres omnes contraxit, ad quos, quia satis multi non erant, rates ex trabibus compactas adjecit, ac castellorum in modum munitas affatim armis, virisque implevit, atque eas adversus hostes, Obelerio facilem victoriam pollicente, immisit. Rates passim accessu æstus, partim remulco lintrium, partim longis militum pilis impulsæ, aliquanto spatio cursum prospere confecerunt, ubi vero in altiorem aquam sunt provectæ, neque contis amplius impelli, neque propter gravitatem suam remulco trahi longius potuerunt. Id cum Veneti sensissent, atque æstu decedente, jam in contrarium rapiente, Francos laborantes vidissent, continuo levibus Lintribus, quibus abundabant, se intulerunt, ac remulcis incisis rates à lintribus separarunt, quo facto lintres ipsos adorti, plerosque aut fluctibus submerserunt, aut in potestatem adductos pessimè habuerunt, inde rates quæ in paludes ab ipso æstus impetu abreptæ subsederant, usque adeo urgere cœperunt, ut Franci tenui vado confisi in aquam se demitterent, quo pedibus ad littus perfugerent. Verum opinione sua decepti, mox obruti limo, cæsi omnes, aut capti sunt. Pipinus qui cum paucis Metamaucum fœlicem rei exitum operiens se retulerat, ubi tantam suorum cladem audivi, mæstus Obelerio & Valentino secum ductis, Ravennam repetijt. Hac tantâ victoriâ partâ ingens inter Venetos gratulatio facta, novaque formandæ Reipublicæ consilia inita. Beatus*

Dux

Dux cum Metamaucum excisum videret, animum ad sedem in Rivum altum & Olivolam traducendam adjecit, eas propter magnitudinem suam satis amplas ad vicinorum populorum multitudinem & Reipublicæ, quam sibi pollicebatur, dignitatem recipiendam fore arbitratus: atque tribunis & primoribus insularum in consilium advocatis, ex eorum auctoritate regiam eò traduxit. Beato vero, antequam res ad exitum perduceretur, vita functo, Angelus Particiacus Dux substit utus incapta persolvere instituit, itaque cum Rivum altum Duci, Olivolam Episcopo destinasset, prima Ducalis prætorij, quo loco nunc est, fundamenta jecit. Urbs Rivoaltum & Olivolam continens, post uno Venetiarum nomine appellata. Hæc ejus urbis & Reipublicæ, quæ ad hunc usque diem opulentissima, atque amplissima fuit, principia fuisse feruntur, quæ tum terminis à Grado ad Caput aggeris angustissimis claudebatur.

Atque hic etiam desinit Sigonius, cujus equidem testimonio etsi probatam satis adsertamque Venetorum existimem libertatem, monstratumque eos Pipini armis in prædam nullatenus cessisse, ut tamen evidentius sese legentium oculis nuda rei veritas ingerat, intexam ut luculentum, sic & veracissimum testimonium Huldrici Mutij, quem Germanum cum dixi, germana virtute & fide quivis intelligat, utique à partium studiis immunem; omitto quod vel fatente invidiâ scriptor ille fuerit comprimis magni judicij, ac quod caput rei est, qui nihil unquam veri indictum relinquere, nihil falsum dixisse ausus fuisse deprehenditur. Ait ille libro Germanicarum rerum nono. *hanc defectionem Venetorum* (nimirum quod Constantinopolitano imperio adhæsisse videbantur, spretis quæ cum Gallo inierant pactis conventis) *non laturus Imperator Carolus, multo quam prius apparatu belli ampliore, invadit eos Duce Pipino. Venetorum subditi, ut antea ex oppidis & agris passim*

passim se intra mœnia Venetiarum recipiunt, Pipinus omnia habitatoribus & omnibus rebus vacua facile in potestatem redegit. Erat autem consilium & spes Venetorum, non diu cum tanto exercitu permanere posse in castris: Ipsi vero habebant omnia necessaria in urbe uberrimè & liberè navibus per mare, quo volebant, invehere poterant, neque enim navali facultate Pipinus pollebat, ipsi vero classem habebant magnam, & bene instructam, & qui eam regebant peritissimos, ad pugnamque navalem expeditissimos.

Cum igitur Pipinus aliquamdiu sic in castris tempus frustra tereret, Venetique nullum deditionis aut timoris signum præberent, sed se intra mœnia continerent, intellexit eorum spem esse brevi discessurum. Erat primum consilium Pipini captum agrum & urbes advenis habitatoribus tradere, fortibusque viris ex Germania, & Italiam reliquam illis jungere ut quando Veneti post exercitus discessum, recipere conarentur, una conjuncti resisterent. Sed Carolus jubet eum nullis impensis parcere, classem quoque parare, qua etiam ab usu maris prohibeantur, pontifex in classe paranda & tota Italia juvat eum. Postquam circumdedit urbem mari & terrâ pontem ab arido usque ad urbem, magnum opus facere instituit, cum autem pene erat ad urbem perductus, igne à Venetis miro artificio ex materia facto, correptus, mediâ nocte totus conflagravit, periitque eâ nocte magnus militum, qui in ponte erant, numerus, Classem quoque ejus incendere conati, sed Itali qui in ea erant, caverunt: sed navali prælio congressi, cedere coacti sunt Pipini naves, unâ atque alterâ amissâ, quibus rebus non parum commotus est irâ Pipinus, sed quo magis cupit ulcisci, hoc minus speï est fieri posse, videt enim inexpugnabilem urbem, videt obstinatos civium animos, pudet sic decedere rebus infectis, Imperator Carolus subornat Pontificem ut se interponat, & qualemcumque possit pacem faciat. Pontifex ad Venetos mittit legationem Episcopum virum facundia & prudentia insigniter dotatum, qui ubi venit ad Venetos & Pontificis voluntatem & postulata de pace exposuisset, responderunt, se nullis rationibus posse mercaturam qua civitas cœperit, & in eam magnitudinem creverit & hactenus conservata sit, relinquere, nisi velint

velint & cœlum mutare, sed ad impossibilia promittenda adactos à Carolo, quæ servare ullis legibus nemo cogatur, quare aut Libertatem suam retinere, aut extrema omnia tentare. Si Carolus eis velit integrum relinquere cum Constantinopolitanis & etiam cum Turcis mercaturam exercere, habiturum amicam civitatem, & quæ officia justa nunquam sit negatura. Interea Pipinus reparare naves, simulare se alios milites ex Germania expectare, moliri maxima quæque, Veneti respondent Pontificis Legato, si possit efficere ut in quiete possint statum civitatis conservare, salva Libertate, maximi beneficii loco habituros. Donant præterea munuscula non vulgaria legato, qui horum responso audito ad Carolum proficiscitur in Germaniam, agitque apud Carolum Venetorum caussam, & exponit Pontificis voluntatem de facienda pace, quasi ignarus, quod hoc Carolus à Pontifice petierit, & incertum est an dissimularit se scire, an vero nescierit. Carolo magno placuit taciturnitas & fides Pontificis, Venetorum causam serio agit, quod tueri statum urbis sine Græcorum & aliorum exterorum commercio non possint: Si ex agricultura aut pactione vivere velint, urbem relinquendam necessitate coactos, invitos contra cæsaream Caroli Majestatem egisse, Caroli virtutes à pluribus Venetiarum Principibus viris prædicari candidissimè, nihil æque cupere quam à Carolo occasionem præberi, quo animum civitatis erga eum declarare possint. Petere pacem sed cum Libertate conjunctam, sed in qua urbis status possit durare, sed possibilem servatu, contraque quam non cogantur, velint nolint, agere. Carolus à Pontificis Legato Episcopo placatus, & Venetis benevolus redditus totus, respondet se majora Pontifici non negare aut posse aut debere. Venetis ignoscere, & quæcumque ad augendam civitatem faciant, concedere. Episcopum multis officiis collatis, dimittit, cupitque arbitros Pontificem & hunc legatum de componenda pace cum Venetis. Fit pax, sua omnia recuperant, liberè cum omnibus commercia agunt, dimittuntur exercitus. Hoc pacto hoc est finitum bellum. Hactenus Mutius. Sunt porro Mutianis illis multum affinia quæ traduntur à Petro Mexia, cujus jam ante mentionem fecimus. *Super hoc* inquit ille *bello, quod in Venetos*

netos susceptum fuit antiqui scriptores tam diversa tradunt, ut veritatem perfecte assequi non liceat. Tradunt quidam, aliquot illorum insulas, & inter eas regionem cui à Rivo alto nomen, adversus vim sese defendisse. Quicquid sit, in longum tempus protractum fuit id bellum, fecitque tandem pacem cum Venetis Carolus, integerrima ipsis Libertate relicta illa, quam semper conservarunt, facta item pax cum Imperatore Græco, quæ occasione belli Veneti fuerat disrupta.

Spes me tenet his pollectis, judicaturum etiam quemvis Lectorem, modo mens ei læva non sit, aut corrupta partium studijs, veritatemque ante sententiam condemnatione, ante judicium præjudicio, parata gravare, in tanta antiquitate sequius de Venetis eorumque libertate nihil esse statuendum, nec aliud sane meretur illorum virtus, constans illa masculaque, atque ut ait ille,

Adversis rerum immersabilis undis.

Cæteroquin in re tanta candide hæc tractantem Petrum Berthantium oratorii Domini Iesu Presbyterum audiamus, ille sane ut ut Gallis æquior alienum ab illa, aut ea indignum quod sit nihil adfert; & clarissimam Venetiarum insulam tentatam quidem fatetur, devictam vero, dicere non sustinet. Ita ille capite decimo & octavo Flori Gallici lib. 2. Multorum jam annorum erat Respublica Venetorum, Franciæ Regno prope æqualis xxxv ferè annis, ab initio Francorum defuncta, ruinis & ipsa Romanorum aucta, cum Francorum vires tum vel maxime florentes ausa est experiri. Media, (ut dictum est) utrumque imperium observare ac colere jussa; Sed Nicephoro Orientis Augusto pronior, Pipini Italiæ Regis à Carolo Magno instituti inimicitias in se convertit; *Adeo difficile est cum finitimis ac potentibus prætereaque æmulis pacem tueri, qui nec vincere, nec vinci, sine finitimorum periculo possunt.* Duces Venetorum Obellerius & Beatus Fratres

tres Græcorum classe sub Paulo Patricio primùm freti, sed eo propter occultas cum Venetis simultates discedente penè fracti: rem tamen strenuè gesserunt. Sed Francus superior tandem evasit, quanvis fœdè decerptam Pipini Classem Itali scriptores insinuent. Occupatis aliquot nobilissimis locis, ac tentatâ Venetiarum clarissimâ insulâ Ravennam iter intendit, mox Mediolanum se recepit Pipinus, ubi intra paucos dies fato functus est. Vir mehercule si diutius vita suppeditasset, virtutis magnitudine, patriam avitamque gloriam facile adæquaturus. Inita deinde cum Venetis pacis fœdera, omissoque cum nobilissimâ gente bello, Græcis petentibus, Nicetæ, ac Paulo Nicephori Ducibus data pax. Ab eis etiam stare Venetos ob locorum opportunitatem & mercaturæ usum, concessum est, satis suâ magnitudine tutâ ac securâ Francorum potentiâ. In hoc summi certe viri, & singulari laude digni Veneti, qui Francorum bellum cæteris formidabile, aut invicti sustinuerunt, aut victi in bonum suum verterunt.

Reliquum nunc nobis ut transcendamus atque enitamur quin & superemus tremenda illa repagula, quæ sese è penitissima antiquitate producere jactat. Primus locus est ex Chronico Adelmi Monachi sive Ademari. Dico liberè non videre me quid sibi adversatius velit. Ait textus, *venisse Willarium & Beatum Venetorum Duces, nec non & Paulum Ducem Jaderæ, atque Donatum ejusdem civitatis Episcopum, Dalmatiarum Legatos ad præsentiam Imperatoris cum magnis donis, & facta est*, inquit, *Ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quam Dalmatiæ*. Non credo id adversarium velle, non licuisse Venetis ad Imperatorem accedere, absque præjudicio libertatis suæ, quam ipse Imperator confirmarat solemni decreto, conceptisque verbis. Minus existimo, vitio id ipsum vertere, quod cum muneribus acesserint ad eum, cujus ipsi juxta

ac Orientalis Imperatoris Majestatem comiter observabant: hoc si urget, dispositionem factam ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quam Dalmatiæ, æquum prorsus est ut ostendat dispositione istâ præjudicium Venetorum libertati illatum fuisse: quam diu id non probat, alia quævis credendi causa justissima est. Quid? quod nisi fœdfragus esse vellet, nihil in præjudicium libertatis Venetæ disponere potuerit? De hoc ipso facto ita Sigonius: *Iohannes & Mauritius (qui duces fuerant Venetiarum) cum Metamauco pulsi, se Mantuam recepissent; Nicephorum de rebus quæ evenerant, deque exilio in quo ipsius causâ erant, fecerant certiorem; rumorque increbuerat, Nicephorum classem ad eos reducendos, missurum. Itaque extremo anno Obeletius & Beatus, Valentino fratre domi relicto, una cum Paulo Duce & Donato Episcopo Iadertinis, Carolum cum Pipino & Ludovico filijs, hybernantem, post solemne natalitium, magnificis cultum donis rogaverunt, ut Venetos ac Dalmatas in amicitiam reciperet, ac duces populosque suos confirmaret, quibus auditis Carolus haud gravatè assensit, ac fœdere concesso dimisit.* Ex quo Sigonij loco facile deprehenditur, turbata partium studijs cuncta cum sursum deorsumque agerentur, ex primoribus, hos ad Nicephorum, illos ad Carolum concessisse; illud verò neutiquam deprehendi potest, ecquid ab ipso aut statutum sit, aut omnino statui potuerit, libertati publicæ noxium quod esset, nisi forte facta privatorum, ut revera privati erant, hinc Iohannes, Mauritiusque, illinc Obelerius ac Beatus, statim pro totius urbis facto accipienda dicat adversarius, ac perinde habenda quasi publico mandato gesta. Dictant ex adverso jura, quæ facta sunt non præsumi, sed probari debere, mandata vero, quin sint facti, nemo addubitet. Cumulatius ut satisfaciam, causam me non videre profiteor, cur in hac rei gestæ caligine nobis idem haud licere credamus, sibi quod liberum esse legislatores volunt, nempe ut hoc judicemus
rebus

rebus inesse, atque ad eas pertinere personas, quæ quandoque similes erunt, quod & nisi contrariæ sint multis, ICus. in l. non est novum ff. de Legib. ait argumentis probari. Ut ergo proximum vero quod est assequamur, de Ducibus cum viderimus, ipsosque etiam ut stringamus populos Venetos nimirum Dalmatasque, convenientissimum mihi quidem videtur dicere Imperatorem à Venetis Dalmatisque (ut fere rara vicinorum est concordia) minus recte inter se convenientibus, fuisse consultum: à Venetis nimirum, qui Dalmatas Imperatori subditos, læsos nollent, nec Imperatoris cujusmet ipsi Majestatem comiter observarent, judicium defugerent: A Dalmatis, ut subditis Imperatoris, & qui absque illius assensu, in Venetos quid designare, molirive haud auderent, ut sic quidem sequestra potius fuisse dicenda sit ista dispositio, quam ex mero absolutoque imperio, aut ut DD. loqui amant, ex plenitudine potestatis profecta. Cur ita credam, movet me, præter illud quod statim hoc ipso § ex Sigonio sum allegatutus, quod apud eundem Sigonium lib. 5. de Regno Italiæ invenio, Carolum Crassum Regem Francorum & eundem Imperatorem, fœdus inter Venetos & populos Italicos sibi subjectos, renovasse. Ac lib. 6. Regem Berengarium secundum ejus nominis cum Adelberto filio cum esset Olonæ fœdus inter Venetos atque Italicos renovasse, finesque eorum inter se determinasse. Opus ergo fuit, ut fœdus aliquod inter Venetos Italicosque aut Dalmatas tempora Caroli Crassi præcesserit, cujus equidem regnum inter proxima est, ab illis temporibus. Ac cum istiusmodi fœderis mentio nulla fiat, non est omnino ad fidem difficile, hanc ipsam dispositionem, de qua Anonymus agit, fœderis in se leges, inter Venetos Dalmatasque continuisse. Nolo tamen mihi meisve conjecturis hac in re quippiam deferri, subsistam potius, avideque expectabo, nunquid for-

tasse posthac probari contingat quo lucis aliquid Historiæ, aut roboris argumento adversarij adferatur.

Secundus textus, quem pro se citat, totidem verbis ait. *Classem à Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patricius præerat ad recuperandam Dalmatiam mitti*, Quid vero inde sequitur? Dalmatiam recuperare voluit Nicephorus, ergo & Venetam urbem quam non amiserat, ac cum ipsius nunquam fuisset, amittere non potuerat, ergo in potestatem suam Venetam urbem Carolus Pipinusque redegerant. Sibilo digna sint, non responso.

Tertio textu hoc ait, *Nicetam qui cum classe Constantinopolitanâ in Venetia se continebat, pace facta cum Pipino & inducijs usque ad mensem Augustum constitutis, statione solitâ regressum Constantinopolim.* Nec hoc ex textu quid inferendum sibi statuat Anonymus video. Classem in Venetia se continuisse, mirum non est, patebat undique littus & aër, ac longe aliud diversum ab urbe Venetia, tractus est Venetus, ut jam notatum pluries.

Quarto loco ait, *anno insequenti classem Constantinopoli missam, primo Dalmatiam, ac mox Venetiam appulisse, prælium commisisse, victa cum esset, Venetiam recessisse, agitasse Ducem Paulum pacis consilia, sed cum conatus ejus Beatus Obeleriusque impedirent, ipsique etiamnum insidias pararent cognita illorum fraude discessisse.*

Delio hic natatore opus foret ad eruendum ea, quæ desumere nos ex hoc Adelmi aut Ademari loco vellet adversarius. Citat ille hunc locum ut ostendat domitos à Pipino fuisse Venetos, at nihil minus ex eo elicitur. fieri forte potest, ut Græcis superiores fuerint Franci, ut fuisse credibile est, domitos tamen ex eo non sequitur bellove superatos fuisse Venetos. Ut toti rei gestæ lucem veritatis circumdem, operæ pretium fuerit Sigonium denuo ut audiamus:

ille paucis lib. 4. sic infit. *Eodem tempore* (nempe ab N. C. IↃCCCVI.) *Nicetas Patricius cum classe in sinum Adriaticum venit, à Nicephoro ad compescendas intestinas Venetorum Dalmatarumque discordias missus. Ad ejus adventum Dalmatia nulla expectata oppugnatione in fidem, eâdem quâ defecerat levitate, revertit. Veneti recepto Niceta, duces quos ille restituere jussus erat, se recepturos negarunt; ac Beatum Ducem Constantinopolim miserunt, qui sui consilij Nicephoro rationem redderet, atque excusationem cur non recepissent, adferret.* Idem paulò post, *Pipinus his auditis cum Nicetæ Venetijs agenti obviam ire, ac socios Venetos in fide retinere pro regiâ dignitate studeret, amen hoc anno* (nempe IↃ CCC VII) *nihil tentavit.* Scire velim num & hic Venetos adversarius dicturus sit utrique imperio paruisse? Si dicit Orientali, videt ipse, ut Nicetam quidem recipiant (id enim erat Majestatem comiter conservantium) postulata vero illius non admittant, Legatum Constantinopolim (an & hoc subditorum?) ut ablegent, causas recusationis expositurum Imperatori, probaturumque. Sin Occidentali & quidem bello domitos à Pipino, quomodo verum erit, quod ait Historicus voluisse Pipinum; *Socios Venetos in fide retinere pro dignitate regia?* aliud socij sunt, aliud subditi, aliud socios in fide retinere, aliud subditos ab obedientiæ tramite devios in ordinem cogere. Supervacuum sit in re manifesta pluribus agere velle.

Agmen adversario claudit terribilis Anonymi, sive ut ipse vocat Adelmi locus, qui sic habet *Pipinus rex perfidiâ Ducum Venetorum irritatus, Venetiam bello terra marique statuit appetere, subjectaque Venetia ac ducibus ejus in deditionem receptis, eandem classem ad Dalmatia littora vastanda misit, sed cum Paulus Cephaleniæ præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret, regia classis ad propria regreditur.* De fide aut perfidia Venetorum Ducum non est quod quæramus, excusat utique à perfidiæ nota Vene-

tos loco à nobis citato Paulus Æmylius, cujus eo libentius recordor, quod eum adversario probari sciam: feceratque di aliquot ante Æmylium sæculis, in suo Chronicorum supplemento Bergomensis qui ubi de hac ipsa expeditione Pipini ei sermo est, sic ait, *Hunc etiam pater Carolus in Venetos sibi infideles falsò accusatos (* nota Lector) *misit, & Eracliam atque Equilium invasit, propter quod multæ familiæ nobilium Venetias migrarunt, quibus gestis etiam multis alijs prælijs egregiè confectis Mediolanum veniens ibi vitam multa cum laude finit.* Accedit quoque, quod si Ducum qui Pipinum irritasse dicuntur, edita forent nomina, parata esset ad tam atrocis sugillationis objectionem responsio; id cum non fiat, dandum id auctori, homini Gallo, regis domestico, ac fidei non integræ; cum ergo animi sui morbo pravitatique, nec non & gestarum rerum ignorantiæ ulciscendum relinquamus.

Mirum vero cur Venetiam subactam dicat, nulla tractus Veneti ab urbe Venetâ, sive rivo alto saltim, quæ jam aliquot sęculis potior pars erat, separatione factâ. Erat jam quoq; longo tempore Rivus altus Ducum sedes, ac ut manifestum sit quod de subacta Venetia dicit, intelligendum esse synecdochice, nimirium qua partem pro toto efferimus. Evincit illud supra citatus Bergomensis locus, quæque ibi refertur, captis Heraclia, Equilioque familiarum nobilium Venetias migratio; evincit specifica locorum à Pipino, ejusque exercitu occupatorum enumeratio Æmilij, Sigonij, Mutijque; evincit illa insularum omnium in unum corpus coalescentium occasione belli illius enata conspiratio, eamque insecuta nova Venetæ Urbis facies. Neque enim simile vero nobiles familias Venetam in Urbem fuisse concessuras, si quidem ejus dominus jam tum factus erat Pipinus; quas non aliam ob causam eo concessisse vel imaginatione præsumi potest, quam

quam ut in tuta se reciperent, quoque imminenti se incubantique faucibus suis Franco subducerent. At vero, inquit, Duces in deditionem recepit. Quos vero illos? Beatum atque Obelerium? atqui stabant illi à Francorum partibus, atqui concitaverant illi Francos, injurijs suorum irritati. Si Valentinum vult (tres enim id temporis Venetos duces habuisse annales notant) frater ille erat utriusque, utrique ex æquo charus, ac qui nihil adversus fratres suos ab amore fraterno alienum, nedum hostiliter designasse, aut ut designaretur accurasse usquam legitur; aut alios ergo duces fuisse adversarius doceat, aut confundent ipsum iidem illi autores, unde sua depromit. Vt ut est eos in ditionem receptos, persuasum nobis si cupit, nomina denuo cur silet? ecquid amabo in eos exempli statutum? neque enim credibile sit, ut dedentes sese in gratiam Pipinus receperit, quorum, si diis placet, perfidia, belli suscipiendi gerendique causam dedisse narratur. Ast nec hic opus multis insistere. Scit ipse adversarius noster, falsa esse quæ scribit, neque opus aliunde ea quæ allegat, quam ex ipsismet illius allegatis confundere. Citat ille hoc ipso §. Æmilium, qui nunquam expeditioni illi maritimæ Pipinum ait interfuisse, nec id permisisse Carolum Pipini patrem. Vnum hoc pro omnibus suffecerit, ac quidem videt sibi hic aquam hærere, quo tamen effugium pateat (ut ingeniosus est) loco verborum: *Venetiam terrâ marique statuit appetere*; Ait scribendum esse *jussit*, ac sic quoque à Reginone aliisque scribi. Veruntamen non est admittendum, ut verbo medicinam facere qui velit, totam rei gestæ veritatem pro libitu intervertat. Sed faxo, ne hic authoritatem diffugere videamur: agedum demus adversario non interfuisse Pipinum. Id si verum, jam non video quomodo subsistere ac cum rei gestæ veritate conciliari possit, quem in suis ad Scrutinium additamentis citat.

Constantini Porphyrogenetæ locus. Dicat porro expediatque quis belli Dux fuerit, quis Venetiam subegerit, quis Duces Venetos in deditionem acceperit, hæc mihi si potis est edissere, ac qua decet fide commonstrare verbum non addam, herbam victori porrigam; Nimis vero longè abest ut id metuendum sit aliquatenus, contrarium ejus ostendimus jam ante probavimusque inconcussis istiusmodi auctorum testimonijs, ut in concursu nemo futurus sit, qui non δἰς διὰ πάσων eorum amplius auctoritati deferendum jure censeat meritoque, quam fabulis eorum anilibus, quos adversarius pro se allegat. Ac tandem ut finiam breviter, citatis à me auctorum testimonijs, duo etiamnum adjungam, unum hominis Germani (qui nusquam Venetis æquus, quaqua versum subiniquior existere deprehenditur) alterum Galli, ac sic quidem nulla ratione quod Venetis addictior quam suis futurus sit, pro suspecto habendi. Prior est Sebastianus Munsterus, qui in Cosmographia sua universali, ubi de ditione, potestate atque opibus Venetorum agit, de hoc ipso Pipini adversum Venetos bello, sic infit. *Carolus Magnus dedit Venetis multa Privilegia, cum tamen illi ingrati facti, clam suppetias miserunt Nicephoro Constantinopolitano Imperatori, Caroli magni hosti, quo comperto Carolus in mandatis dedit filio suo Pipino, quem regem super Italiam constituit, ut injuriam istam ulcisceretur; movens ergo Pipinus expeditionem in Venetos, coegit eos omnes fugere in mare usque ad Rivum altum, extructoque longissimo ponte instituit eos bello petere, sed oborta tempestate & fracto ponte, retractus est à proposito.* Alter est Iohannes Serranus Gallus ipse & ob eximiam in historiis scribundis fidem regi dum viveret apprime charus, in vita Caroli magni sic infit. *Magnum etiam ac periculosæ aleæ plenum* (Carolus nempe) *cum Venetis gessit bellum, cui gerendo filium Pipinum præfecerat Obelerius & Becurius* (error Chalcographi est, Beatum dicere debuerat) *auctoritate inter*

ter suos illustres, Venetis rebus se intromiserant, Imperator cum Francis suis, grandi clade à Venetis affligitur, Veneti tamen nullum inde victoriæ suæ retulere fructum, quam quod inter omnes Italiæ populos, qui victricibus armis Caroli magni cedere fuerant coacti, non modo invicti permanserint, sed fœlici successu sese magno illi Carolomagno (pro uno id Historicus nomine usurpat) *opposuerint, siquidem nominis sui famam illo pacto longe lateque propagarunt quidem, non tamen ditionis suæ fines ullatenus extenderunt, satis nempe erat ad laudem, arma adversum talem, tantumque inimicum expedire, isthoc cum successu, potuisse.* Hæc ille, quæ cum idiomate Gallico conscripta omnium manibus circumferantur, videat quivis, ex fide à me in Latinum sermonem conversa.

Sed nec silentio premenda sunt quæ tradit Horatius Tursselinus Iesuita in annalibus suis. *Itaque* (ait ipse) lib. 7. in vita Caroli M. *accinxit sese (*Pipinus nempe*) ut Venetos terra marique appeteret, ac primo quidem impetu Metamaucum, Venetorum ducum iis temporibus sedem, in potestatem suam redigit. Inde Rivoaltum, quo se cum duce Beato Veneti receperant aggressus est, crebris insultibus mari obsessos urgens, militari ad id manu navibus imposita; cæteroquin hic ipsum successus destituit. Hinc factum ut post amissos Gallorum plurimos, quos insuper vadorum incerta & locorum incommoda misere premebant Ravennam retrocesserit, nulla re gesta unde quippiam honoris domum referre potuerit.* Hactenus ille. Pluribus si rei veritatem constabilire juvat, videbimus etiamnum juratissimum Venetorum hostem, Vlricum Huttenum, eo ipso tempore, quo sub Maximiliano copias in Venetos ductitabat ipsoque illo carmine, quo Venetorum ortus incrementaque fœdissime collutulat, id fateri. Ergo ille ubi ad expulsos duceis ad querelas ad Gallum delatas pervenit, sic ait,

Cœpta est interea Veneti captura senatus
Suspiciosa, animos regum passimque petitos
Irritare duceis, coeunt ex urbibus omnes
Italiæ proceres, tentant divellere, servat
Casibus in mediis tutos fortuna, marisque
Esse jubet dominos.

Adducere interim ea tanto impensius volui ut potens etiam adversum temporis edaceis morsus, adversum stribiligines barbarici ac malevolorum, veritatis regnum ostenderem, dignumque quod mecum omnes, quotquot sunt boni devenerentur; emergit illa nimirum ac per nequicquam obtensas umbras, ijs devictis caput effert, tanto magis decorum, quanto fœdius id supprimere calumniantium conatus est livor. Hæc dum scribo influit menti, ac de propiore nota insinuat se cogitationibus nostris plenum illud generosi spiritus effatum, quod est apud Tacitum, *Serviat Syria Asiaque, & suetus regibus Oriens*. Videor sane mihi parce, si non malignè Venetorum defendere libertatem, qui cum ante idque summo Iure, sum anteslatus, esse quam verissimum, neque natum, neque donatum quemquam Venetijs, qui non ibidem spiritum hauserit liberum, liberum itidem creatori Deo reddiderit, in eo laborare videri possim, ut probem, victos à Pipino non fuisse, quos, nulli unquam victos, longe sit certissimum. Assero me mihi. Ita de Venetis Iul. Cæsar Scaliger;

Pervia barbaricis tellus Oenotria turbis
Pertulit impositi pondera dira jugi.
Ipsa suos flevit populares Roma Quiriteis,

Sensit

Senſit & indomitæ noxia tela manus.
Haud tulit hoc Genius, cujus fatalibus auſis
Tutior in medio Roma renata mari eſt.
Clara virum virtus animo, inſatiata cupido
Imperii, vaſtæ non numerantur opes.
Iupiter, haud temere tua ſunt ita diſſita cœli
Mœnia, ſi poſſunt tangere, parte cares.

Janus Pannonius de iiſdem.

Illic millenos indelibata per annos,
Succubuit nullis Libertas Virgo Tyrannis.

Autor proſo-metricæ Coſmographiæ Ritteius Grunbergenſis, diſertis verbis de urbe Veneta ſic ait. A primo fundatoris tempore, nunquam in hoſtis alicujus poteſtatem venit. Quid clarius quiſpiam velit aut dilucidius? Deſino in Laurentio Scraderio Halberſtadienſe Saxone: is in ſuis Italiæ monumentis, prorſus ingenua atque appoſitiſſima propoſito noſtro confeſſione de Vrbe Veneta ſic ait. *Et quamvis multa bella geſſerit, variamque fortunam in mille annis ſit experta in externi tamen hoſtis poteſtatem nunquam devenit ſed ad extremum victrix facta eſt multarum urbium & inſularum Domina.* Plura non addam, ne vel meridiano ſoli facem prælucere velle videar. Vtique ſi debitus magnorum virorum manibus, qui minoris Libertatem haud fecere quam vitam, quam ſpiramenta animæ, honor nos tangit, certò nec olim terrarum Deam, gentiumque Romam elogium Haſdrubalis Pœni decuit magis, quam poſt repulſum fortiter, ac retro cedere coactum Pipinum idem illud Lyrici de Venetis uſurpes.

[illegible]os opimus.
Fallere & effugere est triumphus.

Gens, quæ cremato fortis ab Jlio
Iactata Tuscis æquoribus, sacra,
Natosque maturosque Patres
Pertulit Hadriacas ad undas,

Duris ut Ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.
Monstrumve summisere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.

Merses profundo, pulchrior evenit,
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem; geretque
Prælia conjugibus loquenda.

Ecquid Veneticæ non faciant manus?
Quas & benigno nomine Iupiter
Defendit, & curæ sagaceis
Expediunt per acuta belli.

Sed odiosa Circensibus est pompa. Pergamus.

S. 38.

§. 38.

Varia ab Imperatoribus privilegia Venetis indulta. Persona concedentis, & effectus concessionis adtendenda. Privilegia aut vi supremæ potestatis, aut testandæ benevolentiæ ergo conceduntur. Horum illud fieri non potuit apud Venetos. Si posteriore modo indulta iis Privilegia nihil agit Anonymus. Effectus privilegiorum triplex. Subjectio privilegio induci non potest. Quomodo privilegij concessio imperij sit nota. Recipere privilegium, non est se subijcere illi, à quo conceditur. Id exemplo Batavorum, & jure Canonico probatum.

SVmmo ut huc usque vidimus molimine contendit adversarius, ut aut Carolo magno, aut Pipino in potestatem vi redactos fuisse Venetos demonstret. Hactenus ut spero luculenter ostendimus, nihil ipsi præsidij esse in monumentis historiæ. Veniamus ad alteram partem, quam quidem ipsi visum ex facto deducere, sic tamen ut in dispositione juris fundamentum ponat; responsuri deinceps ad illa, quæ firmandæ suæ opinioni adducit ipsorum, uti vult, Venetorum confessione stabilita.

Ait ergo hoc § tradere Iustinianum, Laurentium monachum duo supra viginti immunitatum recitare privilegia à Carolo primo usque ad Fredericum secundum ex Andreæ Danduli chronicis collecta. Hæc, inquit, si exhiberentur litem nullam prorsus futuram, quippe evidens manifestumque è vestigio evasurum quis dominus fuerit, quive subditi; Illud interim sufficere, ipsam privilegiorum immunitatum-

que

que concessionem superioritatis esse notam; utque in compendium verba: paucis hoc vult, omnino statuendum, Venetos Imperatoribus paruisse, ex quo certum est ijs ab Imperatoribus concessa privilegia. Despiciamus an recte.

Et quidem facti hic nulla quæstio; firmum esto per me licet, verumque quod dictum de immunitatum privilegiorumque concessione ab Imperatoribus facta; versatur in illo cardo rei, ut quid in subjecta materia juris sit lectori planum fiat.

Ordine ut procedamus duo examinanda sunt persona concedentis, ac concessionis effectus.

Privilegia qui concessisse dicitur Imperator est, cujus imperij jus inque Venetos fundatam (ut loquendi mos est) intentionem adstruere conatur Anonymus: hujus intuitu statuendum, quod quæcumque concessit ille, concessit omnino aut vi supremæ absolutæque potestatis aut benevolentiæ testandę gratiâ: tertium non datur. Si posterius ponimus, cessat tota disputatio. Sin prius, jam principium dicemus peti & quantisper haud convincimur, aut vi aut jure coactos Venetos Imperatoris supra se, ut veri legitimique domini agnoscere imperium, causa non est cur admittamus ullos omnino dominij effectus, imo ex adverso si tanquam ex imperio ac sua jurisdictione quam ei nullam competere nos dicimus, privilegia concessit, nihil ipsum egisse dicendum est. Bald. ad l. nec temere. ff. quod metus. Nullam quippe jurisdictionem cum habeat, indubium est quin nulla sint omnia; utpote quæ aut nullo gesta sunt titulo, aut falso, ac neque dubium quoq; quum ipsę adversum taleis armentur insurgantq; leges. Exemplum est in l. decernimus C. de Sacros. Eccles. ubi ab Imperatore Zenone privilegia tempore tyrannidis concessa (invaserat namque Rempubl. Basiliscus) annullat, revocatque. Iterum item in l. cum cognatum C. de Ingenuis. in qua lege

lege videmus à Palmyrenorum rege Odenato ejusque, quam deinde Aurelianus debellavit conjuge Zenobiâ imperio occupato, Imperatores Diocletianum Maximianumque disertim negare, distractionem hominis de cætero liberi, qui tempore Palmyrenæ dominationis fuerat redemptus, ac distractus pro captivo, illius ingenuitati præjudicare.

Effectum porro concessionis attendere atque introspicere si lubet, non est equidem talis iste, ut nullam omnino subjectionis necessitatem ponat.

Hunc ergo Privilegiorum si inspicimus & quidem substantialem, est ille triplex: aut jus datur privilegio, aut per privilegium introducitur obligatio, aut derogatur juri contrario, subjectio ut introducatur hactenus est inauditum. Prius quod attinet, scilicet privilegio quatenus jus alicui datur, non subditos si attendimus, non est ille jurisdictionis sibi competentis usus, sed merum liberalitatis exercitium ac si non subsit aliqua specialis juri aut privatæ legis ratio, purum donum erit, non privilegium; si verò privatæ legis aut juris specialis ratio constituitur, ac sic ut respectus esse possit ad res personasve ei obnoxias qui imperium concedit alia res erit. Ponamus exempli gratia Venetis datum fuisse ab Imperatore Privilegium, quod per terras Imperij transeuntes pedagia haud solverent, erit eo casu quidem Privilegij auctor Imperator, eaque immunitatis concessio recte & omnino revera Privilegium vocabitur, sed nec alium effectum habebit, quam Venetorum intuitu quod Privilegium sit. Etsi enim id Imperator concesserit, non sunt tamen obligati Veneti ut isto velint nolint utantur Privilegio, ac cum non sint obligati, id quoque accedit commodi quod non poterit in eorum odium retorqueri Privilegij tenor. Ast vero eo quo diximus modo, nempe illius respectu cui concessum est Privilegium non potest in ejusmodi concessione

considerari aliqua potestas dominica, ac ut ut maxime considerandam dicamus, quorsum ea cuive bono, si evanida sit futura aut inutilis? Qui vero pote ut alia sit quam inutilis ac supervacua, si destituitur obligandi potestate? ponamus privilegiatum suo Privilegio uti nolle, ponamus juri pro se introducto renuntiare velle, nullum hic auctori Privilegij jus est eum cogendi, reumve eo nomine arcessendi. Quin ne quidem eum in foro poli, aut sub culpa (ut Scholasticis mos est loquendi) aut ad pœnam obligari non utendo Privilegio aut illud ab se abdicando quispiam dicat. Vnde planum jam factum reor, ad essentiam concessionis, subjectionem non requiri quatenus Privilegio jus aliquod dari non subdito, facultatemve faciendi quippiam aut non faciendi contingit. Ex adverso si Privilegium attendimus quatenus obligationem inducit ac sic quatenus Lex est, jam diversa ratio est. Idem enim quod intuitu privilegiati jus est atque Privilegium, respectu aliorum lex est, legis nomine dicto, posita est quoque ad obligandum efficacia, hoc nimirum nomine quod per Privilegium jam nunc jus quæsitum sit privilegiato, unde accidit ut obligentur alij omnes non privilegiati, ut illi privilegiato jus suum servent: idque cum naturali ratione, quæ jubet, ex quo jus alicui quæsitum est, id ei integrum servetur, ac inviolatum, tum etiam civili, ex quo videmus fere semper judicibus alijsque demandari observantiam, protectionem, conservationemque privilegiorum. Atque hoc casu dominica potestas non potest non esse considerabilis, sive authorem Privilegij sive ejus subditos velis respicere. Vtique ipse Privilegij auctor illud concedendo necessitatem quin sibimet ipsi impôsuerit beneficia sua rata habendi nemo ambigat: subditis vero post edictum superioris sui, impedimentum privilegiato ullum ut ponant liberum minime est; imo vero

non

non minus puniendi ſint in Privilegia ab illis conceſſa ſi peccent, quam ſi committant in Leges ſuperiorum ſuorum. Ac ſic quoque facile dijudicatu eſt, Privilegij conceſſionem imperij ac ſuperioritatis eſſe notam ſed diverſo reſpectu. Prior quidem, cum ad omnes omnino tam extraneos quam ſubditos ex æquo ſe porrigat, hoc largiatur ut Privilegium recipiens aliqua ratione inferior ſit illo à quo illud recipit, ſaltim ſecundum quid, verum libertatem ejus aut ſtatum non immutabit, nec quid in illum Iuris ei conferet à quo id recepit. Poſterior, quatenus ratio Legis obligantis Privilegio incluſa eſt ac parendi neceſſitatem imponit, Imperij nota erit, & quidem ſummi; ſed quod ipſum tamen iiſdem terminetur finibus quibus adſtricta eſt atque incluſa Iuriſdictio illius, qui Privilegium conceſſit. Addo jam dictis, ipſam rei evidentiam dictitare, non eſſe eam ſubjectionis notam, quod ab alio Privilegia quis recipiat, ut profecto illuſtri exemplo videre eſt in Batavis, quibus Rex Chriſtianiſſimus ſpeciali Privilegio conceſſit ut bona ad hæredes ſuos tranſmittant, cum tamen fiſco regio vendicetur eorum hæreditas, qui ſupremum vitæ diem in Gallijs claudunt, alibi nati. (Albinos vocant, & jus Albinagij.) Neminem equidem fore exiſtimo qui regiam beneficentiam in gentem ſibi fœdere amicitiàque junctam ſic interpretandam putet ut unde aut Regi quæſitum eſſe in Batavos imperij jus, aut Libertati Batavicæ detrimentum enaſci velit, ac ſic quoque unde jura profluere oportet injuriarum occaſiones exſurgere. Quin ſi quid credimus interpretibus Canonici juris ad c. novit ille. de Iudiciis, ac ad c. 1. de probationibus. ipſe Pontifex (qui tamen ipſis luminare majus eſt) ab Imperatore privilegia accipere poteſt. Iidem, cum Clericos exemtos ab imperatoria juriſdictione mordicus defendant, nullamque in ſpiritualibus juriſdictionem Imperatori concedendam; poſſe

tamen ajunt Imperatorem Principesque temporales privilegia concedere non Laicis modo sed & Clericis, Religiosis, & generatim Ecclesiasticis. Quin adeoque & privilegia generatim concessa ad Ecclesiasticos extendi debere ultro volunt, nec non deinceps civilia ista, quæ favorem communem complectuntur, quibusque sine detrimento communis boni renuntiari non potest. Rationes etiam assignant, quod beneficia illis concedere, immunitati Ecclesiasticæ non deroget, sitque actus ille non jurisdictionis in illos, sed quasi donationis, ac favoris. Iidem ipsi disertim per c. quicumque. 11. q. 1. ostendunt Imperatorem judicibus Ecclesiasticis, qui ipsi subjecti non sunt concedere Privilegia, ut nonnullis casibus, directè de laicis in causis temporalibus dijudicare possint per viam appellationis. Ac sic in terminis Salas suo de legibus volumine, quæst. *96.* tractat. 14. disput. 17. sect. 3. nu. 28. ait ad rationem Privilegii non requiri ut is cui conceditur sit subditus, sed satis esse ut materiam curet circa quam versatur & alios homines esse ei subjectos. Additque immediate, id ipsum esse Privilegium, si talibus sibi subditis præcipiatur ut melius se habeant cum illis sibi non subditis, quam cum aliis, ut inquit, si alicubi præceptum fuisset ne cui permitteretur equos extrahere de regno, & exciperentur Clerici in ordine ad proprios usus, etiamsi illi Clerici essent alterius regni, & nullo modo subjecti Principi sæculari, diceretur Privilegium illis concedere, quia in illorum gratiam, relaxat legem subditis positam: Addo & hoc, tantum abesse ut ex privilegiorum concessione subjectionem inferri credibile sit: ut tradant ex adverso maximi nominis ICti. Privilegia non subditis data concedentis respectu in contractum transire, ac sic nec revocari quidem posse. Atque hoc est quod totidem verbis ait Matheus de Afflictis deciss. 361. nu. 6. & ante eum Romanus cons. 252. nu. 3.

nu. 3. cui id ipsum cur immunitates non subdito concessæ revocari nequeant pro ratione est, quod in contractum transierint, & ad c. 1. de concess. præbendæ. Communiter Canonistæ quoque, concessum non subdito Privilegium non posse revocari per ipsum concedentem, ex quo suam incontinenti perfectionem habet, cum pervenit in notitiam Privilegiati, & est illi jus quæsitum, & concedens non est amplius Dominus. Idem statuunt Abb. Fælin. Aretin. Andr. ad l. novit ille, supra citatam de Iudic. Card. Zabarella cons. 147. aliique. Sed enimvero quatenus in contractum transeant, quatenus revocari possint concessa subditis Privilegia suo loco despiciemus. Inpræsentiarum suffecerit id unum ex quo non subditis æque, atque iis qui subditi sunt Privilegia conceduntur, perperam ex illo adversarium deducere argumentum subjectionis, quod Privilegia recepisse ab Imperatoribus Venetos annales tradant.

---

§ 40.

Historia Obelarij Ducis Venetorum excussa. Is perfidus in Imperatorem pœnas perfidiæ apud eum dedit. Extranei in alterius territorio etiam delinquunt. Delicta quæ in aliquo territorio committuntur, in eo etiam expiantur. Obelarius tamen nec Orientis, nec Occidentis Imperatori subditus. Obelarius miserum vitæ finem à Venetis accepit.

MAgni momenti non est, quod hisce §. §. adfertur de Leone Spatario ac Obelario, nequid tamen intactum omittere videamur quid velit despiciamus. Locus quem

citat sic habet. *Et cum eis Leo quidam Spartharius natione Siculus & Willarius Dux Venetorum, quorum alter ante annos decem Romam ad Imperatorem cum ibi esset de Sicilia profugit & redire volens in patriam* (Constantinopolim) *remittitur; alter propter perfidiam honore spoliatus Constantinopolim ad Dominum suum duci jubetur.*

De Leone Sparthario non est ut agamus utpote homine extraneo, de Obelerio sermo sit, hunc ait ob perfidiam honore spoliatum, deduci jussum ad dominum suum Constantinopolim. Illud ni fallor ex allegatis infert, perfidia sua hominem Venetum, quin etiam Ducem adversus Imperatorem aut Regem Francum delinquere potuisse, pœnas quoque ab illo intuitu commissæ à se perfidiæ, ut exigi potuisse ita & fuisse exactas, denique eum honore spoliatum ac remissum ad dominum suum Constantinopolin. Quod sane postremum cum Libertate nullatenus conciliari possit. Primum secundumque quod attinet, aut juris hic nobis rationem proponimus aut facti, si juris, certum est atque indubium non minus extraneos ac non subditos delinquere in alterius territorio posse, quam subditos ipsos, certum est tales ratione dilicti videri quasi contrahere in loco delicti, seseque legibus illius judicandos exponere. Si facti, succedat illud in jure tritissimum, ubi te invenero ibi te judico. Recepto apud omnes gentes jure constat, quæ quis alieno in territorio committit siquidem deprehendatur, recte inibi quoque ac quidem nulla habita ratione dignitatis & Privilegii expiari commissa, punirique. Interim tamen ut ex tali privati hominis delicto aut quæ delictum exceperit pœna præjudicium aliquod libertati totius gentis inferatur, aut alteri jus aliquod Imperii quæratur, nemo est qui id unquam dixerit, dicturusve sit ut arbitror. Porro, si rei gestæ veritatem attendimus, verosimile non est Obelerium à Carolo magno ob perfidiam male habitum, quem fere omnes scripto-

ſcriptores patriæ ſuæ aut ſaltem Ioanni Mauricioque Venetorum pridem Ducibus infeſtum ad Carolum ſe recepiſſe bellique Venetis inferendi, quam acerrimum ſuaſorem impulſorémque fuiſſe memoriæ produnt, complures etiam (verene an ſecus non uſque quaque convenit) tradunt Caroli filiam naturalem duxiſſe in uxorem.

Ad poſterius quoque ut reſpondeam, aut hic iterum de jure quæſtio eſt, aut de facto, ſi de jure, non potuit utique jus illud Francorum Regis aliunde emerſiſſe quam ex delicto Obeleri Ducis, ac ſic quoque ab accidenti habere originem, accidentium vero ut jam ante notatum, non eſt habenda ratio, ubi de ipſo juris fundamento principioque deſpiciendum eſt: addatur & hoc quod ex jam dictis manifeſtum, ſi Conſtantinopolitanus Auguſtus dominus erat Obelerij (ut vult hic locus) non fuiſſe poſſibile ut ejuſdem quoque dominus eſſet Francorum Rex: ut & illud, remiſſionem illam, utcumque eam expendere velimus, nullius futuram fuiſſe momenti. Si quidem aut remiſit puniendum Francus, quod omnino non exprimitur, aut ſimpliciter ut noxæ dederet: ſin prius arridet, atqui ut adverſarius vult honore jam nunc eum ſpoliaverat, ac ſic quoque ut dicamus neceſſe eſt bis ob idem delictum ſorti fuiſſe ſubjiciendum. Id vero juris rationi adverſum eſt; ſin poſterius jam exprimendum foret quid qualeve fuerit quo Conſtantinopolitanus Auguſtus læſum ſe crediderit ab Obelerio: atqui tacet hic textus quem ipſemet pro ſe allegat. Sciens prætereo occidentis Imperatorem in ſe conſideratum non potuiſſe Orientis Imperatori neceſſitatem imponere puniendi eum à quo non erat læſus, non potuiſſe item remittere, ſalvo atque incolumi ſi quod in illum ſibi competebat Imperatori Iure. Pari in parem imperium ut deferamus leges non ſinant, ut abdicata à Franco tranſlataque in Græco dominica poteſtatis jura ne

Ano-

Anonymus quidem largiatur. Facti veritatem introspicere si cupimus, etiam ex ijs quos citavit ille, constat pessime inter utrumque Imperatorem convenisse, ac ut ante quoque visum nobis, exarserat jam nunc bllum inter illos grave, diuturnum, ac magnis utrimque animis gestum, quis vero credat infestissimis hostibus tantum inter se superfuisse benevolentiæ, ut subditum (si dijs placet) alter alterius remitteret tanquam ad dominum? Accedit, vix esse, ut hæc ad Carolum referantur quæ ad Pipinum (hunc enim perfidia Venetorum ducum irritatum jam ante citavit) referenda nec ipse diffiteatur, ac potiores historici manifesto referri debere profitentur. Vt ne longus sim, finis vitæ Obelerij contrarium evincit, illa fere constans scribentium opinio est, cum de eo reducendo Venetisque conciliando (sive Carolus ille fuit sive Pipinus) ageret, idque gravatim præstitissent Veneti, statim ab illius discessu à populo discerptum, ejusque præcordia evulsa à quibusdam dentibus lacerata, conjugemque illius insuper quæ Gallici sanguinis erat, una cum ipso interemptam. Nemini pronum sit credere, eum aut honore spoliatum ab Occidentis Imperatore, aut Constantinopolin dimissum ad Dominum suum, qui videt, id etiam rebus compositis belloque finito enixissime illum egisse, ut in pristinum dignitatis gradum, patriamque quam exilio mutaverat, restitueretur.

---

§. 41.

Versiculi effigiei Beati Ducis subscripti excussi. Obelerius Patriæ infestus invidiam Venetis apud Pipinum conflavit. Pipinus Rivum altum non cepit. In pro contra usur-

usurpatur. Tentavit tantum Venetos Pipinus, non expugnavit. Pax cum Pipino inita.

DVcit nos operis incepti series ad illa, quæ ex antiquis subscriptionibus (brevia adversarius vocat) quibus breviter res gestæ singulorum Ducum velut adumbrantur, allegare visum est illi: atque hoc quidem §. ait ex Sansovino, effigiei Beati ducis fuisse subscripta hæc verba. *Fratris ob invidiam Rex Pipinus in Rivumaltum venit; defendi patriam sibi gratificatus.* Circa prius subscriptionis membrum vult, etsi quidem ipse Pipinus in Rivum altum haud venerit, nihilo tamen secius, quod in idem recidit, venisse auspicijs Pipini missos ab ipso duces; quo modo etiam nostra dicimus quibus authoritatem nostram impartimur. Circa posterius agnoscit phrasin esse minus concinnam, atque à Grammaticalibus legibus abhorrentem. Cæterum verba illa, *sibi gratificatus.* omnino ad Pipinum esse referenda, ac sic quidem, ut ipso interprete genuinus verborum sit sensus. Pipinus, occasione dissidiorum inter fratreis duces existentium, Venetam urbem capit, illam Beatus pace cum Pipino factâ, instanti ruinæ subductam, conservat.

Eodem ordine ad singula ut respondeam prius epigraphes membrum quod attinet, ostensum nobis, ut spero, demonstratumq; luce meridiana clarius Pipinum ejusve duceis nunquam occupasse urbem Venetam, ea ut repetamus non est opus. Ipsa quin etiam subscriptionis verba attendere si lubet, explicet quis mihi velim, quomodo subsistant ista inter se, patriam suam defendisse contra vim hostium Beatum ducem, & (quod Anonymus nobis persuadere conatur) Pipinum urbem Venetam occupasse.

Vt vero liquido constet minus candide inque sensum perversum detorqueri textum ipsius subscriptionis, fallitur in

 eo ad-

eo adversarius, quod verba illa *Fratris ob invidiam venisse Pipinum in Rivo altum:* explicanda putat occasione dissidiorum inter fratres existentium: neque enim ista explicatio cum historica rerum gestarum veritate, ac neque cum ijsmet, quos ipse superioribus §. § aduxit allegationibus conciliari valet, ipsa quoque rerum evidentia in contrarium vergit. Vtique ad Pipinum si quod frigus animorum inter fratres erat exortum nihil attinebat, nec erat cur se rei alienæ intromitteret immisceretve; quæ ergo hic dices invidia? illa nempe, quam frater Beati Obelerius patriæ infestus ac sponte exul detractionibus sugillationibusque conflarat, dictitando ex asse à Nicephoro stare Venetos, illuc cuncta vergere, exosum ijs non minus quam ipsi Nicephoro, cui id semper in ore erat.

Francum amicum habeto, vicinum nequaquam,

Francum nomen, quæque his similia apud Historicos extant. Fortunato interim Iadertano apud Reges cadentia verba Obelerij graviter tollente, ulceratumque plus satis Imperantis in Venetos animum, acrius extimulante. Illa quæ sequuntur verba, *in Rivoaltum venit*, cur sic explicanda ducat ut Rivoaltum, aut ipsam, cujus Rivoaltus potior semper pars fuit, urbem Venetam cepisse Pipinum statuat, equidem non video; verba illa in Rivoaltum satis indicant infestis armis adversus illam venisse Pipinum, sed nec ultra exporrigi possunt, planeque particula *in* accipienda pro adversus aut contra: quo sensu eloquentiæ parens (cujus quoque in Q. Cæcilium, in Verrem, in Catilinam, in Pisonem declamationes inscribuntur) ubi Salustio respondet carere omni vitio debere ait eum qui *in alium* paratus est dicere. Apud Poëtam simili sensu Nisus,

Me

Me me, adsum qui feci in me convertite ferrum,

exclamat; cui consonent illa Ovidii,

Juppiter in Trojam pro Troja stabat Apollo.

Vt & illa Lucani primo Pharsalidos,

— Populumque furentem
In sua victrici conversum viscera dextra.

Manifestum fit ergo ex illis, Pipinum Venetam urbem bello tentasse, in potestatem vero redegisse ex allegatis verbis, tantum abest ut liqueat, ut ex iis quæ proxime sequuntur, nempe, *defendo patriam* (quod & statim notabam) contrarium prorsus appareat. Longior in re satis superque explanata ut esse velim causa non est. Non mihi tempero tamen, quin mantissæ loco, allegatis à me authoribus, inconcussæ authoritatis fideique unum etiamnum superaddam. Bernardum nempe Girardum Haillani dum viveret Dominum, ac quatuor Galliæ regum historiographum. Ille postquam Venetos Francosque scriptores inter se commisit, eorum dicta opinionesque velut in trutina suspendit, historiæ Francicæ lib. 4. tandem sic ait, *Ecquanam demum modo exercitus illi* (Pipini nempe Venetorumque) *inter se concurrerint, sententiis variatur, ex æquo tamen apud omnes annalium scriptores constat pro certo, devictos fuisse Francos, Venetosque eximiam ab illis victoriam reportasse.* Hæc sane quam non conveniant cum Anonymi nugamentis, quis non videat? Veniamus ad ultima in inscriptione verba. *Patriam defendo sibi gratificatus.* Ait hæc parum Latina, nec ego diffiteor: vult ad Pipinum referenda; quod si verum est, verbum ergo isto loco *sibi* tantum valebit quod *illi*, ac neque ego hic ei adversabor, quanquam causa non

sit cur minus verbum *sibi* referendum sit ad patriam, aut etiam fratrem Beati ducis Obelerium, quam ad Pipinum. Ut quod sentiam eloquar, equidem non video aut Historicæ veritati, aut ipsi textui, vim aliquam illatorum iri, quaquaversum illa referre libuerit; ac, quod caput rei est, utcumque prædicta verba accipere voluerimus, nullum inde, ut ex jam dicendis clarum fiet, Venetorum libertati præjudicium creabitur. Ad patriam si referenda dicamus, faciet pro nobis textus ipse, in quo verbum *patriæ* immediatè præcedit, ut sic quidem gratificatio illa vix aliter quam cum relatione ad patriam possit attendi. Faciet quoque dispunctio: post enim illa verba, *Fatris ob invidiam Pipinus in Rivo altum venit*, periodus absolvitur, poniturque (quæ periodos absolvere solet) puncti nota. Faciet ipsa quoque rei evidentia, quod enim gratum magis accidere civitati potuit, quam civis sui virtute se defendi servarique, contra vim insultumque istiusmodi hostis, cujus paratissima ad nocendum promptissimaque studia, omnino nihil erat quod destitueret, omnia promoverent? Si referenda ducamus ad ipsum Pipinum, ne sic quidem (modo per dispunctionem liceat) peccaverimus, potuit patriam defendere Beatus, ac simul quoque gratificari Pipino dum sic bello propulsando se accingit, ut pacem etiam deprecari sustineat, quod & fecisse id temporis annales tradunt, missosque qui pacem deposcerent ad illum Legatos; idque etiamnum bello, supra votum, fœliciter finito. Nimirum non potuit non esse quam gratissima Pipino injecta ab hostium duce mentio pacis.

Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo necesse est:

utque illud omittam, quod

Si æter-

Si æterna semper odia mortales gerant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma fœlix teneat, infœlix paret
Nihil relinquent bella.

quodque incerta casuum pensitanda sint, nec aliud agendum, quam ut bello pax quæsita videatur; hoc sane illud tempus erat, quo maximo Reipubl. bono pacis agitata fuere consilia. Quid! quod & à parte Pipini longe verosimillimum sit, ipsum præter acceptam cladem alteram graviorem etiamnum timuisse, nempe prælio victum etiam bello superari posse. Addamus, quod & videbat spem omnem quam ex Obelerij Fortunatique verbis de facilitate potiundæ victoriæ conceperat, turpiter decollasse: norat insuper, fama bella stare, eque primis successibus mortaleis futura dimetiri, atque æstimare solitos.

Pipini denique haud leviter intererat, ne in regni sui principio Francici nominis terror, qui omnia longe lateque compleverat, consideret; neu quoque quam posset contemni impune, cætera Italiæ loca à Venetis edocerentur. Ut ut est, arreptam avide fuisse bellum cum pace mutandi occasionem, derivatamque in exules, Fortunatum nempe atque Obelerium culpam; satis ostendunt illa, ex Æmilio superius citata hic repetenda. *Augustus Francus eo exorabilior paci Venetis reddendæ fuit, quod omnem culpam à Repub. in duces suos averterent, eos in patriam nefaria consilia induisse, quod voluntarium sibi consciverant exilium, & Veneti summi viri videbantur, Francorumque bellum cæteris horrendum ipsi in bonum verterant.* Si deniq; ad Obelerium referenda statuamus, memoratajam nobis subinde inscriptionis verba, nec id ipsum ratione careat. Gratum procul dubio fuit Obelerio, Beatum fratrem, adserta fortiter patriæ Libertate, vel

in tantum Francorum Regem demereri potuisse, ut jam pace stabilita, firmaque, preces suas pro ipsius in patriam reditu, apud Venetos interponere non fuerit gravatus, ac nec exilii modo impetrare gratiam, ac præteritorum oblivionem, sed & amissæ dignitatis locum; quod ipsum etsi mox à regressu Pipini, Obelerio (ut jam ante dictum) cesserit in exitium, haud effecerit tamen, quo minus inscriptioni quatenus ea ad ipsum referenda cuipiam videbitur, fides veritasque constet. Atque hæc quidem ad hunc § plus satis. neque enim reor sani judicij quempiam, ex ea quam discussimus inscriptione judicaturum, probari posse Venetos à Pipino domitos fuisse, aut subjugatos, quorum res citra omnem disputationis aleam mansisse infractas, illibatasque ne quidem ipsamet diffiteatur invidia, re verâ superiores fuisse, non unus annalium scriptor asseverat.

---

§ 42.

Versiculi imagini Angeli Patriciaci Ducis additi examinantur. Quæ omissa sunt, omitti non potuissent; sed omissa non infringunt aliorum scriptorum auctoritatem.

BEatum Angelus Patriciacus sive Participatius, (Badoarium hoc tempore dixeris) excepit, hujus ait Anonymus ex Sansovino, imagini subscriptum fuisse,

Tecta palatina communis parvula fundo
Ædifico sanctum, Zachariamque Hilariumque.

additque, si vera fuissent quæ de exemptione sua Veneti commemorant, deque hac adversum Francos victoria, futurum procul dubio fuisse, ut ejus aliqua facta esset mentio;

quæ

quæ cum nulla fiat, totius rei gestæ veritatem non obscure in dubium vocat. Quod quidem an candide satis, ipse viderit. Sansovinus utique unde hæc habet quæ ipse omissa causatur, non Goffredi modo Viterbiensis testimonio, verum Hugonis quoque ac Pontij abunde probat, additis insuper decretis divisionem hanc inter Carolum & Nicephorum, qua medij inter utrumque imperium, suique juris relicti sunt Veneti, confirmantibus. Hinc Ludovici II inde Othonis I. Lotharij IV. Frederici I. Henrici VII. Othonis IV. ac Frederici demum II. quæ sane talia sunt ut vel obstinatissimo mortalium confessionem extorquere possint, liquido sibi ea, quæ inibi de prædicta inter Orientis & Occidentis Augustos inter se divisione facta commemorantur, esse probata. Consulat cui integrum erit Sansovinum, & judicet. Mihi alienos labores pro meis venditare non lubet. Est interim id ipsum quod hic denuo refricat adversarius, à me in notis ad §. 28. abunde tractatum: unum addam, potuisse illa quæ omissa sunt, non omitti, omissa vero cum sint; nihil eum agere si quæ tot tantisque authoribus facta traduntur, non alio nomine, pro infectis habenda pronuntiet, utpote quæ talia sunt quæ & adesse possunt & abesse. Addam & hoc, male cum Venetis atque inclementer agere Anonymum, cui, si quidem ipsi ea quæ dicuntur silentio prætermissa expressissent, non probaretur eorum expressio, utpote testium in causa propria; nunc quia non expressere, tanto prejudicio vel silentium confoditur, ut si quas illi in judicando partes relinquimus, quæcumque præstantissimi atque ἀξιόπιστοι annalium scriptores tradidere, longe tali silentio sint postponenda, multoque minus ad adstruendam veritatem roboris habitura.

§ 43.

§. 43.

Historia Ducis Beneventani excussa. Obsides Carolo dati. Nihil Libertati Venetæ commune in Exemptione Beneventana. Beneventani hostes Caroli à Pipino debellati.

Refert sese hic §. ad ea quæ § vicesimo sexto jam ante ex parte commemoraverat, ac per la us Beneventani Ducis, Venetam Libertatem sauciare contendit. Promissi me reum fateor, quodque id loci facturum suscepi; una, eademque ad utrumque §. solutione, defungar. Recenset ergo priore §. Carolum minore Beneventani ducis filio in obsidem accepto, majorem patri remisisse; accepisse insuper à populo obsides undecim, misisseque Legatos, qui ipsum Ducem & omnem Beneventanum populum per sacramenta obstringeret. Posteriore §; ex Fuldensibus annalibus citat, factam cum Grimoaldo Beneventanorum duce pacem, & tributi nomine x x v millia solidorum auri à Beneventanis accepta. Infert inde, ac utroque quidem loco, cum Veneti ejusdem fœderis quod inter Carolum Nicephorumque sancitum fuit beneficio, neutri sese Imperio obnoxios ferant, quemadmodum ejusdem cum Venetis conditionis sese, Beneventani id temporis ferebant, censendos id propter esse eadem lege cum Beneventanis Venetos, quos ex locis allegatis videre est ab Imperatore habitos, non ut liberos suique juris, verum ut subditos, utpote queis pleno Imperandi jure obsides tributaque Carolus indixerit, speciatimque jure jurando sibi devinxerit.

Dicam quod res est, prope erat ut hæc tanquam aliena trans-

transmitterem, neque enim quid Venetorum Libertati commune esset cum exemtione Beneventanorum satis videbam, attamen ut hominem sensi id agere; ut hanc illamque nullo discrimine sugillet, rideatque ac falsi insuper insimulet, mearum esse partium credidi, propalam testatum facere, æque aliena hæc esse à bona fide, quam sunt à veritate dissentanea. Falsi crimen à Venetorum Libertate, fœderis utrimque legibus stabilita, amolitus sum jam dudum, ut à Beneventanis amoliar causa nulla est, ut nec ulla est ea quæ jam à me superius allegata suo loco sunt, repetendi, quo tamen utrimque cumulatè satis fiat, laudatum modo nobis Haillani Toparcham, si lubet, audiamus. Ait ille eodem quem mox citavimus loco. *Græcorum imperio potitus Nicephorus, misit confestim legatos ad Carolum, fœdus quod inter ipsum ac Irenen ictum fuerat renovaturos: Convenit ut Græcus sese Orientis Carolus Occidentis Imperatorem ferret, fratresque in posterum dicerentur. Imperium de cætero ita divisere, ut quidquid à Neapoli Sipontoque (Manfredonia ea nobis) in superum inferumque procurrit mare, una cum Sicilia insulisque adjacentibus sibi haberent Græci, cætera Gallis cederent. Ut Beneventanus dux, cujus erat in Longobardorum terris ditio, nec huic, nec illi imperio, esset obnoxius, quantumvis proniore semper ad Græcos deflecteret animo, idque hanc fere ob causam, quod Veneti apud Pontificem, cujus in dicundis fœderi legibus Imperantium uterque opera utebatur, cavisse dicerentur ut ne unquam necesse haberent occidentalibus sese rebus intromittere: Conventum porro ut civitas Veneta utriusque Imperij cardo esset ac limes, exceptumque ne cui amborum subjecta foret, atque ut ut bella fortean inter illos exurgere contingeret, nulla ipsi necessitas esset huic illive parti sese adjungere, sed absque ullo prorsus subjectionis obligationisve vinculo, secundum priscas quas habebat leges privilegiaque sese pro arbitrio componeret.* Hactenus ille, quo (siquid assequor) tam luculento hominis Galli testimonio vel ipsemet adversarius contentum se necesse est ut

Gg fatea-

fateatur, nec ulteriorem subsannandi sugillandique locum superesse. Ad ea quæ supersunt convertamur; parem ait utrimque hinc Venetorum, inde Beneventanorum fuisse conditionem, largior id quoque, verum eatenus, ut ne factæ inter utrumque Imperatorem divisionis metas transcendat: Ast inquit imperati Beneventanis obsides, tributa annua, sacramento speciali adacti sunt, quo verò demum jure, nisi imperij? Largior, & hoc (salva quaquaversum veritate). Cur ergo inquit non licuisset Imperatori in Venetos idem designare, quod in Beneventanos eadem inter se lege censendos? Verbo dicam, facti erant hostes Carolo Beneventani, & à Pipino sub jugum missi, sui esse desierant. Annalibus hic si credimus, Sigonium audiamus, is historiæ suæ de Regno Italiæ lib. 4. *Grimoaldus* ait *Princeps Beneventanus, qui gravi cum Pipino bello contenderat, saniore usus consilio arma posuit, atque Oratores de pace ad Carolum misit, eamque septem millibus solidorum aureorum obtinuit quotannis tributi nomine persolvendis*. Aut hominis Galli magis si probatur fides, Ioannes Serranus, in vita Caroli Magni sic insit. *Grimoaldus deinceps clementer habitus pristinæque dignitati redditus, obsequentissimum sese exinde addictissimumque gessit Carolo magno, quem prosperæ virtutis ergo, nec non & propter benignum victoriæ exercitium duplici nomine beatum depredicare liceat.* Hæc ille, ac ut quam paucissimis absolvam, ipse adversarius §. ordine sextum à vicesimo sic inchoat. Anno septingentesimo octogesimo & sexto Carolus sibi Beneventum subjugat, ita ut omnino evidens sit inter Beneventanos, Venetosque diversitatis ratio. Si missos sub jugum, si ob hostileis offensas tributis attritos, si obsides dare coactos, si denique sacramentis adactos specialibus, probare Venetos potest, patiar locum esse argumento quod ab exemplo arcessit, sin minus (ut certe nunquam poterit) quid causæ subsit quin ipsi candori ingenuitatique bellum induxisse credamus eum,

qui

qui non modo bello victos à liberis non secernit, verum etiam amissæ Libertatis ignominiam iis, qui eam amiserunt demere satagit, quo liberos homines præter æquum bonumque similis infamiæ adspergine collutulare, atque coinquinare possit?

---

§. 44

Gradus Insula ab Eginharto in enarratione testamenti Caroli Magni recensetur. Eginharti fides elevatur. Donationibus jura Libertatis nec amittuntur, nec queruntur.

AIt hoc § Gradum insulam ab Eginartho in vita, aut potius enarratione testamenti Caroli Magni, inter Metropolitanas civitates regni illius, (Caroli scilicet) recenseri, & quidem quinto loco; argumentum porro lectori formandum relinquit. Mentem ejus si capio, hoc innuit, Gradum quæ pars sit ipsa Venetæ civitatis ad Italiæ regnum spectasse, atque ex eo satis apparere quid de ipsa Venetorum urbe sit sentiendum. Nugæ meræ ac gerræ quod ajunt Siculæ. Non jam dicam Eginarthi socerum fuisse Carolum Magnum, eaque occasione fidem elevabo testis minus integri, sciens prætribo in re tanta non sufficere enumerationem unius authoris, nullis aliorum authoritatibus suffultam, ut & hoc taceam, istiusmodi enumerationibus rerum dominia nec quæri posse aut jura Libertatis amitti.

Sed nec jam ante à me dicta, de respectu aut collatione totius ad partem, quæque inde valide juris deducatur analogia, operose repetam, unum sufficerit, quod ex Æmilio, Sigonioque citasse memini, mutatam nimirum occasione

belli Venetis à Pipino illati, insularum urbisque faciem, illasque quæ sparsim ante fuerant habitatæ, pontibus tum demum jungi coeptas, quæque ante (ut creditu facile) parvæ admodum fuerant, universim junctas magnificentissimæ urbis præbuisse specimen. Factum vero id vixdum uno lustro ante Caroli è vivis excessum. Aut ergo constare deberet (ut ut plenariam Eginartho fidem deferre voluerimus) jam tum antequam ea scriberet immutatam fuisse civitatis Venetæ faciem, atque quantumvis una cum cæteris adjacentibus insulus Gradus in corpus civitatis illius esset coagmentata, mansisse eam nihilo secius regni Carolini, aut potius Italiæ partem: Eoque quam maxime probato, quo eam titulo Imperator possederit, commonstrandum foret, aut cum ex annalibus constet, Carolum sese etiamnum vivo de regnis imperjisque in filios dividendis assignandisque agitasse, probare adversarius deberet, ea quæ ex Eginartho citat non fuisse longo tempore ante obitum Caroli Magni conscripta.

§. 45.

Argumentum Anonymi, ab æde Zachariæ Leonis Armenij mandato exstructâ desumptum, elevatur. Inscriptio in ejus rei memoriam suffixa examinatur. Ædes D. Michaelis à Sergio Senonensi excitata, nec tamen aliquot ejus dominium Veneti agnovere. Subditi à Vasallis longe distant.

SOlutio ad hunc § ex ijs quæ jam ante à nobis dicta sunt erit petenda, neque enim aliud continet quam Iustinianum Participatium, Venetum ducem, ædificasse D. Zachariæ,

chariæ, idque Leonis Armenij mandato, cui rei probandæ adfertur inſcriptio ipſius Ducis, qui ſeſe id mandato Imperatoris (quem pacis qua univerſus terrarum orbis fruatur, conſervatorem indigetat) feciſſe omnibus Chriſtianis, quique S. Romano imperio fideles ſint, notum facit. Urget Anonymus hæc tria potiſſimum, I. Quod inſcriptio facta ſit propria Ducis manu. II. Quod Imperatoris mandato ædem extruxerit. III. Quod mentionem faciat eorum, qui fideles S. Romano Imperio ſint, nec obſcure ſignificet, ipſum ſeſe Ducem, eorum numero adgregatum voluiſſe.

Primum quod tangit, eſt illud omnino nullius momenti, modo ne tale ſit, quod evidenter atque citra exceptionem libertati Venetæ adverſetur, quale quid nemo ſani cerebri examinato illius inſcriptionis tenore deprehendet: omninoque probandum ante omnia foret, quid ſit illud unde aliquod, quod vel in ſpeciem ſtringat, ſumatur argumentum.

Mandatum Imperatoris quod adfert, nihil movet. Dictum jam ante, eſſe inter pares & æquales, inter quos imperium non eſt, ut e. g. inter amicos, mandatis locum; juſſa, ad eos qui non ſunt æquales referri. Vt ergo allegatis ab ipſo ſit locus, ante omnia conſtet oportet, eo Ducis populique Veneti loco res fuiſſe, ut ita volente Imperatore, non potuerint non ea cuncta effecta dare, quæcunque injungeret. Quod niſi præſtat ac nihilominus ex facto jus aliquod admetiri conatur Imperatori, aliud plane nihil agit, quam quod principium petat. Adde, quod nec imperantis mandatum inſcriptio teſtetur magis, quam divinam revelationem, qua extimulante, illum primitus animum ad extruendam ædem Divo Zachariæ ſacram adijcere occæpiſſe, Ducisque religioni eam curam demandaſſe, ipſamet inſcriptio teſtatur; quod quidem mandatum ſubjectionem aliquam arguere ac præ ſe ferre dicere ſi lubet, perinde egerimus, ac

 ſi te-

si testamenta condentibus subditos velimus extraneos quoscumque, quibus ut executioni elogia sua mandent, illi injungunt, quosve hæredes si quando instituere, fideicommisso gravant. Iam ante ubi exemplum Narsetis ab adversario simili casu adductum examinavimus, satis ample pertractata sunt à nobis omnia, quæ circa istiusmodi templorum, basilicarum, religiosarumque domuum ædificationes, consideranda veniant, ostensumque largiter, nihil ex istiusmodi factis inferri posse, quod subjectionem aliquam, aut ex altera parte imperandi facultatem aliquatenus probet. Illis nihil addam, præter hoc unum, non Imperatores modo, ut hic Leo Armenius, eorumve Legatos ac duceis, ut superius Narses, templa Venetijs aut extruxisse aut extruenda curasse, verum etiam privatos, tam in ipsa urbe quam extra illam. In urbe infinita exempla sint illustrium familiarum (ut est hæc propria Venetorum laus pietate ergaDeum, patriam, parentes, nulli cedere) nemo tamen illis ea de causa quid supra cæteris juris detulerit. Extra illam, exemplo sit Sergius Senonensis apud suos authoritate ac divitijs Princeps, cui ædes D. Michaëlis prope Brundulum promontorium belli injuria à Pipini exercitu subversum dirutumque, teste Sabellico Hist. Ven. dec. 1. lib. 2. originem debuit incrementumque, & cum incrementis ornatum. Sabellicum toties cum exagitet noster homo, mirum cur non & Senonensi Principi Sergio Venetos subjecerit, utque olim est,

Facta tribus dominis communis Roma,

ipsa quoque Venetum urbs inter imperia hinc in Oriente, illinc in Occidente dominantium, si dijs placet, distracta tertium quoque supra sese Senonensem agnosceret Sergium, cui pro extructo ornatoq; D. Michaëlis fano mercedis ac redhostimenti loco seque ac libertatem suam grata submitteret.

Tertium

Tertium denique quod urget, illud est, quod nempe dirigatur ad omnes qui S^{to}. Romano Imperio fideles sunt, ducis inscriptio. Quantulum vero hoc est, dirigitur ad eos qui tales sunt, ergo & ipse talis fuit? quin imo ipse dux talis fuit, ergo tota respub. Imperatori subdita fuit? non sequitur. Largiamur Anonymo fuisse ducem talem, quid miri? fatetur sese Hypatum (ut ipsa monstrat inscriptio) Imperatoris, hoc nomine fidelem & fuisse, & ratione dignitatis, esse quoque debuisse, dubium non est, ast non subditum, ut superius late sum prosecutus. Titulus fidelium vasallis competit eorumque proprius est. Nemo autem est qui nesciat quanto intervallo secernantur à subditis vasalli, tum quoque de talis enunciati effectu, nempe quod fideles, quod devoti, quæque his similia sunt dicuntur nonnulli, quid sentiendum sit, quidve juris eliciatur ex istiusmodi verbis, absolvi jam ante, ubi male distortas ab adversario Aurelij Cassiodori phrases sub incudem revocavi.

§. 46.

Verba Epistolæ Lotharij ad Petrum Fradonicum Venetorum ducem scriptæ, examinantur. Dominatio pro ditione accipi non potest. Dilectionis vox excussa.

MIrum ni ab oculis male habeat Anonymus, quum ipsum Lotharium Imperatorem, anno à nato Christo quadragesimo super octingentesimum, Petro Fradonico Venetorum Duci scripsisse agnovit, DE POTESTATE VEL REGNO DOMINATIONIS VESTRÆ. Ergo ut occurrat, vocem dominationis ait accipiendam, pro ditione, ac territorio, aut loco *dominationis vestræ*, legendum esse *dilectionis*.

ctionis. Absurde prorsus. Nam cum jam duobus Imperator usus sit verbis idem significantibus, qualia sunt *de potestate vel regno*, qui fieri pote, ut vox *dominationis* pro ditione accipiatur? neque enim consistant hæc inter se *de regno ditionis tuæ*, præcedente quam proxime verbo *potestatis*. Quod per explicativam particulam *vel* re vera idem esse vult Imperator ac ejusdem cum regno significationis. Vox quoque *dilectionis* in eum non quadrat, quem potestatem regnumque obtinere fatearis. Nullo æquidem ævo *dilectionis vestræ* adjecta qualitas ijs fuit, quos aut nascendi sors, aut populorum consensus, ad id fastigij subvexit: uno duntaxat Pontifice excepto, qui cum se patrem omnibus ex æquo ferat, filiosque promiscue indigitet, monarchas dynastasque quoslibet, non alio quam dilectionis epiphonemate uti solet. Hæc si non admittit adversarius, meque ignarum styli isto sæculo usitati dicat, næ mihi ille bono (ni fallor) jure, criticus multo judicabitur infœlicior, qui, ut maleferiato Venetis distrahendi zelo ne desit, candori suo deesse mavult, locoque nec mendoso nec corrupto, istiusmodi adhibere medicinam, quæ non cadat in sensum communem, nedum in sensum istorum verborum, quæ novus ille Machaon, aliud quam id quod disertim exprimunt, velit innuere.

---

§. 47.

Quid inter Orientis, atque Occidentis Augustos decretum sit, quoad Venetos. An & quatenus decretum illud Libertatem Venetorum afficere potuerit. Quis sit effectus

fectus illius, quæ decretum sequuta est, confirmationis.

DEsiderat hoc quem refutare aggredior §, Anonymus animum ab omni affectu præjudicioque liberum, directeque Venetos alienis Imperiis egisse obnoxios, hoc se loco probare credit. Annitar ut nec in recensenda adversarij mente fidem, inque ijs quæ pro se adfert refutandis, candorem, quisquis hæc lecturus est requirat. Recenset primo ex Sigonio de regno Italiæ lib. 5°. Privilegiam à Ludovico secundo concessum ei quem proxime præcedenti §. nominavimus Venetorum Duci Petro nimirum Tradonico, *de possessionibus* (verba Sigonij sunt) *Cleri & populi Veneti in Imperio ejus juste & ligitime possidendis pro ut per fœdus cum Græcis ictum Carolo proavo suo regnante possederat.* Formulam deinde privilegij adducit ex Sansovino, in hæc verba conceptam. *Dux Veneticorum deprecatus est nostram majestatem ut ex rebus sui ducatus quæ infra ditionem imperij nostri existere noscuntur, confirmationis nostræ præceptum fieri juberemus, per quod ipse, ac Patriarcha, Pontifices, atque Populus sibi subjectus, sibi debitas res, absque cujusquam contrarietate seu refragatione tenere quivissent, quamadmodum temporibus bisavi nostri, Caroli, per decretum cum Græcis sancitum, possederunt.* Postquam deinde (quod jam ante suo loco, ipsum facere debuisse indicavi) ait, memorare Sansovinum, eadem ab aliquot qui postea secuti sint, ibique enumerantur (nos eos jam ante d. l. enumeravimus) Imperatoribus fuisse confirmata, Sansovinum arguit erroris, qui inde inferat voluisse Carolum, instituta Imperii divisione, Venetos inter utrumque Imperium remanere liberos, eumque textui vim inferre prædicat, aitque nihil agere Ludovicum, quam quod ducatus possessionem confirmet, qui quidem cum notorie situs sit in ipso Imperii territorio, ac cum non aliter intelligi ac-

cipive possit ista confirmatio, quam de insulis maris Hadriatici, quas Veneti insiderant (neque enim terminos suos id temporis in continenti terra etiamnum protulerant) nihil aliud Ducem, Pontifices, Patriarchas, Clerum populumque per illam sibi acquirere potuisse confirmationem, quam illarum rerum quietam possessionem, quas jam tum, quo tempore inter Carolum Nicephorumque ictum fuit foedus, possidebant.

Ergo ut videmus, ordine considerandum nobis I. quid inter Orientis atque Occidentis Augustos decretum sit, quoad Venetos. II. An & quatenus decretum illud Libertatem Venetorum afficere potuerit. III. Quis sit effectus illius, quæ decretum insequuta est, confirmationis.

Hæc tria ordine ut exsequamur, ab eodem quo adversarius hunc § inchoat Sigonio, ordiri lubet; meminit ille foederis per Carolum Ludovici bisavum cum Græco percussi. Æquum ergo quò ad suum principium rem ipsam deducamus, ut quo pacto sancitum firmatumque illud fuerit, repetamus. Verba Sigonij superius quoque à nobis adducta sic habent, *In foedere illud nominatim expressum, ut Veneti inter utrumque imperium positi liberi, atque immunes, & ab utroque securi, viverent, ac sine molestia res suas in Italico solo possiderent.* Sigonij dictum firmant illæ, quas ibi fusius sum prosecutus scriptorum authoritates, quibus nihil addam nisi unum Christophori Rossini, in Curia Burdegalensi dum viveret Præsidis testimonium, quod quidem eo magis mihi faciendum puto, non quod pluribus agere proposuerim in re clara, verum quia fuit ipse natione Gallus, sic ut eo nomine, tanquam Venetis addictior quasi sit, in ipsum suspicio non cadat, ac simul quoque, ut jactabundæ Anonymi asseverationi occurram, qui se duntaxat ex antiquis ac qui eo tempore vixerint authoribus, sua adstruere dum putat, recentiorum fidem

fidem convellere atque elevare tentat. Ait ille in suis omnium ab orbe creato historiarum commentarijs. *Ea quæ per novam Caroli Magni creationem facta est Imperij Romani à Constantinopolitano divisio nullos habuit certos Provinciarum fines. In eorum fœderibus illud accurate apud vetustos scriptores legimus intervenisse, ut Venetia, urbs Italiæ maritima, utrumque reverita Imperatorem proprijs uteretur legibus. Quod & Blondus post antiquos egregie prosequitur.* Huc usque Præses Rossinus. Itaque si actum id est ut liberi viverent; jam tum procul dubio liberi erant, neque enim est ut libere vivant, manumissione jam dudum atque his potissimum temporibus, sublata; nisi qui ipsimet sint liberi. Si comprehensum fœdere ut suis viverent legibus, legeis, secundum quas viverent, ante percussum inter Imperatores fœdus, ut habuerint, oportet. Eas ipsas unde nacti sunt ab Imperione Romano? ejus rei, neque vola, neque vestigium, in toto Iuris corpore, aut ullis omnino annalium monumentis apparet. A Constantinopolitano? æque parum: sibi ergo suisque leges si vixere, αὐτόνομοι si fuere, quid causæ subsit, cur eos alienis legibus astrictos credendum existimemus? nulla sane; ac ne quidem imaginaria. Iungamus his, illa quæ allegat ex Sansovino atque ex contextu confirmationis verba. *Ut ipse, Patriarcha, Pontifices, atque populus sibi subjectus, sibi debitas res absque cujusquam contrarietate sive refragatione retinere quivissent, quemadmodum temporibus bisavi nostri Caroli per decretum cum Græcis sancitum possederunt.*

Hæc si inspicimus, jam tum tempore Caroli, ipso Cæsare id deprædicante atque agnoscente, populum sibi subjectum habebant Duces. (eo id accipiendum sensu postea docebimus, quo de Pompeio apud Lucanum Cato fuisse eum ait libertate salva rectorem Senatus, sed regnantis) Illis quoque temporibus res sibi suas habebant, eo jure, quo earundem liber homo moderator est & arbiter. Quæ cum ita sint,

præsertim si prædictis jungimus illa Sigonii, nempe fuisse cautum ut liberi, immunes, & ab utroque securi viverent, sane non video, quam vim Sansovinus adferat textui, dum vult Venetos divisione cum Græcis factâ, liberos fuisse relictos, immunesque ab alterutro hinc inde imperio; quin potius ad claram lucem adversarius mihi cæcutire videtur, si aliter illa verba putet explicanda. Esto interim lectori suum de tota re judicium. Vidimus huc usque quid actum sit inter Nicephorum Carolumque. Superest ut despiciamus, an, & quatenus, iste actus in ipsam libertatem Venetam influat, eamque afficiat. Quò priusquam deveniamus, præmittendum paucis inter libertatem ipsam interque exercitium libertatis distingui debere. Hoc præmisso, alterutrum necesse est statuamus, nempe Venetos tempore divisionis aliquoties nobis memoratæ, aut liberos fuisse, aut si liberi non fuerint, divisionis illius beneficio ex consensu decretoque imperantium, in posterum (ut futuris leges formam dant negotijs) liberos esse fuisse jussos. Tertium non datur. Si verum prius, cessat omnis ex illo decreto quo ad Venetorum libertatem affectus: si posterius amplecti lubet, expediendum prius, quo pacto, nec non à quo, libertatem sint adepti. Modum quod attinet, Sigonius, loco quem allegat adversarius, accidisse ait *per fœdus cum Græcis ictum*; loco à nobis citato *id in fœdere nominatim expressum* ait Roffinus *in eorum fœderibus accurate intervenisse*. Sansovinus *decretum cum Græcis sancitum* (quod cum fœdere in idem incidit) pro modo assignat, quæ singula si perpendimus, sapiunt utique stipulationem inter fœdus sancientes. Quid enim aliud est fœdus quam duorum pluriumve summo imperandi jure præditorum inter se pactio? Ergo si fœderi pactoque deferenda libertas Venetorum, aut quo ad fœderatos, ipsi in eorum potestate fuere, aut extranei; sin placet prius, hactenus id non esse probatum

batum regeram, sin posterius ad tit. Institutionum de inutilibus stipulationibus, adversarius erit relegandus. Quis est modo ne omnino hospes in Iure sit, qui nesciat neminem regulariter alteri extraneo, non existenti in potestate sua, stipulari, pacisci, aut acquirere posse? atque hoc illud est quod ait Scævola in *l. quo tutela. §. neque de R. I.* nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando, quemquam alteri cavere posse, & in *l. quæcumque ff. de Obligationibus & action.* quæcumque gerimus, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum nostrum efficere; & ideo, neque stipulari, neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, posse quempiam, ICtus. Paulus negat. Dixi porro, fœdus esse pactionem summi imperii jura habentium, & quidem inter se, quod eo addidi, ut constaret (quod etiam in jure dubium non habet) absenti neminem recte quid pacisci. *l. illud. Cod. de sacrosanct. Eccles. l. multum interest c. si quis alteri vel sibi.* Cujus quoque evidens est & ad propositium nobis lemma applicanda ratio, quod ad hoc ut quis posset paciscendo contrahendove extraneo absenti acquirere, mandatum vel æquipollens intervenisse sit necesse. *arg. l. consensu. ff. de O. & A.* atqui verò nunquam probabitur, fœderis tempore præsentes, fœderatisve medios, fuisse Venetos (haud gravatim hæc se adversario, qui ad infimæ sortis abjectam conditionem Venetos quaquaversum allegat, hæc se probabit negativa) aut ut sibi suæve libertati eo fœdere voluisse prospectum. De modo vidimus: restat ut videamus ecquinam ille, illive, forent, quibus libertatem Veneti acceptam ferendam haberent, si quidem ea ex fœdere accepta ferenda esset. Certum est libertatem ei qui antea liber non fuit conferendi potestatem esse Imperii summi; summi vero Imperii hanc esse naturam, præclare eruditorum nostri sæculi Phœnix Hugo Grotius nos edocet, ut illud nihil

exæquet, aut superet. Vult adversarius Venetos utrique Imperio paruisse; Si ergo alterutri Imperatorum ea debebitur, obstabit in facto, probationis defectus, in jure, ipsa Majestatis natura parem non ferens. Si utrique, obstabunt præter eundem defectum probandi quæ superius in eam sententiam allegavimus, nimirum ejusdem rei duos in solidum Dominos haud esse posse. Pressius rem ut consideremus, neque Sigonius, neque Roffinus, neque Sansovinus, neque demum quispiam mortalium dixerint ipsam Venetorum Libertatem in se consideratam ac ut est naturalis facultas eorum quæ cuique lubet faciendi, nisi aut vi aut jure prohibeatur: fœderi prædicto ullatenus deberi, cujus evidens est ratio, quod materia pactionum, stipulationumque, sint omnes res, quæ aut in commercio sunt, aut quibus leges non resistunt. At vero in Principio libri nostri ostendimus neque liberi hominis esse commercium, neque etiam libertatis, utpote quæ nisi hominem ex homine exuere velimus, est omnino ab homine libero inseparabilis. Quin nec dubium quoque, quin pactis istiusmodi quibus aliqua ratione Libertas in commercium deducatur, leges resistant. Vid. pulchre hac de re differentem *Hotomanum lib. 1. quæst. illustr. quæst. 1.* per totum. Quodcumque ergo actum, gestum, decretumve fuit, libertatem Venetorum non tangit, totumque in libertatem habendi modo exhauritur; neque enim aliud inter fœderatos actum, quam ut semel facta divisione, nulla de finibus enasci inter ipsos posset differentia, quod quidem eo proniore actum desiderio, quod teste Æmylio ejusdem fœderis legibus expresse cautum sit, ut ambo fratreis inter se essent dicerenturque, nec poterat non esse utrique perspectissimum, quicumque tandem eorum Venetæ urbis esset dominus, gravibus illum damnis alterius Imperij fineis de facili affligere posse. Est itaque prædicto fœdere non Venetis,

ast

ast ipsis fœderatis dicta lex, quamet ipsi voluere, ne cui eorum opera auxiliove, pacis bellive tempore, contra alterum uti liberum esset. Quod ipsum dubium non est, quin factum sit pro recepto summis potestatibus more, eos etiam in fœdere comprehendendi, quos sibi aut amicos haberent, aut inimicos nolint. Inde utique, sequa juri quæsito, siqua libertati damna sint enascitura, superflua sint ista fœderum capita, pereatque benigna comprimis naturæ regula, qua docemur, hominem beneficio affici, ipsius hominis interesse. Progredior ad tertium, quod de confirmatione adfertur. Atque hic quoque ut absolvam quam potero paucissimis: dico in antecessum, nobis hic in quæstione nihil esse præter unam Venetorum Libertatem, atque ex antedictis binas conclusiones formo, quas nemo mihi, ut spero, sit negaturus. Prima esto ad hoc ut de confirmatione constet, constare ante omnia debere de confirmato, idque dupliciter, primo, ratione juris, scilicet, an id quod confirmatum est, sui natura fuerit confirmabile, secundo ratione facti, nempe sitne illud confirmabile, revera confirmatum, nec ne. Altera, constare debere de firmante, scilicet fueritne habilis ad id firmandum quod postea confirmatum fuisse dicitur. Libertatem ipsam quod attinet, illa, ratione juris quod Venetis competebat, nec firmari nec confirmari potuit, de facto quoque nec firmata fuit nec confirmata: Locus Sigonij siquidem de Libertate, ejusve jure, mentionem facit nullam, ac solummodo de *possessionibus Cleri & populi Veneti in Imperio ejus juste posidendis, prout per fœdus cum Græcis ictum Carolo proavo suo regnante possederant.* Loquitur Sansovini ad idem locus ne γρῦ quidem de Libertate: id duntaxat actum, *ut ipse, at Patriarcha, pontifices, atque populus sibi subjectus, sibi debitas res absque contrarietate cujusquam, seu refragatione, retinere quivissent, quemadmodum temporibus bisavi Caroli, per decretum cum*

cum Græcis sanctum possederant. Ex adductis clarum etiam est, constatque de firmante, illud nempe, ne quidem ad ea firmanda habilem eum fuisse, quæ jure naturæ sibi competentia, asservarant nec alieni juris unquam fecerant Veneti. Ipse ergo, nullo jure titulove, sibi illa arrogare poterat, quemadmodum quoque nunquam sibi ea arrogasse deprehenditur. Libertas ut anima, tota est in toto reipub. corpore, nec non & tota in singulis reipub. partibus. Illam ipsam absque vi aut jure prævio, minuere aut augere firmareve nemo queat. Imperatorem cujus multis encomijs celebratur prudentia, illud unquam attentare voluisse ne credendum quidem. Quodcumque ergo confirmatum esse dici potest, nihil est, præter usum exercitiumque Libertatis; ista Libertati originem suam debeant, in substantiam vero Libertatis eatenus haud influant, ut ad illam constituendam, tollendamve, vel hilum possint. Sed nec omittendum nobis, ipsam quoque confirmationem bifariam considerari posse, nempe quatenus illa idem est quod ratificatio, & sic quatenus habet vim declarationis, pariterque, quatenus adinventa primitus est confirmatio, ut actui præcedenti robur addat, unde & illam DD. definire solent, quod sit actus qui præcesserit corroboratio. Priore casu ambigendum non est, istiusmodi ratihabitionem obstare non posse, modo non obstiterit id quod ratum habetur. Posteriore rei gestæ est attendenda veritas: si hac de qua nobis hoc § discursus instituitur confirmatione quæ præcesserint corrroborata dicimus, fatendum utique confirmatione nihil roborari potuisse, præter ea quæ fœderis legibus decreta fuerant sancitaque inter utrumque Imperatorem, non vero inter Venetos & Imperatorem. Eo fœdere cum non sit collata Libertas, ut nec conferri potuit, ratio dictat, non contendisse apud Imperatorem Venetos ut liberi fierent, essent;

rema-

remanerentve, verum ut liberum ipsis esset, intemeratumque, ac nec ulli temerandum Libertatis exercitium.

Atque hæc quidem de ipso confirmationis effectu dicta sufficiunt, unum hoc § superest, nimirum, quod pro subjecto, circa quod versata sit repetita pluries nobis confirmatio, Venetam urbem ac maris Hadriatici quas Veneti insederant lacunas fuisse ponit. Quo posito ratione situs illas utpote in meditullio Italiæ constitutas negari haud posse contendit, quibus tota pareret Italia, subditas quoque easdem fuisse. Nos vero id ipsum quam non sit magni momenti toto cap. 7. hujus tractatus ostendimus: non peccabo fastidiosa eorum repetitione in patientiam benigni lectoris, si commodum est inde petat, quę larga manu, plenoque quod ajunt modio admensi sumus.

---

§ 48.

Ad sequentem Paragraphum de jure cudendæ monetæ, Venetis ab Imperatore concesso, introductio.

TRaducit hoc § ut parum aut omnino haud verosimile, quod vult in suis admirandis Venetæ urbis Goldio, quique Goldioni coætaneus est ac authorem Volateranum citat, Nicolaus Doglio Theatri sui parte tertia; Ursum ejus nominis secundum Venetorum ducem, à Conrado Imperatore, qui ab anno nongentesimo duodecimo usque ad decimum & nonum habenas Imperii moderatus est, cudendæ monetæ jus obtinuisse, quod nos verum ne sit nec ne, quo ne supervacuis ac non facientibus ad rem disquisitionibus, lectorem ac nosmet ipsos nequicquam implicemus, in medio relinquendum putamus: Vt & illud, rectene, quæ Goldioni Doglionique tradita sunt, Anonymo parum verosi-

 milia

milia videantur nec ne, idque duabus quas potissimum hoc loco adducit rationibus, quarum prior est quod non legatur Conradus curæ cordive res Italicas habuisse. Altera, quod inter Annalium scriptores non pauci Conrado locum inter Imperatores nomenve haud assignent. Vnicum fateor hoc § habet, de quo dicendum aliquando curatius, concessio nimirum juris monetandi, quam Venetos dicit acceptam ferre Imperatori debere: at hoc ipsum quandoquidem § proxime sequenti tractatur, nos quoque ad eundem, utpote commodiore loco, nullisque temporum supputationibus involuto, Chronologicisve salebris impedito, tractare aggredimur.

---

§. 49. & 50.

Jus procudendæ monetæ Venetis ab Jmperatore indultum, nihil derogat eorum Libertati. Missio legatorum à Venetis ad Jmperatorem instituta probat liberum eorum Imperium. Frivolæ Anonymi circa hæc conjecturæ. Illi, qui monetam cudi curat, in Majestatis argumentum fere semper cedit. Vultus regnantis nummis insculptus, & quare. Ratio cudendorum nummorum à Numa Pompilio inventa. Regum Italiæ aut Imperatorum vultus in nummis Venetis non conspiciuntur. Ducis aut Divi tutelaris effigies iis insculpta. Hoc summi Imperii argumentum. Subjectionem non probat, quod quis alieno beneficio monetam cudat.

dat. Quod Beerengarius fines Venetorum & Italicorum terminarit, nullum Imperii summi jus probat.

ATque ut agamus quod instat, iis prætermissis quæ superflua sunt, citat ex Sansovino Privilegii verba à Rudolpho concessi traditique in manus Metamaucensis Episcopi. (Dominico ei nomen), nec non & Venetorum Legati, Stephani Caloprimi. Sunt autem illa, *simulque eis nummi monetam concedimus, secundum quod eorum provincia duces à priscis temporibus habuerunt.* Allegat quoque §. 51. Petri Participatij Venetorum ducis imagini subscriptum sequens breve.

Multa Berengarius mihi privilegia fecit,
Et mihi monetam cudere posse dedit.

Ac priore quidem §. verba Sansovini *Consueto more* dicit non audere sese eum ad modum intelligere, perinde ac si nullius auctoramento prævio, sed de consuetudine, aut quod majus etiamnum est authoritate propria, monetam primitus cudere cœpissent Veneti. Neque enim credibile ait, siquidem apud ipsos jam diuturnus usus monetam cudendi invaluerat, juris illius confirmationem insuper fuisse petituros. Verum prius illud, quidquid denique fuerit, sive morem sive usum appellare lubeat, referri debere ad privilegium aliquod tempore prius: ita ut facta à Rudolpho Venetis concessio anterioris alicujus privilegii aut gratiæ dicenda sit fuisse confirmatoria.

Vt dictum multoties, nihil nobis hic argumenti est præter Libertatem Venetam: eam quod attinet, unum examinandum est, an quo casu jus monetandi Venetis ab Imperatore fuerit concessum, necessario statuendum sit, illos Imperatori fuisse subditos. Agit hoc enixissime adversarius

rius, eò tamen nonnunquam successu, ut quibus nullis præjudiciis imbuta mens est, aut minus ingenuus videri possit, aut ipsemet ea adducere, quæ penitius inspecta, longe diversum ab eo quod astruit, manifesto evincant. Vtriusque exemplum præsens exhibet §. Si subditos vult Venetos, rogare lubet unde eis legatos mittenti jus, nulli liberum nisi cui pariter quoque summum imperandi jus citra controversiam debetur. Est ut scimus à legante suum legatis nomen, & quidem istiusmodi ut authore Tullio (divinat. in Verrem) *non modo inter hostium sociorumque jura, sed etiam inter hostium sociorumque tela versetur incolume*. Illud ipsum vero unde, nisi à suprema illa potestate, quam nihil est ex pari quod aspiciat nedum quod supragrediatur? Si dominus Venetorum erat, Imperator, cur eorum ad se legatos admittit, ac privilegiis etiamnum ornatos à se dimittit? Vt jam dicere cæpimus est ea Legatorum dignitas, ac cum jure quod habent prærogativa, ut in subditorum nomen sortemve haud cadat. Iis qui pro obnoxijs alieno imperio reputantur, ut Legatos mittant nemo concesserit, nedum is, qui sese illorum dominum fert, subditos sibi suos æquari citra manifestissimam Majestatis suæ imminutionem ac læsionem, unquam admiserit. Ab altera parte minus ingenuum est quod cum ipsemet pro se Sansovinum alleget, probaturus illius testimonio, Venetos Imperatorio beneficio monetam cudendi jus habere, contra clara Sansovini verba, conjecturas obtrudit easque non malignas modo, verum ne probabiles quidem, nedum ab ullo probatas. Sed nos illa Lectori discernenda atque dijudicanda relinquimus. Ad ipsam rem ut accedamus, pariterque ut demonstremus, quam neque ipsa rei veritas, neque juris dispositio, nugis adversarij patrocinentur, sciendum circa numos cudendi facultatem duo considerari potissimum, quorum primum, illi qui monetam cudi curat

di curat, in Majestatis argumentum fere semper cedit, ad reverentiam dilectionemq; dominantium, subditorum mentibus insinuandam efficax remedium: secundum, quandoquidem mensura rerum nummus est, utilitati publicæ totum devovetur. Illius nimirum interest quam maxime ut sua commercijs constet facilitas; quam videmus indies monetarum diversitate ac confusione non leviter turbari. Prius quod attinet, apud omnes fere gentes invaluit; ut monetæ cui forma publica esset, insculperetur vultus regnantis, ut in promiscuis quotidianarum rerum actibus, atque ipsis etiamnum commercijs, quibus non modo civitatum prosper ac fœlix status, verum & omnis hominum vita constat propemodum, perpetuo vigeret versareturque ob oculos, sacrosancta Principum Majestas; quam quoties oculis ea sese aggereret (quod non poterat non accidere quam creberrime) tanquam præsens numinis simulacrum, homines devenerarentur. Sic Christo Christianos ac Christianis Christum de propiore nota conciliaturus, ait de ijsdem Christianis beatus Augustinus ad Psalm. 66. *Fecisti nos ad imaginem tuam, fecisti nos numum tuum.* Inventum interim numos imagine sua signandi Isidorus suis originum libris Numæ Pompilio tribuit, aitque; numi à Numa Romanorum Rege, qui eos primus apud Latinos imaginibus notavit, & titulo nominis sui præscripsit. Numæ verò vel solum nomen argumento fuerit non alij id repertum fini, quam illi quem mox assignabamus, quem nos in monetam cudendi facultate si attendimus, duo iterum occurrunt, primo non reperiri regeis Italiæ imperatorésve numis, qui Venetijs cusi sint, aut insignia sua insculpi curasse aut nomina.

Cum tamen ex adverso liberæ Germaniæ civitates (eas omitto, quę se consuetudine tuentur aut prę scriptione) quæcumque jura numos cudendi exerceant Imperatorio indul-

 to,

to, nec non & cæteri Principes inferiores, id in nummis quos cudunt religiose observent, (exemplo sint imperiales, quorum frequens his regionibus usus, Thaleri) ut facies una quidem Principis inferioris effigiem, aut civitatis liberæ præferat insignia, altera vero nunquam fere non imaginem Imperatoris aquilamve Romano-Germanici Imperii insigne ostendat. Secundo, quod Veneti nummis suis non Imperatoris, verum aut ducis sui, aut Divi sub cujus patrocinio clientelaque vivere se gloriantur, insculpant effigiem, ut de posteriore testis est Boërius decis. 327. statim à principio: insigni mecastor argumento summi illius Imperii, quod in se suosque exerceant. Vtique non aliter æstimatum id Francis tempore Iustiniani, *quibus id* (ita tradente Procopio lib. 3. de bello Gothico) *datum ut numum aureum è Gallico metallo percutiant, non Imperatoris Romani ut fieri assolet, characterem solido imprimentes, sed propriam ipsorum imaginem. Nam Persarum quidem Rex numos quidem argenteos, quoquo modo velit ferire est solitus, sed ei fas non est effigiem suam auro insculpere, neque ulli alii omnium Barbarorum regi, quamvis auri in suo regno reperti Dominus existat.* Huc usque Procopius. Et quidem quæ de Persis ille, etiam in aliis deprehendas gentibus. De Germanis (quos natione quidem non ratione Barbaros Romani judicarunt) ita Tacitus, *formas quasdam nostræ pecuniæ cognoscunt atque eligunt, pecuniam probant veterem & diu notam Serratos Bigatosque*, ita dictos, authore Plin. lib. 33. c. 3. quod notæ argenti Bigæ atque quadrigæ fuerinr. Imprimendæ porro numis imaginis, post Numam satis recens est exemplum Servius Tullus: interque antiqua Cymelia etiamnū numismata reperire est, Romę, Serviique, nomen exprimentia: at quid hic operosus sim? diserte id ipsum reperire est apud Suetonium in Augusto, qui numos veteres regios Serviatos, quibus nota Servius, recenset. Publicum si contuemur bonum, certum est non esse possibile ut Prin-

ut Princeps aliquis quantumvis potentiſſimus, & ſufficienter, & ubique nec non & omnibus, poſſit de moneta proſpicere, itaut rerum ſtatus, & in commune utile quod eſſet, compluribus neceſſitatem impoſuerint monetam cudendi. Hanc ſibi facultatem ſi adverſus ipſum (ubi res ita fert) Imperatorem tuentur adſeruntque civitates liberæ (de iis me loqui profeſſus ſum, quæ jus iſtiuſmodi non aliunde metiuntur quam ab Imperatore), conſtare poteſt non eſſe ſufficiens argumentum ad probandam ſubjectionem, quod quis alieno beneficio monetam cudat, non magis utique quam omnimoda libertas inferri queat ex hoc ipſo, quod monetam de conſuetudine cudant civitates nonnullæ. Publicæ quoque utilitatis intuitu ac mutuæ ſymbioſeos cauſâ, multoties evenit, ut Princeps Principi concedat iſtiuſmodi nummos cudendi jus, quorum valor in illorum utrumque diſtrictu territorioque æſtimetur ex æquo. Ex adverſo nec illud infrequenter obvenit, ut Principes etiam fœderati, civitates item liberæ, alter adverſus alterum iſtiuſmodi ſubinde ferant monetarias leges, quibus liberum ſuis ſubditis haud relinquant, extra terminos ditionis, hos illoſve nummos aut accipere, aut acceptos expendere; præſertim ſi commiſturæ commenſurationiſve minus probæ (*alloy* Gallis vocatur) eſſe perhibeantur. Utrumque pro imperij jure fieri nemo neget, ac neque ut ſpero adſeverabit quiſpiam eum, qui neque propter ſe parem neque ſupra ſe agnoſcat ſuperiorem, ſiquidem beneficio illi datur ab altero, item ſummi Imperij jura qui exerceat, ut iſtiuſmodi monetam cudat, eo ſtatim nomine ſubditum alterius devenire, aut eum quoque, cujus numis nota reprobæ commiſtionis inuſta eſt, ac ſic eorum expenſitationibus interdictum, ſummi quod ipſi competat imperij jure privari. Ut ergo ad Venetos unde digreſſi ſumus revertamur, meo quidem judicio maximi ponderis

deris sunt allegata ab Adversario Sansovini verba, quibus *eis numi moneta concessa est secundum quod eorum provinciæ duces à priscis temporibus more consueto habuerunt*. Quippe si civitates ipsæ Imperio subditæ quando de earum antiqua consuetudine constat, etiam non obstante quod jura istiusmodi à Principe fluant ad eumque refluant, similem cum Principe jurisdictionem habere atque exercere non prohibentur, per ea quæ tradit ac pluribus firmat Budelius de monetis & re monetaria lib. 1. c. 4. nu. 6. & 7. multo magis dicendum est, populos liberos, exterosque, jus monetæ ab hoc illove Principe accipere, citra ullum Libertatis suæ dispendium, compendiumve, utpote quibus nihil, quod non sua virtute atque efficacia in se habeant, concessum dici potest, nec alteri bono jus acquisitum prodest, quam ut quos in terris sibi subditis intra fines suos libere numos expendunt, pari Libertatis jure, alieno in territorio expendant. Vt absolvam non potest aliud ex hac concessione deduci, quam de cæterorum Privilegiorum concessione, de qua verba jam supra fecimus, ostendimusque Libertate salva Privilegiis ornari posse ab hoc illove Principe etiam non subditos. Paucis adjungam quæ porro §. 51. de Berengario adducuntur, cum nempe Oloniæ cum esset, fœdus inter Italicos ac Venetos renovasse, ac fines eorum inter se terminasse, plane nullum Imperii jus directo præ se ferre, sed potius prorogatam partium utrimque consensu jurisdictionem sapere. Similem lite inter Venetos ac Patavinos ortâ, & ad Narsetem delata, superius tractavi casum, quæque in considerationem venire possent adducique, fusè sum prosecutus, ea repetendi molestiam mihi benevolus lector abstulerit, si quæ ad illum locum dicta sunt habere dignetur perinde ac si denuo repetita forent, simulque etiam ad allegatum hoc §. ab Anonymo Berengarii fines inter Italicos Venetosque terminantis exemplum, applicare non gravetur.

Rex

§. 50.

Rex Hugo Urso Venetorum Duci vetera Libertatis beneficia confirmavit. Quid sit confirmare. Salva Libertate quis confirmationem ejus potest postulare. Male confirmationem ejusmodi cum legitimatione Anonymus componit. Italia Occidentis Imperatori Carolo pro ditione habita. Alia hic ratio fuit Venetorum. Nihil ipsis imperatum, quod subjectionem possit inferre. Quæ exemptionis, Libertatisque nonnullarum urbium origo. Earum cum Venetis comparatio instituta.

TAngit directo hic §. Venetorum Libertatem, adducunturque bini ex Sigonio textus: quorum priore *Rex Hugo Urso Duci Venetorum per legatos vetera Libertatis atque immunitatis beneficia sibi confirmare postulanti annuit.* Posteriore explicatur quomodo accipiendum sit, quod Libertatem Imperatores firmasse, aut civitates esse liberas voluisse dicantur, eo nimirum intellectu quo teste eodem Sigonio Imperator Otho, primus ejus nominis, Libertatem Civitatum in eo fere posuit, ut leges, consuetudines, jurisdictionem, magistratus, vectigalia sui ferme juris atque arbitrii haberent, ita tamen ut sacramentum regibus dicerent. His superaddit, si absolute liberi erant Veneti, confirmatione opus haud fuisse; eandem Privilegio probare qui velit, perinde agere ac si legitimationis rescripto vitium natalium tegat, ac tandem eo statu res Venetas ait esse impræsentiarum, ut non modo non sint Privilegium aliquod sibi postulaturi, sed & oblatum repudia-

pudiaturi, adeoque etiamnum injuriæ deputaturi, si quispiam simile quid eis offerre præsumeret.

De veritate allegationum non est sollicite ut inquiramus, ea potissimum consideranda sunt quæ ex allegatis infert. Vidimus confirmationis proprium quidem esse ut declaret, roboret, ratificet, novi vero quippiam ut ipsa introducat fieri haud posse, vidimus similiter, eo acceptam significatu Libertatem, pro ut eam fundamenti loco monuimus accipiendam, Privilegio dari haud posse, cui consequens sit neque confirmari eam posse, idque propter, ea cuncta quæ de Libertatis confirmatione allegantur, non de ipsa Libertate, sed de Libertatis exercitio intelligi debere.

Ad hunc §. ingenue fateor, causam me non videre cur citra libertatis præjudicium is, qui in illius quasi possessione est (ut fuisse illis temporibus Venetos sat arguunt verba ista Sigonij *Vetera libertatis atque immunitatis beneficia*) cur inquam non possit liberum sibi libertatis exercitium ab alio deposcere. Illud in jure certum, quemlibet possessionem recte petere ut sua sibi tenuta (frequens apud DD. hujus verbi est usus) firmetur, DD. comm. ad *l.* 1. *Cod. de Carb. Edict.* quæ confirmationis à possidente facta postulatio, tantum abest ut habenda sit pro superflua, ut quinimo ex adverso DD. loco citato, utilissimam esse dicant. Hoc enim pacto pravas aliorum spes coerceri, machinationes sublestas præveniri, turbationes tolli, plenaque possidentem securitate donari; utpote cui sartum tectumque asservetur, manuque ut ajunt teneatur possidendi jus, uno omnes ore pronunciant. Nemo hic mihi ullam diversitatis rationem assignet. Dico porro manifeste errare adversarium qui probanda libertate confirmationis privilegijve allegationem legitimationum rescriptis æquat. Tollit quippe vitium natalium impetrata legitimatio: at vero nullæ ad tollendam aut constituendam liberta-

bertatem vires privilegijs insunt. Legitimationis rescriptum novum quid ponit, hominem nempe factum ex illegitimo legitimum. Confirmatio ex adverso, id duntaxat, quod jam per se subsistit, fortius reddit. Sine legitimatione sublatum esse haud queat ex natalibus vitium: Deficiente privilegio, ejusve confirmatione naturalis quæ velis faciendi facultas à suo subjecto haud divelletur. Plura etiamnum dissimilia sese offerant, verum in re clara prolixus haud ero, dicamque porro nullius esse valoris illationem adversarij, qua Venetos ait injuriæ potius quam beneficij loco habituros, si quis ipsis Privilegio ejusve confirmatione libertatem deferre præsumat; est enim illud omnino extrinsecum & ab accidenti proveniens. Sunt sua nascentibus imperijs incunabula, est in progressu adolescentiæ vigor, est exinde temporis decursu statum ac virile robur, nihil ubi cæpit consistit. Iniquus sit qui res hominum moribus actionibusque adtemperandas velit, ac non homines potius rebus temporibusque servire. Notum illud hæc ætas aliam vitam, alios mores requirit, nec non & alterum, pro ut res se dant magni atque humiles sumus. Sapientum est non uno semper ire gradu, via tamen una, quæ regia est virtutis, publicique boni.

Vt ergo & hæc missa faciamus, utpote quæ facti sunt (de facto autem respondere non est jurisconsulti) ac facti insuper conjecturalis, ejusque generis quod citra substantiæ aut veritatis immutationem, aliter quoque se habere possit; ajo, inique agere adversarium, qui Libertatem civitatis Venetæ ijsdem cancellis, authoritate textus illius quem è Sigonio citat, circumscribendam velit, quibus cæterarum Italiæ urbium fuerit inclusa. Certum est Italiam Occidentis Imperatori Carolo habitam pro ditione, quæ in proprio ipsius patrimonio foret, qui eam Barbaris Longobardisque ereptam sibi servaverit, utque talem, instituta regnorum suorum inter

filios suos divisione, testamenti tabulis ad unum ex iis devolvi, voluisse. Venetorum à cæteris Italiæ urbibus diversam hac in re fuisse conditionem ostendimus, utpote quæ nunquam armis in potestatem redacta, sui juris usquedum remanserit, ac sic quoque nulli filiorum in partem hæreditatis adsignari potuerit. Vnde etiam apparet non potuisse eam, simili cum cæteris modo à successoribus Caroli magni pro libera censeri, frustra si-quidem sit qui alicui redditum dicat, quod ademtum nunquam fuit, datumve quod jam ante habebat omni jure, quodque in dantis manu nec erat, nec esse poterat. Cæterum noster adversarius si ordine eodem cum cæteris Italiæ urbibus habendos statuit, probet velim datam Venetis eodem quo cæteris modo, jure, lege, conditione, Libertatem, ostendatque eccui unquam imperantum in subjectionis notam speciale sacramentum dixerint. Id si præstat, quidvis mihi præstitisse videbitur. Ac quidem cum de libertate, immunitate atque exemptione nonnullarum urbium dicendum sit nobis, earumque cum Veneta libertate comparationem instituere præsumat Anonimus, sciat candidus lector, primum omnium imperio diviso, Carolum magnum devictis à se provinciis, magistratus præposuisse Episcopos, ac Duceis, eisque adjunxisse comites, idque stipendiis adsignatis proventibusque, ad tempus tantum, & ad constituentis arbitrium. Mox à Francis ad Germanos Imperio quoque translato, eos qui Caroli Magni successores exceperint Imperatores, ac Othones comprimis, labascentibus paulatim Imperij rebus, & in senium devexis, regalia quædam ac jura quædam superioritatis, communicare cœpisse, unde factum ut qui antea auspicijs, ductu, ac nomine Imperatorijs jus dixerant, in locis regionibusve sibi demandatis, in ijsdem deinceps locis speciali Sacramento fideque vasallitica Imperatoribus devinciri cœperint:

rint: Hinc ergo illa libertas exemtioque, nec non & Principum quamplurimorum territoriale jus, ex temporali factum perpetuum; quemadmodum & quæ titulo administrationis habuerant, hæreditaria facta sunt. Hoc cur ita sibi faciendum putarint Imperatores, causæ fuerunt prægnantes: Nimirum præpotentis populi vires semet ipsas conficiunt, ægreque admodum continetur, quod capi non potest; Videbant itaque illi sese rectius facturos, si administratoribus suis (quorum potentia, turbatæ nonnunquam Imperii res, impunitatis spes præsentissimum ad delicta incentivum, Imperatoris absentia, occupationes, remissio, ac quævis denique occasio, fidem suspectam reddere poterant) certas darent assignarentve provincias, urbibus item nonullas prærogativas largirentur, atque hoc modo sibi devincirent, quam ut omnia retinendo semper de Imperii summa periclitarentur. Accedebat quod tam munificis concessionibus etiam devotiores sibi regni sui status Imperatores reddiderint, eo scilicet modo, quo Patavinus scriptor ait, quod fides habita ipsam obliget fidem. Fieri porro non poterat ut turbatis rebus, aut externis hostibus ingruentibus, majore cura fideque sua defensuri haud essent, quam aliena; Vnde, neque immerito prudentes rerum æstimatores, totum Imperii robur istis concessionibus specialique fidei Sacramento deferunt. Ac denique ut est Imperantium majestas, Imperii & salus, & tutela, ipsaque Majestas nihil aliud est, quam Venerabilis amplitudo admirationis prætexta velata, factum inde ut non mediocriter augeri cæperit Majestas imperatoria, tanto magis in excelso posita, quanto dignioribus inque eminentiori gradu constitutis ipsa præesset. Quæ aut singula ad Libertatem Venetam aut universa nemo applicaverit, neque enim aut urbs ipsa quo cæteræ liberæ Imperij civitates Libertatis exercitio fruitur. Ipsa Libertas ab Imperatorio bene-

neficio non habet exordium, ut nec ducum authoritas, qui nec Sacramenti fideive vinculo innexi fuere, nunquam ad tempus aut arbitrium imperantis constituti, nunquam postea hæreditariam transmisere ac nec hodieque transmittunt dignitatem suam. Sunt ergo illationes adversarij ut videmus petitæ à rebus longe separatissimis, unde cum solidi nihil deduci queat, causa non est cur nobis ea longiore confutatione digna videri debeat.

---

§ 52.

Male Anonymus sæcularia Ecclesiasticis confundit. Locus Sigonij de Gradensi Ecclesia excussus.

ALiquid in speciem pro Imperij jure, quod in Venetos Imperatoribus competere poterat, hic habere sibi videri posset, si quem citat locum, ingenua fide eum ac non mutilum potius allegaret Anonymus, ait ille ex Sigonio Venetorum Legatis ita postulantibus nonnulla, quę Gradensem Ecclesiam concernerent fuisse sancita, *Otho vero* (verba sunt Sigonii) *potestatem exercendi juris quod Romana haberet Ecclesia dedit, id est ut omnes servos, colonos, advenas cæterosque qui in agris suis versarentur coercere atque judicare possent, multasque ipsis Venetiæ Ecclesiis immunitates dedit.*

Non geminabo hic quæ de Immunitatum concessione, ejusque effectu à me sunt dicta, nec iis aliquid adjungam, satis ni fallor superque demonstratum, istiusmodi immunitatibus largiendis, neque meliorem suam conditionem facere eum, qui illas largiatur, neque deteriorem recipientium fieri. Cæterum perverse Anonymus agit, qui sæcularia Ecclesiasticis confundat, quique ea, quę totum Venetę regionis tractum

tractum tangunt, perinde haberi cupit, ac si Venetorum urbem duntaxat concernerent. Quid actum sancitumque sit attendere si lubet Sigonium audiamus. *Aderant Joannes Contarenus & Ioannes Deneus Venetorum Legati, eis petentibus decrevit Conventus Gradensem Ecclesiam totius Venetiæ Metropolin esse, Otho vero, &c.* Videt Lector, verba illa totius Venetiæ ad unam Venetorum urbem restringi non posse, videt in illo Episcoporum Principumque conventu, nihil à legatis actum, quod ad Imperii aut Libertatis jura ullatenus attineret, verum ut Ecclesiis tractus Veneti, aliisque vicinis, inter se diffidentibus, minusque convenientibus ecquænam Metropolitana dicenda esset, totius conventus decreto jus Gradensis Ecclesiæ, utpote quæ Patriarcharum sedes continuo fuerat, confirmaretur; quod & factum, decretumque eam esse totius Venetiæ Metropolin. Hoc ipsum porro decretum cum totum occupetur in ordinatione jurisdictionis circa spiritualia, nemo non videt, à disquisitione nostra alienum prorsus esse. De facto Othonis jam non dicam, quæcumque enim ille concessit beneficio deputanda sunt, nullumque superioritatis argumentum in se complectuntur. Voluit ille honori Metropolitanæ Ecclesiæ id delatum, ut pari cum Romana gauderet jure, in servos, colonos, advenas, cæterosque, qui in finibus suis versarentur.

Consulto prætermitto, quod ait ille, olim in Repub. Ecclesiam fuisse, neque enim nobis de hujus aut illius jure quæstio est, sufficit quæcumque ab Imperatore donata fuerunt, atque concessa, quatenus ea beneficij limites transcendunt, potestatemve conferunt, ulterius cum parendi necessitate nullum obligationis vinculum inducere, quam eorum respectu, quorum ipse Imperator pleno imperandi jure rector erat aut dominus.

§. 35.

§. 53. 54. 55.

Male Anonymus ex eo, quod Veneti ob Vitalem Candiani Ducis filium interfectum, apud Imperatorem rei fuerint, Iurisdictionem Imperatoris in eos adstruere conatur. Fœderati Imperatoris Veneti. Fœdus quid sit. Fœderum diversitas. Fœderis causa uniuscujusque utilitas. Fœdera aut inter pares, aut inter impares intercedunt. Non se Veneti Imperatori dedidere. Fœdus eorum cum Imperatore non est subjectionis argumentum.

NIhil hisce §§, præter seriem annorum de suo Adversarius adducit, expressoque duntaxat, quotus ejus nominis Imperator fuerit, sub cujus imperio quæ recenset obtigerint, nuda Sigonij verba profert: sunt autem hæc.

Anno 976. Vitalis Patriarcha ad Othonem (secundum denotat) *profectus Venetos de cade patris sui perpetrata accusavit, & Valdrada ipsius Ducis uxor, quæ Sigeberti Marchionis filia erat, eadem ad Adeleidem Augustam Placentiam progressa expostulavit. Dux nuntio Placentiam misso, mulierem placavit.*

Anno 978. Vitalis Patriarcha qui Veronæ exul agebat, domum repetijt, ac jussu ducis in Germaniam profectus, Othonem Venetis propter necem patris offensum reconciliavit.

Anno 980. Otho Imperator cum fœdus Venetum rescindere vellet, tamen à Legatis Ducis rogatus, abstinuit.

E quibus Sigonij locis argumentum quidem nullum format, est tamen illius in aperto mens, intentioque minime obscura, nimirum cum ex illis appareat reos apud Imperatorem Venetos, à Vitale Candiani Ducis filio, quem conjura-

juratione facta interfecerant, fuisse peractos, pro more suo Iurisdictionem Imperatoris imperiumque in illos adstruere nititur. Sed male, quandomet ipse ex allegato Sigonij textu fateri compellitur, fœdere Imperatori junctos fuisse. Respondet enim pro Venetis ipsum fœderis nomen, quod à fide derivari nemo ambigat, fides vero in fœderibus ut in omni vita, si Ciceronem audimus, dictorum factorumque constantia est, & veritas, cui sane fidei, constantiæ, veritatique quid cum subjectione commune sit, quidve subjectioni magis quam libertati conveniens, non video. Quin imo, si verum amamus, ipsamque fœderis intuemur naturam, non potest ei quippiam esse commune cum subjectione. Passim notavimus, nihil esse quod summo imperio par reperiatur, nedum prius: Ipsum autem fœdus, Grotio definiente, multorum summo imperio utentium pactio est, aut ut latius I C^tus. Vestfalus, Pactum est publicum inter Reges, Principes aut civitates libeas de mutuis auxilijs, aut alia quapiam re sibi præstanda, solemniter conventum. Publica vero scimus, alia haud dici in hac materia, quam quæ supremi Magistratus jure fiunt. Secundum eundem proprie dictum fœdus est, quo diversi Principes sese mutuo solemniter obligant, ad amicitiam colendam, fidem præstandam, auxilia mutua habenda, & hostes communes habendos. Non diffiteor aliam atque aliam pro rerum occasionumque diversitate fœdera ineundi rationem observari solere, ipsamque etiam déditionem nonnunquam ad fœderis naturam apud Romanos spectasse. Non me fugiunt quæ de fœderum inęqualitate subinde apud authores occurrunt, sed & hoc certum, atque inconcussum est, æqualitatem esse à natura, ac non probata inæqualitate sententiam ferre nos debere, pro eo quod est æquale. Hic nobis facti quæstio si sit, si prætermissis omnibus in una Venetorum Republica

ejusque libertate pedem defigimus, libere dico, à nemine mortalium probatum iri, si quæ cum Imperatoribus sanxit fœdera, eo inæqualitatis illa gradu fuisse, ut ex illis ullam omnino libertatis, id est summi in se suosque imperij, imminutionem colligere detur aut inferre. Imo, si facti quod est, juri lubet conjungere, ac quatenus ex facto jus oritur, quaque tenus quæ moribus utentium recepta, peræque observantur, non postremas juris parteis sibi vindicant, materiam fœderum penitius introspicere fert animus, pari qua semper fiducia dicam, non alia occasione quædam miserabilia atque inæqualia fœdera dici cœpisse, quam, quod ex æquo, primis mortalium, sese illorum cum necessitate commendarit utilitas. Allatæ modo definitioni inhæreamus, nemo cui læva mens non est, auxilia petat sibi nocitura, nemo in hostem moveat si non & suatim interesse putaverit, tutius ei sociatis occurri viribus, quam à solo timeri semper, exspectarique; ut nihil dicam de contrahenda conservandaque amicitia, quam non ij modo quibus anima pro sale data est, verum & maximi quique, utilitate metiuntur. Fœderum vero, pactionum, sponsionum conventionumque quarumlibet si naturam attendimus, non aliud potentius ad ea ineunda contrahendaque est incentivum, quam sua cuique utilitas. Ipsa vero utilitas hic (ne quis ulterius proroget velim) *justi prope mater & æqui*. Ast vero quid utilitati cum summo imperio? Vtrumque in se si spectamus? quidve causæ subsit, cur non aliam sanciendi fœderis causam imaginari nobis velimus, quam quæ Libertati sit damnosa atque exitialis? Quæcumque unquam firmata fuere fœdera aut inter pareis aut inter impares firmata sunt.

Pares habentur dictante Curtio qui non fecerunt inter se periculum virium, quive facto virium periculo, pacis interesse sapienter existimant fœlicem statum non concutere,

terè, ac proinde tuta malunt ac præsentia quam vetera & periculosa. Dispares, qui sive bello victi, sive pro temporum conditione fracti viribus, inferioresque, facta in perpetuam deditione, victori cedunt, aut quam in præsens tueri Libertatem haud potuere, conditionibus etiamnum iniquissimis in futurum sibi asserunt. Prioris generis sint rebus integris Schytæ, quorum hæc apud Alexandrum vox. *Firma est inter pares amicitia & videntur pares qui non fecerunt inter se periculum virium.* Item *Utique tuo Imperio finitimos hostes an amicos velis esse considera.* Exules item Trojani de quibus Poëta,

Non mihi jam Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto, paribus modo legibus ambas
Invictas genteis æterna in fœdera mittam.

Nempe quadret in illos Plinianum illud. *Inducias quidem nisi æquis conditionibus non inibant, legesque ut acciperent dabant.* Rebus nutantibus dubiisque istiusmodi nobis Syllam Paterculus describens, dicit *tentavisse eum justis legibus ac æquis conditionibus pacem componere, sed iis quibus & pessima & immodica cupiditas erat, pacem placere haud potuisse.* Rebus etiam propalam adversis æquat se Alexandro Darius, magno jam tum victus prælio, de quo sic Curtius: *Postulabat autem magis quam petebat ut accepta pecunia quantamcumque Macedonia caperet matrem sibi ac conjugem liberosque restitueret. De regno æquo si vellet Marte contenderet, si saniora consilia tandem pati posset, contentus patrio, excederet alieni Imperii finibus, socius amicusque esset, in ea fidem & dare paratum & accipere.* Talem similiter apud Plutarchum sese fert Eumenes, apud Lucanum Pompejus, ac cuncti passim anguium in morem, capite obtrito, cauda ad extremum minitabundi. Alterius classis sint illi mitius sicubi agitur, qui honoris dignitatisque

prærogativam superiori non modo concedunt, quod est majestatem alterius comiter habentium; salvaque libertate fieri posse notavimus; verum quoque omnem de bello ac pace cognitionem, ut de Latinis Romanorum socijs memoriæ proditum, omnemque victoriarum fructum, victori relinquunt: Item qui durius atque inclementius habentur, aut agri parte mulctantur, aut obsides dare, naves reddere, murorum partem deruere aut similia quæ sunt præstare jubentur. Ea enim ut ut ad tempus dura sint, & affinia servituti, illud tamen haud effecerint ut ne istiusmodi Legibus adstricti liberi sint ac legibus suis, juribus, judicijs, vectigalibusque consuetis, utantur fruantur. Ubi vero ad extrema devenitur, nec ullus æqualitati locus relinquitur, non alia rerum facies est, quam apud Appianum in Alexandrina deditione. *Omnis multitudo Oppidanorum armis projectis, munitionibusque suis relictis, veste ea sumpta, qua supplices dominantes deprecari consueverant, sacrisque omnibus prolatis, quorum Religione placuit offensos iratosque Regum animos erant soliti, advenienti Cæsari occurrerunt, seque ei dediderunt.* In hac tanta fœderum fœderatorumque disparitate, ad libertatem, quatenus fœdere dari, conservari, adimive potest, ut revertar, quantum reor nemo tam abjectus est, expersque cordati spiritus, ut quotiescumque revolvit horrendum deditionis carmen, *Deditisne vos populumque, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina, humanaque omnia, in meam populique Rom. ditionem,* ut est apud Livium. non & ipse totus exhorreat. Hanc tamen ipsam conditionem utilitas, sive vera sive præsumta (omnes enim cum Philosopho bonum appetimus) subinde expetendam fecit subeundamque: ast quibus? illisne vero quibus hoc menti staret immotum,

Posse mori sors prima viris, sors ultima cogi!

Minime vero. Nempe Campani fuere, quos cum multotiens à Sa-

à Samnitibus Romanorum socijs essent victi, auxiliaque Romanorum incassum implorassent multotiens, in hæc verba tandem erupisse idem testatur author. *Quandoquidem nostra tueri adversus vim atque injuriam non vultis, vestra certe defendetis, itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra, Deum, divina humanaque omnia in vestram Patres conscripti Populique Romani deditionem dedimus, quidquid deinde passuri dedititij vestri passuri.* Absit, absit, ut in indomitam masculamque Venetorum virtutem unquam descendere potuisse credamus, ut libertatem suam captiosis fœderum legibus, aliquali utilitatis umbra se offerente, substratam voluerint. Ac de Venetis ut taceam, hoc rerum humanarum fluxu refluxuque, cum quod apud Poëtam est

——sua cuique Deus sit dira libido,

cumque & quod de prælijs usurpatum, de fœderibus dicere liceat

— Quemque suæ rapiant in fœdera causæ,

non alia de causa factum reor, cur tam curate Scriptores inter ipsa fœdera, æqualia nempe & inæqualia distinxerint. Illud certum quotiescumque fœderis alicubi mentionem injici contingit nec ullum discrimen adjicitur, de æquo fœdere intelligi. Quod ipsum ut insigni exemplo fiat manifestius, non uno apud Polybium loco videre est, pro solemni formula in æquali fœdere hæc fuisse posita verba φιλίαν εἶναι, cum tamen in inæquali, aliud Populo Romano receptum foret. Livio si credimus mos Romanis vetustus fuit, ut cum quo nec fœdere, nec æquis legibus jungerentur, amicitia non prius in eum, tanquam pacatum Imperio uterentur, quam omnia divina humanaque dedidissent, obsides

accepti, arma adempta, præsidia urbibus imposita forent. Atque ut aliquando tandem è diverticulo in viam revertar, firmiter statuo, cum non appareat unquam ab Imperatoribus bello petitos Venetos, nedum superatos, cumque appareat ex adverso eos nullo impellente, suaque sponte, multis officijs Imperatoreis juvasse, ac tandem quoque Imperatoribus fuisse fœderatos, citra injuriam fieri non posse, ut quis istiusmodi Venetorum cum Imperatoribus fœdus in subjectionis argumentum distorqueat, præsertim cum docere nequeat, actum id disertim fœdus ineuntibus, ut summi imperij jus uni ademptum, conferretur in alterum. Non est ut fœdus per se Iurisdictionem tribuat. Quumque fœdus quædam sit pactio, qui suam ex tali pacto juris dicundi facultatem deducit, næ & ille fateatur necesse est, illam sibi ante ea tempora jure suo neutiquam competiisse. Estque ex jam dictis ni fallor parata responsio ad ea, quæ Anonymus allegatis à se locis probari posse existimat, utpote quæ talia sunt, quæ sublato jurisdictionis fundamento, per se corruant. Neque enim id Venetorum libertatem convellit, quod apud Imperatorem reos illos peregisse dicatur Vitalis antistes, eundemque exinde ad ducale fastigium subvectus quod idem placaverit Vitalis, quæque plura de Valdradæ, quæ Ducis uxor fuisse perhibetur, apud Augustam expostulatione mihi narrantur. Exilio nimirum id temporis patriam ipse mutaverat, extorris dum agit, dum læsum dolet, (neque enim suæ cuiquam injuriæ parvæ videntur) novum haud fuit, siquidem apud extraneos præsidium quærendum putaverit cum sibi domi sciret nihil superesse. Illud vero inauditum foret, eos qui liberi sint, qui αὐτόνομοι qui αὐτόδικοι qui αὐτοτελεῖς sola exulis querelâ, delatâ ad eum, qui in illos nullum imperandi jus habebat, ejus conditionis factos, quem vel in belluis, vel in inanimatis rebus naturæ

primæva

primæva abhorreat intentio. Dicat fortasse quispiam si Veneti ad Imperium haud attinebant, Imperatori si subditi non erant, cur tam sollicite placandum illum curant? Dicam, fœderati erant, ac sic amici, sciebant ignem gladio fodiendum haud esse, neque cum prono eos affectu prosequeretur, cur minus æquum sibi vellent, alienumve à sua Repub. Imperatoris animum, causa suberat. Præclare Crispus, *non exercitus neque thesauri præsidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas, officio & fide parantur.* Vt ut est, inde si qua subjectionis oboriri suspicio queat, eadem ratione suspicari liceat fœminæ Venetorum ducem fuisse obnoxium: ut enim habet citatus ab Anonymo textus, Dux nuntio Placentiam misso mulierem placavit, id vero tam ridiculum fuerit ut vel ipsi Crasso, qui ἀγέλαστος suis dictus fuit cachinnum extorqueat.

---

§. 56.

Fragmentum diplomatis ab Imperatore Othone Venetis indulti. Quousque verba ejus extendi debeant. Nihil demit Venetæ Libertati. Pontificem Veneti in temporalibus Dominum non agnoscunt. Fodrum quid sit.

Recenset hoc § author Scrutinii fragmentum ex diplomate quodam Othonis, qui ejus nominis tertius fuit, aitque concessum ab Imperatore inter cætera, quæ Venetos tangant, Gradensi Ecclesiæ fuisse, ut nullus Princeps aliquem Venetorum coercere aut fodrum exigere, aut banno mulctare posset, Lauretum, quousque salsa pertineret, in eorum potestate maneret.

Non repetam, quæ superioribus pertexui de Privilegio-

rum

rum concessionibus, neque enim reor inventum iri quempiam, si modo illa legere dignatus sit, qui credat omnino aliquod quo quidem subjectionem probari contingat argumentum, inde recte desumi, nedum valide, aut necessario. Supervacuâ jam ante dictorum commemoratione frustra Lectorem morer, eadem ipsa pro repetitis habere contentus, paucis ad allatum è præfato diplomate textum, illud dicam, perperam ab adversario truncatum mutilumque locum obtrudi. Ita Sigonius. *Legitur diploma Adeleidæ Augustæ aviæ rogatu concessum* XIV *kal. Augusti indictione* V. *anno* DCCCCXCII *Othonis regnantis anno datum, Ne in riparum legibus & transitibus aliquid novi statueretur: ut servi capti redderentur, ut bona Ecclesiæ Gradensis atque aliarum itemque monasteriorum posita in regno atque illis in urbibus, castris, montibus, campis, nemoribus, aquis, aquarum ductibus, molendinis, piscationibus, & Venationibus à Venetis ante triginta annos possessa quiete tenerent, & amissa recuperarent, ut nullus Princeps aliquem Venetorum coercere, aut fodrum exigere, aut banno mulctare posset, Lauretum quousque salsa permaneret in eorum potestate esset.* Hactenus ille hist. de regno Ital. lib. 7. statim à principio. Quis vero non videt, sive Imperatoris ista sanctio fuerit, sive dispositio, sive privilegium, aut quidvis denique, ultra regni fineis, ea quæ inibi recensentur sese haud exporrigere, quin potius iis attineri circumscripta? Verba ista diplomatis *posita in regno* quæ dicimus ita firmant, ut nec dubitationi aut ulli in contrarium argumento aut locus supersit, aut occasio. Totum ergo illud cum intra limitantium verborum coerceatur effectum, causa non est cur longius extendi oportere quispiam putet; Atque hinc dubium haud esse potest, quin ea, quæ adversarius adfert, nempe interdictam Principibus Venetorum coërtionem, exactionem fodri, mulctationemque banni, ejus sint effectus, ut negativis actibus accenseri debeant, quatenus nimirum potestatem istam prin-

principibus Imperator demit, Venetorum intuitu, qui ante concessum ab Imperatore diploma, pro delictis extra ditionem suam, ac sic in regno commissis perpetratisque, idque vi illius Iurisdictionis, quæ Principibus competeret, sorti subjici poterant; quatenus & posset ab ipsis pro re natâ fodrum exigi, aut forte quoque consueverat. Clarius etiam fit ex jam dictis, nihil in Venetos extra regni terminos conferri, ita ut eo nomine, quod proprie Libertatem Venetorum concernat, nihil adduci queat; Potuit sibi leges Imperator dicere, potuit principibus ejus imperio subditis, potuit etiam istiusmodi legum ea vis fuisse, ut liberum ei haud esset ab illis, ex quo quæsitum jus earum beneficio Venetis fuit, in præjudicium Venetorum recedere, eam vero quam nulli, nisi jam Deo debent, aut dare, aut adimere Libertatem minime potuit. Equidem si è negativis istiusmodi actibus subjectio infertur, largiar Anonymo, non Imperatori modo sed & Pontifici (de temporalibus loquor) subditos fuisse Venetos. Si quid enim Sabellico credimus Clemens V. qui Venetos ob occupatam Ferrariam anathemate percusserat, reconciliatus ijsdem opera Francisci Danduli Legati, interdicto sublato mandasse etiam dicitur, ne hoc aliove nomine, Veneti postea à Romanis Pontificibus tam lethifero spiculo peterentur, & id quoque scripto constare voluit. Sabel. l. 1. Decad. 2.

Ast vero, novit mecum totus terrarum orbis, testanturque imo & clamant, innumera scriptorum monumenta, quam non agnoverit unquam in temporalibus ac nec etiamnum agnoscat ullum supra sese Pontificis Imperium Venetorum Respub. Verbo dicam, actus istiusmodi si deficiantur Iuris dicundi potestate, evanidi sunt ac nulli; sin ea muniti sint auctores suos tenent. Coerceri bannove mulctari possunt subditi, sed non soli. id ipsum quam in fœderatos

cadat non uno loco ostensum est authoritate ICᵗⁱ. Proculi. Fodri exactio, utique coerctione ac banno minor, neque enim aliud fodrum quam equestre pabulum (nobis *voeder*) Apud Ligurnium commentatorem,

Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,

videas accipi, pro rebus ad victum Imperatorii exercitus necessariis. Non negabo, iis qui ad C.1. *quæ sint regalia* commentati sunt & inter cæteros Hotomanno, Carondæ, Cujacioque pro extraordinaria ad expeditionem Imperatoris collatione fodrum capi, verum siquidem ipsius verbi naturam atque energeian attendimus minus recte.

§. 57.

Nihil adversus Venetos agit Anonymus, dum eos portus, mercatusque Privilegium Imperatori acceptum ferre tradit. Venetis, ob præclara eorum merita, concessum, ut in omnibus Hierosolymitani regni, Antiochenique Principatus urbibus privum forum, aliaque eo spectantia haberent. Privilegii Othonani mens non alia, quam ut in terris Imperii commercia sua libere quaquaversum exerceant.

POrtus ait mercatique privilegium, Sabellico qui id ipsum vel geminato repetit authore, Enn. 9. l. 1. decad. 1. Lib. 4. Venetos eidem Imperatori (Othoni nimirum III.) acceptum ferre.

Idem, ut videmus, quod præcedenti §, agit adversarius, nec aliud ex eo cujus hic meminit, exemplo inferri potest, quam

quam quod ex altero illo probare tentatum est ipsi. Ego similiter nihil regeram nisi, respondisse me jam ante ad illius formæ allegata, & demonstrasse nihil ea concludere, atque exemplis insuper rationes quas suo loco adduxi firmasse. Quam mox absurdi notam frivolis adversarij illationibus imposui, allato ad id exemplo Clementis quinti, eandem nunc quoque quandoquidem ipse exemplum & cum exemplo argumentum geminat iterare lubet. Non dissimile est quod apud eundem Sabellicum Blondumque, quem prius nominasse oportuerat, non modo ut scriptorem tempore priorem, sed & ut oculatum testem eorum, quæ adducam, ac Æmylium, reperitur nempe cum Veneti Hierosolymitana expeditione præclaram Reipub. Christianæ operam navassent, & jam Tyrus obsidenda esset, quamvis Balduino Hierosolymorum rege à Turcis capto, sub primam obsidionem in has à Warmmundo Hierosolymitano antistite cum Venetis conditiones fuisse ventum, ut quæcumque à Balduino rege in Syria fuerant Venetis priore bello concessa, eis rata manerent. Pacta hic quispiam mihi nominat aut conventa? Blondus *privilegium* vocat, aitque vidisse se in privilegij formula notatum fuisse, ut in omnibus Hierosolymitani regni Antiochenique Principatus urbibus, privam aream, privum vicum, privumque forum Veneti haberent, neque quidem ea tantum, sed & alia quædam non pauca ad usum vitæ necessaria: negotia adhæc, quæ Veneti in Africa facerent, ab omnibus essent vectigalibus immunia. Si quis Venetus naufragium fecisset, aut intestatus diem in iis locis obiisset, illius bona Veneti magistratus erant, cui quotannis regius quæstor ex Hierosolymitano nummos aureos trecentos numeraret; subjungit Balduinum postliminio reversum rata omnino esse voluisse; additque Æmyl. lib. 5. additum his in tertia parte Tyri & Ascalonis ubi primum eo-

tum ope recepta esset potirentur eo jure, quo qui optimo. Nulli dubium est, nunquam (unam belli societatem & ex ea exsurgentem authoritatem demo) Balduinum Venetos sibi haud habuisse subditos: Dominum utique non magis, quam nullus ambigit eundem Balduinum, qui armis suum fecerat Hyerosolomitanum regnum æque bono, si non potiore jure, Privilegia largiri potuisse, quam ea in Imperii terris Imperator concedat. Atqui tamen ampla, magnifica, augusta ab eo Privilegia ut retulerint videmus. Ineptus vero sit insulsusque, non alia de causa Venetos Libertate sua privatos qui velit, eique cui modo in bellica societate partes obvenerant primæ, nec præter illud eminentis in ipsos Dominii jus aliquod habebat, obnoxios. Privilegia vero si quis fuisse neget, velim probet ille mihi eosdem authores, quos pro se Anonymus adfert, alio sensu usos Privilegii verbo. Fœderi porro quæ recensuimus Privilegia non deberi, si quis urgeat, equidem cum ex proxime præcedentibus fœderatos inter se Imperatorem Venetosque videamus; hic si negare ei lubet, idem nobis debere credi in casu non dissimili, privilegiaque non aliunde quam à pleno, atque Imperij jure arcessenda statuat, non jam præsumtione modo contra se, sed & insuper onere probandi gravabitur. Quæ ex Æmylio adducuntur, privilegiis nemo quidem accenseat, utpote quæ revera haberi debeant pro lege, quæ societati dicta sit. Verum quoque, ruentibus Imperii rebus tantisque Barbarorum illuvionibus obnoxia Italia, non omnino dissimilem fuisse Venetorum eorumque belli ducum, quos adversum Barbaros Impp. ablegabant inter se conditionem, ab illa, quæ tum temporis inter Balduinum ac Venetos extitisse potuit, ex iis quæ ad priores hujus capitis Paragraphos à me adducta sunt, desumi potest. Procopius saltim, quotiescumque eorum, quæ inter Narsetem, Ioannem, Belisarium,

rium, ab una, Venetosque ab altera parte pacta fuere recordatur fœderum, non alio quam συμμαχίας utitur vocabulo: sed non est opus collatione scrupulosa, longe ve petita lectorem moremur, in re clara ac satis superque ut arbitror à nobis suo loco discussa. Unum duntaxat omittendum non est, ad hoc ipsum quod adversarius pro se adducit Othonis Privilegium; non aliter illud accipi intelligive posse, rei veritate inspecta, quam ut effectum sortiatur, non quidem in urbe ipsa Veneta (neque enim inter eam mercandi jus Imperatorio beneficio ut impetrarent opus omnino, ut nec licentia indigebant ut in portus sese suos ac sic in domos suas stationesque reciperent) sed extra eam, nimirum in terris Imperii, ac sic quidem ut Imperator ipsis indulserit Venetis, portus suæ ditionis subire libere, absque onere aut impedimento, atque similiter commercia sua quaquaversum exercere, tali mercati (ita Sabellicus vocat) aut mercandi jure, quod cæteroquin forensi citra specialis indulti beneficium minime competere poterat. Ergo ut quod res est proferam, quoad illa beneficia subditis suis, Venetos, quoties aut portus subire, aut Urbeis Imperij mercandi gratia frequentare volebant, æquavit Imperator, si non prætulit, novi vero juris nihil adjecit.

---

§ 58. 59.

Male Anonymus, ex eo quod Veneti Othonis Privilegio ab onere Pallij Aurei quotannis Imperatori offerendi liberati sunt, eorum Libertatem infringere conatus est. Pallium hoc in obsequij testimonium oblatum nemo tradit. Origo ejus rei in dubium vocatur. Muni-

ficentiæ Venetorum, non subjectionis argumentum. Munera aliquando aliis offeri solent ne injuria aliqua aut vis inferatur. Ex fœdere oblatum Imperatori à Venetis Pallium. Conventio longe distat à jurisdictione. Doglio ab Anonymi calumnia defenditur.

VEnetos ait insigni ab Othone donatos immunitate; quippe qui illos aureum quotannis pallium Imperatori dependere solitos, eo liberarit onere. Fateri id ipsum Sabellicum, cujus hæc verba: *Aureum pannum, qui ex publico fœdere Cæsaribus annuis debebatur, in perpetuum Veneto nomini remisit.* Aitque Marescotto suspectam hic esse fidem Sabellici, eique vero videri similius, Venetos occasione senescentis Imperij paulatimque fatiscentis captata, cum viderent, quam impune per Italiam Imperatorum contemneretur majestas, ab annua istiusmodi præstatione cessasse: sed tamen noster ubi nullo commentario suffultus, suum nobis obtrusit commentum, nimirum credere sese ejus præstationis originem ad Carolina tempora referri debere, Doglionem ridet, cujus hæc sit opinio, gestamen togæ aureæ solis in venerationis insigne Cæsaribus usitatum fuisse, illud ipsum postmodum à Cæsare Venetorum Duci fuisse communicatum, ac per consequens imperatorio beneficio concessum, simili sese vestimento ut induere liceret.

Vis argumenti in eo sita est, quod cum privatio habitum præsupponat, negari nequeat, quin immunitate atque exemptione ab onere præstandi posità, ipsum quoque onus præstandi positum sit, sunt enim relata inter se dominus & subditus, unoque relatorum posito, ponitur & alterum juxta vulgatum logicorum axioma. Cum vero subditorum sit istiusmodi præstare ac dependere in argumentum conditionis

tionis suæ, neque aliunde liberari possint, quam ab eo, penes quem eximendi jus est, eum scilicet, qui summo imperandi jure præditus est, aperte confiteri, Dominum Venetorum Cæsarem fuisse, qui eos liberaverit; subditos Cæsaris ex adverso fuisse Venetos, qui illius beneficio immunitatem (quam per legitimos tramites aliàs habere non poterant) sint consequuti.

Mihi hoc loco de rei gestæ veritate multis inquirere propositum non est, neque id ulli bono foret, cum jam nunc haud dubie moti authoritate Sabellici qui eum secuti sunt Scriptores, id ipsum pro vero memoriæ mandarint, quamquam neque ego quoque velim quispiam existimet, perinde ac si à rationibus destitutus essem, in negativa me acquiescere velle. Illud in antecessum dixisse fraudi nè sit, tanta in scribentium turba, neminem repertum qui pallium illud aureum depensum fuisse commemoret in observantiæ alicujus, venerationis, obsequijque, (horret enim ad servitij vel solum nomen calamus) argumentum. Plane si quis id scripsisset, non fugisset utique oculos adversarij, quos ubi in Venetos quid dici potest adserrivè, ipsum superare Lynceum, ac nisi ad unum veritatis lumen cæcutire videas. Et quandoquidem ipse ad Carolina tempora referendam putat originem annuæ illius, de qua nunc sermo nobis est, præstationis, mirabitur mecum benignus Lector, præteriri hæc premique ab ijs, qui res à Carolo gestas scripsere, scripsere autem ut scimus, & ex superioribus vidimus non pauci, ipsi Carolo coætanei, domestici etiam illius, ministrique, imo & affines ut in Eginarto, cui filiam suam Carolus in matrimonio collocarat, notatum nobis. Quis hic non dicat quod non narratur cum maxime narrari attineat, id nec factum esse censeri debere? Verum ut dixi non committam ut argumento ab auctoritate inniti credar, nedum ut illius

illius præsidio facti negativam coner adstruere. Ab hac parte quemadmodum rem ita sese habere dari queat, sic ab altera quoque Scriptores illam silentio citra præjudicium veri potuere transmittere. Quamquam credo haud facile repertum iri quempiam (ut ut ego hic quam minimum mihi licere aut largiri velim) cui tam altum tamque constans omnium omnino silentium verosimile fiat. Aut enim rem ipsam procul omni affectu recte quo ponderemus, quotannis tale pallium dependere qui debuerint soli fuere Veneti, aut una cum Venetis eodem nexu tota Italia attinebatur impetrita: ut solos dicamus nulla ratio est, neque enim causa assignari queat, quæ eos ut tale quid, præcipue in ullam subjectionis, quod adversarius velit, notam, factum vellent impelleret. Nimirum jam nunc fœdere inter utrumque Augustum libertati Venetæ abunde prospectum erat. Vt cum cæteris Italiæ populis ac sic junctim præstitisse dicamus, minus etiamnum causæ subsit, neque enim eadem Venetorum id temporis erat ratio, quæ cæterorum, ac neque eadem, quæ reliquis conditio aut par necessitas. Suum sibi Patrimonium Cæsar totam fecerit Italiam, belli jure an deditione quærere non attinet, dum non & Venetos, quos liberos esse nos tuemur. Dicam cum Philosopho maximam hanc esse inæqualitatem, æqualia si quis inæqualibus velit attributa. Coactione, ac sic quoque parendi necessitate remota, ipsa nos æquitas ac naturæ ratio ad æqualitatem manu ducit. Atque ut revera subditi qui sunt, ijs quæ ut subditi dependunt dominis suis munerum nomen perperam accommodent (hoc enim est, quod Salvianus Massiliensium Episcopus ait lib. 6. *Insuper etiam*, inquit, *ridiculos facimus, qui aurum quod pendimus munera vocamus, dicimus donum esse, quod pretium est, & quidem conditionis durissimæ ac miserrimæ*) ita & iniquus sit, qui liberi populi munificentiam, non secus ac si servitij tessera foret exagitan-

exagitandam sumat, ac debiti nomen traducat. Æqualitatem hic si respicimus, nihil adeo frequens inter amicos Reges, resque pub. liberas, quam ut muneribus datis mutuæ testentur amicitiæ fidem.

Ac non inter amicos modo, sed & qui amici fieri desiderant, aditum muneribus sibi parant, quive inimicitiam deprecantur, fitque id omne citra Libertatis dispendium. Exemplo sint ea, quæ apud Virgilium Ilioneus Didoni offert, Diomedi Venulus, ac omnium appositissimè missi ab Ænea Oratores ad Latinum regem inter quos etsi jam nunc utrimque esset antestatum nihil aliud agi, quam gentes utræque in æterna fœdera, paribus legibus ut coalescerent, suum tamen muneribus locum Poëta facit, dum sic loquentes introducit,

Dat tamen interea fortunæ parva prioris
Munera, relliquias Troja exardente receptas;

ac respondentem Latinum,

Munera nec sperno, non vobis rege Latino
Divitis uber agri Trojæve opulentia deerit.

Quæque sequuntur. Hic vero si Anonymus insurgat, dicatque quæ de annua præstatione dicuntur muneribus applicari non posse, etsi in se id verum non sit, Libertate quam vindicamus positâ, atque æqualitate assertâ, quo tamen & in annuæ præstationis terminis discursus nostri figamus tenorem, fatebor ultro, eos qui potentiores sunt, ab inferioribus sui venerationem muneribus multotiens experiri solitos, atque agnoscere, sæpeque adeo obvenire, ut talia, tanquam sibi si debeantur exigant, atque esse ea Principatus insignia & obsequii argumenta, utpote quæ etsi palam mittantur, tacite

tamen imperantur ac tributa verius indigetari possunt quam munera. Veruntamen istis non obstantibus & hoc dicendum ex allegato Sabellici loco nihil inferri posse, quod istiusmodi præceptum sapiat, aut obsequium. Vt ut enim ex illo colligere velimus præstationem fuisse atque annuam quidem, utut quotannis debitam dicamus, non tamen ideo dici statim potest haud alio nomine quotannis depensam, quam ut esset insigne Principatus, aut argumentum obsequii, ac ut ut neque diffiteri velim, gravi suspicione laborare quæcumque Imperii jure magis, quam familiaris amicitiæ intuitu præstantur, ac pro talibus apud non infimi nominis I. C^{tos} haberi, ut ex iis servitutis quasi possessio probari posse dicatur, non est tamen ut hic ductis à præsumptione rationibus in re tam ardua locum velimus. Est & hoc non minus apud omnes receptum, quotiens diverso respectu liberum quid esse, aut haberi pro obnoxio potest, pro libero id haberi in dubio, ipso legum, quæ, ut in principio hujus tractatus dixisse memini, Libertatem onerari abhorrent, sic ferente dictamine.

Quod ipsum ut ad istiusmodi præstationes de quibus his §§ Anonymus, aptemus, nemo tam in Historijs est rudis, qui nesciat eas alium in finem multoties depensas, atque ut horum exemplo id constet, videamus traditum de lege Regia discursum Thomæ Lansij. Ille num 51. disertis fatetur verbis, Reges Romanorum Mauritaniæ, aut alios, qui Turcarum Imperatori alijsve ne regionum suarum fines infestent ac devastent annuam solvere pecuniam, hoc ipso minime non excidere summâ quam in suos habeant potestate. Rationem si quærimus præsto est, sustinent hic Principes aut Respub. boni patris-familias personam quo damnum inevitabile à suis avertant. Quinimo si politicis ad unum omnibus habenda fides, nullus æquè absolute suis ac παμβασιλικῶς impe-

imperat quam Turcarum Imperator, cui summi super omnes Imperij insigne conficere ait Bodinus quatuor B qui se βασιλεῶν βασιλέα τοῖς βασιλεῦσιν βασιλεύοντα gloriatur, hic tamen ipse Regi Æthiopum nec non & illis qui Arabiæ montes tenent populis, magnam quotannis pecuniam dependere tenetur. Verum de his postea, ubi directe agendum nobis erit de tributi præstatione, ac quatenus ea libertati detrahat, impræsens illud ad adversarij objectionem pro responso suffecerit, quod ipse ille Sabellici locus ait, præstationem illam quæcumque fuit debitam fuisse ex fœdere publico, unde illud infero, ex quo tempore publici fœderis eos Imperatoribus obstrinxit vinculum, ex illo saltim perperam considerari perinde atque Imperatori subditi si essent. Subditis fœdera sancire ac contrahere ll. vetant, ut est *in l. denunciamus. C. de his qui ad SS. Eccles. confug. l. 1. & 2. Cod. de seditiosis. l. ult. & tot. tit. ff. de Colleg. illic. Frid. Imp. de pace tenenda. §. conventicula.* nec immerito. Est enim (ut pluries jam dixi) fœdus summo Imperio utentium pactio publica.

β β β β

Quæ ab hujusmodi pactionibus recedunt pro conspirationibus habentur conjurationibusque, Cæsaribus usque eo exosæ, ut capitulationibus Imperii conceptis verbis solemniter promittere eos videas, sese omnes illicitas subditorum nobilium ac populi confœderationes atque conspirationes sublaturos ac abolituros. Formo ex prædictis argumentum. Si ex fœdere publico aureum illud pallium persolvendum fuit, utique persolvendum non fuit ex jure summi Imperii, quod penes Imperatorem residebat, eo enim ipso jurisdictio exclusa fuit quod fœdere sibi deberi voluit. Quo sane opus si fuit, ne quidem imaginariæ jurisdictioni locus sit, neque enim meum quod est amplius meum fieri potest, ac futilis sim rem meam mihi qui stipuler. Ipsa quo-

que fœderis natura talis est, ut per se jura Imperii conferre nequeat, nisi id actum sit, inter contrahentes, ut jam ante monui. Monui similiter, quotiens aliquid ex fœdere dicitur fieri, intelligi id de fœdere proprio, nempe quo conventio fit citra Majestatis prærogativam, atque etiam de fœdere æquali. Illud addam quod etsi summa quæque (subjectionem solam excludo) concedere mens nobis esset, maximosque effectus qui præter deditionem, in fœderis substantiam cadunt, isti de quo agimus fœderi attribuere; ulterius tamen id omnino prorogari non posset, quam quidquid ex fœdere depensum fuit, pretium fuisse protectionis, ac sic quoque ipsum fœdus fuisse clientelare, Illud vero, conventionem publicam recte dixeris, qua patrocinij fruendi gratia, principes, populi, resque publ., viribus inferiores, aut aliàs sibi metuentes, sub certa plerumque pensione annua, in potentioris protectionem transeant, salva majestate, salvoque imperandi jure. Ipsa quoque protectio operæ quædam cum sit species, cumque à conventione deducatur, non potest non esse quam separatissima ab jurisdictione, unde & ab una ad aliam nihil recte inferri notatum *Sixtino conf. marpurg. vol. 3. conf. 8. num. 109.* Quin etiam annua quoque illa solutio non ferat, ut inde subjectionis notam deducamus, libera cum sit contractumque sapiat. Neque enim illa alio fine censenda est fieri, quam ut illi, cui ea præstatur, liberum non sit sese contra præstantem adjungere hostibus illius, aut alias quoque ut, ita urgente necessitate, auxilium laboranti submittat. Erit vero mox hæc fusius prosequendi locus oportunior: Ad pallium ut revertamur, ipsa illius præstatio honorario potius accedere mihi semper est visa, quam ulli omnino subjectionis demonstrationi: atque inter ea referri debere, quæ libere fiunt, aut si præstandi aliqualem necessitatem secum ferant, summæ tamen potestati non derogent,

præ-

præsertim cum non sit novum, ut citra majestatis imminutionem etiam subditis suis, quotannis ex causa bene gestarum rerum Principes elargiri teneantur. Exemplo sit Hispaniarum rex, qui si quid eorum qui de regno Hispaniæ commentati sunt relationibus, deferimus, Arcobrigum duci vestem debet, qua in virginis Deiparæ festo indutus fuit. Sunt ex Pachecorum illustri familia, quibus idem rex, Cyathum è quo trium regum festo, simulque divæ Luciæ pervigilio, merum hausit, ut donet, est obligatus.

Salinarum comites, eodem modo ac jure, regale indumentum quod citato regum festo rex gestavit, sibi vindicant. Perinde & reginæ amictum, quo die natali Divæ virginis, festoque Paschatis conspicienda fuit Palmensis Bastagonesque comites, uxoribus suis ferunt, majorum suorum virtutis, & spectatæ in reges fidei insigne monumentum. Neque plura desunt ejus generis, si ea memorare foret operæ. Allegata suffecerint, è quibus abunde constare potest, etiam istiusmodi præstationum usum esse promiscuum, neque magis subinde ad subditos, quam ad dominos ipsos spectare; simulque nihil esse quod impediat, quo minus, etiam à non subditis, proveniant. Atque ut ut res cadat, dubium esse non potest, quin eæ nullam in sese majestatis læsionem imminutionemve complectantur, videtque, ut spero, benignus lector, quam parum stringat, id quod de præstatione jam sæpius repetita, commemorat Anonymus. Quæ porro Marescottam statuere refert, nullius auctoritate firmata, ac nec sibi credita, tanti non sunt ut iis confutandis molestus ulli sim. Paucis addam, inique ac minus probe eum agere, qui non alia de causa Doglionem adulationis insimulet, quam, quod de pallio aureo tradita quæ sunt, Imperatorio beneficio, ad eum quem supra dixi modum, deputanda censeat. Versatur hic in conjectura sua Doglio, ad quam partim

scribentium silentio, partim eorum qui non comperta pro compertis obtrudere satagunt temeritate, partim eorum qui aliena temere credita pro veris posteritati venditant, levitate, recurrere fuit coactus. Nemo conjecturis tantum certitudinis attribuat, quantum Mathematicorum demonstrationibus. Sed nec ego video, quid sit illud quo nomine, tam propudiosæ adulationis reus peragi Doglio meruerit. Neque emim magis est mirum, ut dignitatis suæ insignia, summæ potestates inter sese communicent, quam si prærogativas aliquas non subditis concedant. Ac nec longe petendum exemplum. Testantur antiquæ inscriptiones, ac visuntur hodieque in processionum solemnibus, quæ quantaque fuerint, quibus augustiorem duci Veneto majestatem circumdare, quamque promeriti erant, animi beneficiorum non immemoris demonstrationem, testari voluerit Alexander tertius.

§. 60.

Henrico quarto Imperatori pannum aureum annuamque pecuniam quomodo & quare Veneti persolverint. Discordia inter Venetos, & Patavinos. Ad concordiam suadet Imperator. Historia illa omnis nihil contra Venetorum Libertatem facit, sed eam probat. Pacta & libri Pactorum apud Venetos. Verba Henrici Imperatoris quibus testatur imperium suum ad Venetos usque non protendi. Gregorius Pontifex Venetorum Rempub. veram Libertatis suæ dominam appel-

appellavit. Veneta civitas libera à Frederico tertio Imperatore nominatur.

ETsi videmur nobis satis esse defuncti, iis quæ ad proxime præcedentes §§ attulimus, neque quippiam hic § novi contineat, atque id unum duntaxat narret Henricum quartum denuo à Venetis, quibus complura concesserat Privilegia, pannum aureum certamque pecuniæ summam sibi persolvi voluisse; quo tamen nobis laboris fideliter suscepti peractique constaret ratio, nec hoc omittendum fuit. Semel dicta non geminabo, ac dicam modo, quod ait, voluisse Imperatorem denuo pannum aureum sibi dependi, non sic accipienda, tanquam si ea alicujus Historici forent. Nihil minus. Sunt enim ipsiusmet Anonymi, ac proinde tanti facienda, quanti testimonia illorum, qui præjudicio gestarum rerum veritatem gravaturi, quippiam narrant; tantum abest ut actum quem prædicta verba designant ab absoluto plenoque imperandi jure promanasse dici queat. Verba quoque Sabellici quæ citat, nempe *ab Henrico quarto multa & ampla immunitatum privilegia hac ipsa tempestate impetrata dicuntur. Ad hoc ipsum petendum Vitalem Faledrum, Stephanum Manrocenum & Ursum Iustinianum Romam missos apud quosdam reperio, qui Pallium Henrico aureum, & annuam pecuniam, sed eam admodum tenuem, concessarum rerum monumentum, publico nomine polliciti sunt.* Verba, inquam, Sabellici, quidquid concessum fuit, ex pacto convento originem traxisse clarum faciunt, nimirum ut in redhostimentum concessarum rerum, ac pollicitum nomine publico: Quo quidem promisso, publico nomine intercedente, nihil est ut ad supremæ potestatis jura respiciamus. Agit tamen adversarius pro more suo minus candidè, qui Sabellicum dicit in eo sese torquere, ut extenuet pecuniæ summam, quam sibi Imperator depectus est;

est; supprimitque, eundem Sabellicum, atque eodem illo quem citat loco, de rei veritate in tantum dubitare, ut fateatur ipsemet scriptores dari, qui res ab Henrico gestas scripsere, nominatimque res illorum temporum, *Omni interim pallij, alteriusve tributi mentione omissa.* Iungamus, quod neque adversarius ignorare potuerit, ea quæcumque publico nomine Cæsari polliciti fuere, Venetorum legati, ejus generis fuisse, ac tali occasione promissa, ut omnino procul habenda sit quævis, hinc Imperij, subjectionis inde, vel levissima suspicio.

Nimirum Patavini bello à Venetis victi ad opes Henrici refugerant, auxilium imploraverant, petierat per Legatos à Venetis Imperator, (quo vero missis legatis opus, si dominus erat? sufficiebat nudum mandatum, simplexque citatio) *(ut ad se mitterentur, cum quibus* (verba Sabellici sunt) *Patavinam causam cognosceret.* Occasionem dissidij ut transcribam hujus non est loci; *Cæterum Henricus cum Legatis* (Venetorum supple) *qui hoc nomine, Veronam* (pergit textus) *accersiti fuerant,* (nempe à Cæsare) *egit, ut deposita omni altercatione, Veneti Patavinique, amicè inter se, rem de qua ageretur cognoscerent. Oportere prædicans, Venetos meminisse se à Patavinis ortos, rem indignam sese facere nisi pio quodam studio, illius urbis nomen, unde originem se trahere non ignorarent, prosequerentur, ac ipsos loci incolas, velut decrepitos parentes filij solent, summa pietate foverent. Contra Patavinos dicens, ipsos non modo non invidere Venetæ gloriæ debere, sed gloriari etiam, quod ad eam diem, hi qui à se procreati essent, tantum gloriæ terra marique adepti essent. Censere itaque suos fines utrisque constare oportere* (Arbitratorem hic Anonyme agnosce, non judicem non dominum) *nec eo aut alio nomine amplius cognata arma in se vertere.* Subjungit porro immediate Historicus. *Valuit multum illa Henrici authoritas* (sic & alibi Tacitus authoritatem suadendi, à potestate imperandi, in Ger-

Germanorum Ducibus ſecernit) *ad tollendam diſcordiam, quâ adducti Legati, qui aderant, diſcordiam ſopivere. Actum demum Venetos ajunt quæ diximus ab Henrico obtinuiſſe. Fuerunt etiam in numero ſcriptorum, qui ea Venetijs conceſſa crederent, quo per id tempus ille veniſſet, omni interim aurei Pallij alteriuſque tribus mentione omiſſa.* Huc uſque Sabellicus. Cauſa cur quaquaverſum ſibi haud conſtent ſcribentes, alia ut reor haud eſt, quam quod accuratam ſatis rationem temporum non habuerint. Quæ enim inter Patavinos Venetosque discordia fuit, ea decimum in annum incidit, ſupra milleſimum centeſimumque, quo nimirum anno, ut Sigonius refert, *Veronam* (Henricus) *cum proceſſiſſet, à Patavinis de incommodo à Venetis accepto edoctus, rem inter utroſque compoſuit, Inde nullo alio maleficio illato* (erat enim cum exercitu triginta millium, quem in duas partes diviſerat) *Padum trajecit, & caſtris ad Placentiam factis, ſolemnia munera à Placentinis exegit*, totis vero ſex annis poſtmodum demum, eodem Sigonio referente, *menſe Martio Venetias profectus, honorifice ab illa civitate eſt habitus, urbis ſitu ædiumque decore, quæ diligenter inviſit, mirifice delectatus, votis D. Marco ſolutis & monaſteriis poſſeſſionibus regni auctis, diſceſſit.* Hæc ipſa Sigonii ſi cum Sabellico conferimus, planum fiet, utſpero, quæ nos diximus eſſe quam veriſſima. Omnino ſi ſubditi Cæſari fuere Veneti, cauſſa ut aſſignetur velim cur in eos, qui Patavinos pariter ſubditos (ita enim dicendum foret) clade inſigni affecerant, haud animadverterit, præſertim cum eſſet in promptu exercitus, ſi ſolemnium munerum debitores erant, cur Venetis omiſſis, ea à Placentinis exegerit, ac ad poſtrema ut deveniamus, eccui credibile fiat Imperatorem qui honorifice habitus fuerat, qui Venetorum Reip. Monaſteria, terras ac latifundia extra illorum territorium conceſſerat, quos beneficiis non pœnitendis affecerat gravare voluiſſe, ac non

Oo potius

potius beneficiis cum beneficis certare, ut vel eo duntaxat modo, quanto excelsiorem ipse se ferebat dignioremque, tanto quoque munificum magis augustumque ipsi agnoscerent?

Cæterum & nos languidi hic nimium, remissique sumus, qui argumenta à factorum verisimilitudine desumimus, cum verissima quæ sint, ipsa venerandæ antiquitatis fides, abunde suppeditet. Primum ergo esto, quod ea quæ Privilegia minus recte ab authoribus vocari videmus, publicis apud Venetos monumentis, tot jam retro sæculis, nomine *Pactorum*, venerint. Testimonium perhibeat, ipsum librorum in quo gesta inter Venetos ab una, & Imperatores ab altera parte continentur, frontispicium, nempe LIBRI PACTORVM inscribuntur: sunt autem illi libri numero quinque, eaque, ut dicere cœpi, cuncta complectuntur, quæ non cum Imperatoribus modò, sed & Pontificibus, Regibus, Rebuspub.; Principibusque, acta conventaque sunt. His ipsis libris, ea quæ Anonymus insinuat, continentur, haud alio quam *pactorum* nomine legenda, eoque quo pacta conventa solent ac debent, effectu censenda. Ne quis vero à Venetis *pacta* vocavi dicat, quæ Imperator Privilegio deputanda existimet, eccum ipsa Henrici IV, (quidam V. volunt) verba, *Hac igitur ratione, tantæ dilectionis uniti, nostram utrimque caritatem rationabilem observavimus. Igitur ob Synceram & venerabilem ejus* (agit de Duce Veneto) *dilectionem, veræ charitatis vinculis adstrictam, quicquid ipse Dux, & Venetici ducatus Ecclesiæ, & populus, retro per triginta annos in Imperii nostri potestate habet, secundum quod in* PACTO *Othonis legitur, per hanc nostram imperialem paginam confirmamus.* Paulo post, *Et ut maxime notentur vicini populi, specialiter tam ex nostro imperio quam ex prædicto Ducatu Venetiæ, à quibus hanc ejus* PACTIONIS *institutionem observandam esse decernimus, Ideo & hæc series Fœderis, ad* PACTVM INVIOLABILITER OBSERVAN-

DVM

DUM *semper maneat, per cuncta annorum curricula.* Manifestiora quis petat? Certe *Observandi inviolabiliter pacti* nulla necessitas, nisi inter eos, quos Synallagmatis vincula tenent; quæ esse inter Dominos & subditos superflua, quivis eo casu concedat, cum quis ex iis Dominum adstruere, aut subjectionis notam conetur elicere. Illa ergo ipsa *pacta*, cum priorum *pactorum* quaquaversum meminerint, sic, ut ea tanquam relata, suo referenti, juxta regulam, inesse sint dicenda; efficaci argumento sint, Imperatores eo ipso, quod ad pacta conventionesque cum Venetis descenderit, saltim, quo ad dicta nobis *pacta*, Venetos sibi æquasse, nec minus ipsis Imperatoribus pactis conventis fuisse standum, quam Venetis: pari utrimque obligationis vinculo. Quid vero, quod & ipse Imperator Henricus, quæcumque Venetis concessit, ea ut extraneis, sibique nullatenus subditis, concessit? quod eos non modo haud esse Imperii partem professus sit, sed & extra terminos Imperii constitutos: ac, quid Venetos duo? imo ipsos Venetorum maritimos fines, ab Imperii finibus discretos, separatosque testetur! Magna hæc, & Achillæa adversus Anonymum quivis dixerit, cui id modo observatum, Anonymum Romani Imperii in Venetos jus Scrutinio suo asserere velle, idque ipsum titulo libri sui disertim profiteri. Non morabor lectorem, ipsa Imperatoris Henrici verba pro ut in diplomate continentur ponam. Ergo, postquam designata sunt enumerataque quæ sint illa, ac qualia, quæ Imperator largiatur, quæque confirmet, quo loco bona finesque eorum describuntur, inter cætera, hujusmodi verba in textu legere est. *Nec non etiam fluvium qui dicitur Retrone, sicut currit à vado, qui dicitur Silice, usque ad fossam, quæ nominatur Barba, sicut currit à fossa quæ dicitur Alta, & intrat in Corium,* USQUE AD MARITIMOS FINES VENETORUM CITRA QUOS IMPERIUM NOSTRUM HIS FLUMINIBUS TERMINA-

MINATUR. *Datum ad Castrum Rivoaltæ.* XVI *Iunij Anni* MCXC. *Recognitum ab Ogerlo Hyperegiensi Episcopo Cancellario vice Hermanici Archi-Cancellarii.* Absit de meo quippiam ut superaddam, vel Anonymus fateatur, Imperatoris voce, tanquam oraculo sacro, firmari Venetorum Libertatem, maritimosque eorum fines, extra Imperii jus esse. Imperatorio effato, breve Pontificium lubet subnectere, quod nempe Gregorius ejus nominis nonus, Romanus Pontifex, anno pontificatus sui tertio & decimo ad Gradensem Patriarcham, ac illius suffraganeos, dedisse deprehenditur.

Ille ergo, postquam diu multumq; de Imperatore Friderico secundo, ac quidem peracerbe conquestus est, in quem tanquam juratum hostem Ecclesiæ Romanæ spiritualia tela direxerat, quemque anathematis mucrone verberare fuerat coactus, postquam prolatam in ipsum excommunicationis sententiam publicari jussit, inter cætera, dum veritatis testem adhibet Venetorum Rempub. in terminis sic ait, *Quæ autem à dicto Friderico, pro bonis sibi collatis Ecclesia retributionis præmia receperit*, VENETAM REMPUBLICAM VERAM LIBERTATIS SUÆ DOMINAM, PACIS NOSTRÆ SPEM *præsenti paginâ contestamur.* Nobis cum sit unicus de Libertate Reip. Venetæ sermo, opus haud est ut multis Venetorum in Romanam Ecclesiam pietatem depredicemus, suffecerit eam tantis auctoramentis suffultam quantis nulla altera, suffecerit eorum libertatem vel ipsius Pontificis voce, totis quatuor abhinc sæculis, pro verâ justaque celebratam, idque acroamate tali, quod eorum temporum secta non patiatur, aliter intelligi, quam fuisse eam, longe ante ea, quibus Pontifex ista scribat, tempora, *veram Libertatis suæ dominam.* Properabat ad Imperatorem Fridericum calamus, cæteroquin lubet inter utrumque Imperantium, medios dare, binos Pontifices. Priorem habuimus, veniamus ad secun-

secundum. Ille Clemens sextus esto. Cujus extat Breve Avenioni datum anno pontificatus ipsius quinto, XIV Iulij die, anni MCCCXLVI. cujus textus ut edisseruit, concessisse summum Pontificem omnia redituum, & proventuum bonorum Ecclesiasticorum, in civitatibus, aliisque locis ditioni Venetæ subjectis, vel subijciendis, decimas quotannis, & perpetuis temporibus colligendas, simulque ut inibi late commemoratum est, quanta Veneti in Romanam Ecclesiam benefacta congesserint, inter cæteras causas,quæ Pontificem impulerint ad ea omnia Venetis concedenda, hæc recensetur. *Attendentes, & debita consideratione præ oculis habentes, quam diutini laboris & impendij, maris Hadriatici legitimum tuentes imperium sæpe ab ea [id est Ecclesia] Hostium arcendi conatus sint nacti*, &c. Qui attendet diutini Venetis fuisse laboris, ac impendij, legitimum maris Hadriatici dominium tueri, næ ille ut spero, per se judicabit, non illo demum tempore Venetos Maris Hadriatici dominos fuisse factos: diutinosq; istos labores, impendiaque etiamnum diutina, asserendo legitimo imperio asservandoque depensa, benigne ad altiora revocaturus est principia. Næ simul & ipse mecum fatebitur, perperam Scrutinij principio, illius authorem sugillare imperium quod sibi afferit in Hadriaticum mare serenissima Venetorum Respub. Nobis interim satis superque videtur, quod inter plures summorum virorum, qui eandem nobiscum veritatem tuentur, assertiones, irrefragabile adduxerimus testimonium, Pontificis summi, quodque palmarium, tertio ab hinc sæculo, motu proprio loquuti. Agmen claudat Frederici tertij Imperatoris decretum factum Neapoli (Germanis *Neustedt*) occasione controversiarum intuitu Patriarchatus Aquilegiensis, enatarum, eò quod Forum Iulium in Venetorum ditionem transijsset, cum jam olim spectasset ad patriarchatum prædictum. Narrat isthoc

decreto Imperator, se controversias istiusmodi ad Romanum Pontificem rejecisse, &c. Addit præmisso à se prius Venetias fratre suo, Austriæ duce, ubi Patriarcha quoque Aquilegiensis aderat, Venetias appulisse, ibique Venetos illius arbitrio omnes permisisse controversias, tandemque sancit, Patriarchas qui ex decreto Reip. Venetæ bona Patriarchatus in ditione existentia, possederant, possidere etiam debere cætera, quæcumque sita sint in locis imperio subjectis. At vero ubi de civitate Veneta ei sermo est, in hæc ipsissima verba digreditur. *Vbi, cum imperialem celsitudinem, Vrbis mira structura, aquis enata, solâ sui admiratione æquasset, plus nobis in* LIBERA CIVITATE *decretum Venetorum præstitit obsequium, quam in illis, quæ nostro subjectæ imperio, ad hoc ex debito tenebantur.*

Plura his non addo, quod nec credam addi potiora posse. Eat nunc Anonymus, & Venetæ libertati, si potest, facessat negotium. Ego, quid præstiturus sit, expectabo. Vt vidimus, stant contra ipsum, tam clara, tam illustria, & à tantis authoribus prolata testimonia, eaque non emendicata, verum motu proprio, ab ijs, quorum sunt, edita; quin imo talia ut nec ullus negaverit esse verissima, quando ipsemet Anonymus videt (neque dubium quin hoc nomine oculi ei doleant,) illa etiamnum confessionibus eorum vallari, quorum interesse quam maxime, diversum ut credant mortales, toto suo discursu, monstrare annititur. Mihi sane nemo persuadeat, habenda esse ea pro minus integris. Ex adverso esse ea quam integerrima necesse est ut fateamur. Quantum enim hoc quod odij irarumque causas procul habent! quantum, quod nihil sequioris effectus spirent! Si quis uberiore benevolentia luxuriantia notet, reponam nec moris id esse inter summas potestates, nec rationem pati, nec imperij majestatisve naturam ferre, ut amori aut amicitiæ tanta taliaque deferantur, idque præter veri fidem aut etiam directo

contra

contra eandem, quæ cum non modo multum è Republica trahant, sed & rerum summam concernant, non possunt non libare summum illum Majestatis apicem, qui regnantibus idem, quod in oculis pupilla, in homine spiritus vitalis. Sciens omitto, quæ jam diximus, non unius sæculi decursu roborari.

---

§. 61.

Pax cum Imperatore Frederico in Italia inita nihil derogat Venetæ libertati. Venetorum victoria à Frederici Imperatoris filio reportata. Pax cum Lombardis, alijsque fœderatis rogante Imperatore stabilita. Pacis conditionibus Venetos non est complexus Imperator. A victoribus gravissima quæque, salva tamen libertate, victis imponi possunt. Id Carthaginiensium, & Ætolorum exemplis firmatum.

AD ipsam Venetorum confessionem hic sese § refert, quam ut probet, textum nobis Sigonij allegat, qui sic habet. *Societas Lombardiæ, Marchiæ, Veronæ, & Venetiarum cupit habere pacem Frederici in hunc modum. Ut Fredericus pacem habeat cum Ecclesia Romana, & nos civtiates Cremona, Mediolanum, Laus, Bergamum, Ferraria, Brixia, Mantua, Vicensa, Venetia, Patavium, Tarvisium, Bononia, Ravenna, Ariminium, Mutina, Regium, Parma, Placentia, Bobium, Derthon, Alexandria, Vercellæ, Novara, Obiso, Marchio Malæspina, Comes de Brenone & omnes homines & Castellani qui sentiunt cum Ecclesia Dei & nobiscum, acceptâ ab eo pace volumus facere omnia, quæ antecessores nostri, à morte posterioris Henrici Imperatoris, antecessoribus suis; sine molestia fecerunt.*

fecerunt. Hæc autem ſunt, quæ intelligimus Imperatorem habere debere, & anteceſſores ejus habuiſſe. Fodrum regale & conſuetum, conſuetam paratam cum tendit Romam Coronæ cauſa, & pacatum tranſitum, commeatum idoneum, pacate tranſeat, & ſine maleficio, ſacramentum à vaſallis accipiat, omni offenſione remiſſa. Vaſalli expeditiones pro eo ſuſcipiant ut ſolent cum tendit Romam coronæ cauſa. Hactenus Sigonius.

Ad hunc locum ut ſuccinctè ſolideque reſpondeamus, tria conſideranda ſunt, quorum primum eſt, quis Imperatoris illis temporibus fuerit ſtatus, quis Venetorum; alterum, quid huic fœderi ſive paci occaſionem præbuerit, ac quid actum ſit in rei veritate; tertium denique, quomodo id ipſum, quod inter partes actum fuit, accipiendum ſit, explicandumque.

Primum quod attinet, Venetos id temporis nihil Libertate ſua inferius indignumve, in animum dimiſſuros fuiſſe, ut credamus, cogit nobilis illa victoria, qua Frederici filium, Boemis, Dacis, Getis, Germanis Italiſque contra Pontificem arma ſociantibus, maritimo prælio fuderant, fugaverantque, captivum fecerant, ipſumque Fredericum ad pacem compulerant, ipſimet interea arbitri pacis inter Imperatorem Pontificemque. Eos jam tum ſibi Imperatori Pontifex æquaverat, pari curulis ſedis prærogativâ, (quam hodieque ſervant) ex æquo conſidere jubens, idque omnino non contradicente Imperatore, aut ullum ſibi in Venetos Imperium arrogare auſo. At quo Imperatore? Barbaroſſa nimirum, magnanimo ſi quis unquam fuit, & vel infractis rebus, majeſtatis ſuæ acerrimo vindice. Si quis hæc geſta dicat anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, quæque ex Sigonio allegantur totis octo annis eſſe recentiora, nihil aget. Pleni ſunt omnes libri, plena omnium hiſtoricorum monumenta, fœderatorum (fœderis autem Principes Veneti) partes

partes quaquaverſum ſuperiores fuiſſe. Ipſum paucis audiamus Sigonium. Ille librum ſuum de regno Italiæ quartum & decimum, ex quo eodem hic illius locus ab Anonymo deſumptus eſt, ſic orditur. *Sequenti libro, præclarum popularis concordiæ civiliſque conſenſionis exemplum memoriæ poſteritatis prodetur; ut eti im Italia nunquam acrioribus repetendæ Libertatis ac propugnandæ Eccleſiæ ſtudiis arſit, nec concordioribus aliquando animis aut firmioribus opibus utriuſque laudem dignitatemque defendit, ſic neque fructum laborum ſuorum uberiorem, nec victoriam illuſtriorem, ullo tempore tulit, quam Frederico & Italiam & Eccleſiam effuſis omnibus Imperii viribus oppugnante, ipſa ſocietate ac fœdere inter ſe illigata, percepit: ut unuſquiſque intelligere poſſit quantum ad res magnas gerendas, conſtans concordia, atque animorum firma conſpiratio, valeat.* Hactenus ille. Cujus toto iſto libro ne pagina quidem ulla eſt, quæ non teſtetur verum eſſe quod aſſerimus: mihi ea compilare aut tranſcribere non lubet, ac, ut reor, in re nota ſatis, iis, qui hiſtoriam iſtorum temporum vel à limine ſalutarint, non eſt neceſſe. Secundum videamus.

Hic quoque citra omne dubium eſt, occaſionem ferendis pacis legibus, Venetos haud dediſſe, quorum, ut mox dicebam, res erat ſuperior, aſt imperatorem ipſum. Ille enim ſive adverſante fortuna, bellandi ſatur, ſive filij precibus cedens, imperiali faſtigio haud indignum ratus concordiæ viam tentaſſe, primus legatos miſit, ſi quid Sigonio deferimus; illius hæc ſunt verba. *Idem annus* (tertius nimirum ſupra milleſimum centeſimumque ab octuageſimo) *pace à Lombardis cum Frederico facta, fuit nobilitatus. Affectabat eximio ſtudio Italici regni coronam Henricus, Frederici filius, ut qua omnes affecti fuiſſent, qui ante ſe regnum Germaniæ obtinuiſſent; neque bello cum Lombardis, atque adeo etiam cum Mediolano manente, rationem ullam inibat, qua ad decus iſtiuſmodi perveniret. Itaque Fredericum patrem Conſtantiæ conventum menſe Martio agentem, rogavit,*

gavit, ut quando induciæ Lombardorum in fine essent, rerum suarum statum stabilire, integra pace præstanda Italiæ vellet, id, cum sibi ad animi voluptatem jucundum, tum vero, ad tutam regni possessionem fore jucundissimum. Cui Fredericus, si animum, inquit, inducere Itali potuerint, ut pacem æquis conditionibus poscant, haud invitus faciam, ut tuo rogatu cedam. Tum Henricus, atqui si Legatos, inquit, in Italiam cum liberis super hac re mandatis miseris, noli vereri, ne non civitates pacem ultro sint petituræ; qua re audita Fridericus Gulielmum Episcopum Hastensem Marchionem, Henricum Guerchium, fratrem Theodoricum, & Rudolphum Camerarium, eo nomine Placentiam misit. Id vero postquam civitates cognoverunt, extemplo Legatos Prætoresque suos, eodem & ipsæ destinarunt. Ibi pridie Kalend. May. colloquio constituto, Legati Friderici tabulas ejus protulerunt, in quibus scriptum erat, se arbitrium pacis inter se & societatem Lombardiæ redintegrandæ eis permittere, quæque ipsi statuissent, ea se rata in perpetuum habiturum. Occasionem vidimus, nunc quæ inter contrahentes acta sunt exsequamur. Subjungit immediate Sigonius. *Quibus recitatis fœderati pacem his verbis postularunt. Societas Lombardiæ,* &c. Repetat ea lector ut sunt ex Anonymo nobis in principio hujus §. descripta, nos Sigoniana continuabimus, *Quibus*, inquit ille, *postulatis cognitis, Kalendis May jurarunt Legati, se daturos operam, ut Fredericus & filius ejus, pacem his conditionibus facerent, atque his rebus in tabulas relatis, postridie Kalendas ipsi prætores civitatum tale sacramentum inter se conceperunt. Ego juro omnibus civitatibus fœderatis Lombardiæ, Marchiæ, Romaniæ, & Opizoni, Marchioni Malæspinæ, me pacta omnia servaturum, quæ in tabulis pacis continentur, inter Legatos Imperatoris, & civitatum fœderatarum, conscriptis, neque auctorem futurum ut aliquod eorum minuatur, & præcepta moderatorum observaturum, à præsentibus Kal. May, usque ad triginta annos, & hoc quantoquoque renovaturum, & consules aut prætores ac credentiam meæ civitatis, hoc jurejurando obligaturum.*

His quæ

His quæ porro Sigonius adjungit adſcribere ſuperfluum fuerit, credatque nos lector id agere, ut transcribendis alienis noſtra turgeſcant, mutila ut tranſcribamus aut calumniæ obnoxium ſit, aut candori quem profitemur adverſum. Vni cum interim illud omiſiſſe ſacrilegium videatur, Cæſareo ad oblatas à fœderatis pacis conditiones reſponſo, Venetorum, aut urbis Venetæ ne nomen quidem reperiri. Mihi quiſpiam ut cedat nolim. Sic Sigonius. *Nomina urbium quibus gratiam noſtram reſtituimus & præſcriptam conceſſionem fecimus ſunt hæc, Vercellæ, Novara, Mediolanum, Laus, Bergamum, Brixia, Mantua, Verona, Vicetia, Padua, Tarviſum, Bononia, Faventia, Mutina, Regium, Parma, Placentia, his autem civitatibus & locis pacem noſtram reddimus, & conceſſionem noſtram facimus, videlicet Imolæ, Sancaſſiano, Bobio, plebi de Grabadona, Feltriæ, Belluno, Cenetæ, Ferrariæ autem pacem reddimus, & conceſſionem noſtram facimus, ſi intra duos menſes poſt reditum Lombardorum à curia noſtra de pace præſcripta cum eis concordes fuerint. Legati autem civitatum hanc pacem receperunt, & in præſentia noſtra jurarunt Mediolani, Brixiæ, Placentiæ, Bergami, Veronæ, Vicetiæ, Paduæ, Tarviſii, Mantuæ, Faventiæ, Bononiæ, Mutinæ, Regij, Parmæ, Laudis, Novaræ & Vercellarum. Hæ vero ſunt civitates & loca quæ pacem præſcriptam ſub juramento Lombardorum nobiſcum receperunt, & eamdem per ſe juraverunt, Papia, Cremona, Comum, Aquæ, Derthona, Haſta Cæſarea, Genua, Alba & aliæ civitates, & loca, & perſonæ, quæ ſunt, & fuerunt, in poteſtate noſtra. Hæc autem ſunt nomina civitatum, quarum legati inveſtituram conſulatus à nobis nomine civitatum receperunt. Mediolanum, Placentia, Laus, Vicetia, Padua, Tarviſum, Mantua, Faventia, Bononia, Mutina, Regium, Parma, Novara, Vercellæ, Bergamum, acta anno incarnationis* MCLXXXIII. *Data apud Conſtantiam in ſolemni curia* VII. *Kal. Iunij. Quo facto civitates ita jurarunt. Iuro ego, me poſthac fidelem fore Friderico Imperatori, & filio ejus, Henrico regi, neque in conſilio futurum ut ipſi vitam*

tam aut regimen amittant, & si quem ego id moliri comperero, me id Imperatori, aut regi, aut legato eorum, indicaturum, auxilioque futurum, ut regnum teneant, & si amiserint, recuperent; & pacem ab ijs & sua parte, cum societate Lombardorum factam observaturum, & omnes mecum habitantes mares à XVI. *annis, ad Septuaginta, hoc sacramento obligaturum, ac denique has inde*, inquit Sigonius, *tabulas singuli domum retulerunt, neque quicquam ex eis à successoribus detrahi passuros, summa semper postbac ope contenderunt, hodieque in omnibus fere civitatum tabularijs multis exemplis descripta reperiuntur, eaque vulgo pax Constantiæ nominata.* Hactenus Sigonius. Nos ea quæ ex ipso allegavimus, qualiter accipienda sint, atque explicanda, ut despiciamus, ordo exigit.

Quod ipsum ut aggrediar, ex ijs quæ à me de statu ac conditione Venetorum allegata sunt, cuilibet existimo constare posse (dum modo commoda rebus gestis, & vero non dissentanea, quæque obsequij excludat vinculum, ratio assignetur aut causa) ne in præsumptionem quidem cadere posse, taleis tantosque viros eo delapsos, ut libertatem, quam mordicus tutati semper fuerant, nulla impellente causa, pedibus illius advolverent, quem non semel ipsi vicissent. Quinimo, necesse mecum est omnes judicent, præsumptionem in contrarium militare, quatenus scimus nata libertati pectora, cum vel generosiores equi lupata detrectant, taurique non nisi coacti jugo colla submittant, ad extremum libertatem, quam primo vitæ spiramento hausere tutari semper ac defendere. Vtique Veneti cum summo semper nisu eam sartam tectamque servare fixum ipsis esset immotumque, ut ut voluissent quam maxime (missa præsumptione accedo ad veritatem rei gestæ) citra perjurium, illam ab se abdicare non poterant, utpote qui sexennio jam ante sacramento illigati, fœderatos, adversum omnes homines, defendere tenebantur, authore Sigonio d. libro. ac ne-

ac neque pacem neque inducias sine communi consensu pacisci poterant. Atque hic quoque si id potuisse demus, aut voluisse, evincit in contrarium fides annalium, primum fuisse Imperatorem, qui quæ mente conceperat pacis consilia, non modo eminus ostentaverit, verum etiam in apertum per Legatos deduxerit, speciali ad id dato mandato, cujus & ipsi prius certiores fuerint facti, quam aliqua ratione ad mitiora deflecterent. Ipse ille quoque textus evidenter ostendit, quæcumque ibi referuntur, non modo non facta in deprecationis modum, aut submissæ petitionis, sed verius præscriptionis aut præcepti; quatenus ipsi nimirum, qua lege amicitiam cum Imperatore colere vellent, ac quibus obsequijs Italiæ quietem præstare, & vice versa, quæ ab Imperatore fieri sibi desiderarent, ostendunt. Ac denique, quam sint illa omnia aliena ab aliqua parendi necessitate, (alia ut omnia sciens prætermittam) satis illud evincit, quod utrimque præstitum est juramentum. Equidem subditi si erant, causa nequeat dari, cur subditis suis juramento se obstringeret summæ potestatis jura habens, quibus semel imperium auspicaturus, jure-jurando se devinxerat, quosque eodem sibi nexu habebat devinctos; præsertim tali juramento, quo sibi ipse summi imperij jura stipularetur, aut stabiliret. Illos invicem subditos, quos quidem ipsi pleno imperandi jure dominos agnoscant, ad jusjurandum compellere non posse, quin in læsæ Majestatis crimen committant impingantque, nemo est qui ignoret. E quibus deprehendi nullo negotio potest, textum illum, quem pro se adducit adversarius, nulla ratione sic accipi posse, ut ullam omnino subjectionis præ se ferat includatve confessionem. Quinimo videmus ut isthuc loci, nulla subjectionis mentio fiat, verum pacis, pacis inquam istiusmodi, cujus ipsi Leges non minus ferant, quam accipere paratos demonstrent.

 Vide-

Videmus item, ut nec ulla ipsi aut offerant aut deferant quæ salva libertate offerri deferrive haud possent. Cumque & insuper vasallorum nomen (quorum status ac conditio toto cœlo disterminatur ab illius statu, qui se subditum fatetur) usurpent, ac præterea (finem ut faciam) liquido constet neque juramento sese Venetos ad ea præstanda devinxisse, ut de reliquis civitatibus jam ante vidimus, ac nec Imperatorem quoque, illis, quas firmabat, pacis conditionibus, Venetos fuisse complexum; facile ex antecedentibus colligitur, quam à naturali atque omni prorsus juris ratione alienum fuerit, præter intentionem agentium, verborumque contextum, ea adseverare velle, quibus ipsa humanitatis ratio, quam non semel pro naturali jure Leges usurpant, aperte resistit. Amplius dicam, mirari me, cur adversarius, vir sane comprimis eruditus & multijuga Historiarum lectione spectabilis, istiusmodi pactiones (neque enim aliud commodius hic aptiusve nomen) ut libertati adversas, nobis proponat. Non jam dicam aliud esse servire, aliud esse in servitute degere, nec geminabo distinguendum esse inter ipsam libertatem ac habendæ libertatis modum; factum id mihi jam ante, suoque mox loco plenius fiet cum bono Deo: sed (pace adversarij) id eum monebo, cum ideo bella gerantur ut pace aliquando tandem mutentur, ea subinde libertate salva imponi à victore & posse & soleri, quæ multo graviora sunt, quam ea quæ continentur hoc, quem nunc examinavimus, Sigonij loco.

Non ero hic longior, duo duntaxat exempla adducam è multis, Carthaginiensium nimirum, Ætolorumque. Carthaginienses quod attinet, illis apud Livium lib. xxx hæ pacis leges dictæ à Scipione. *Captivos, & perfugas, & fugitivos, restituant, exercitus ex Gallia & Italia deducant: Italia abstineant: Insulis omnibus, quæ inter Italiam & Africam sunt, decedant,*

naves

naves longas, præter viginti, omnes tradant, tritici quinquaginta, hordei trecenta millia modium: pecuniæ summam quantam imperaverit, Postmodum eis acriter correctis, atque exprobrata ipsorum perfidia, monitis, ut tot cladibus edocti Deos & jusjurandum esse crederent conditione, pacis has ab eodē Scipione dictas Livius refert, *Vt liberi suis legibus viverent, quas urbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent, populandique finem eo die Romani facerent, perfugas, fugitivosque & captivos omnes, & navas rostratas, præter decem triremes, traderent, Elephantosque quos haberent domitos, neque domarent alios, bellum neve in Africa neque extra Africam, injussu populi Romani gererent, Masinissæ res redderent, fœdusque cum eo facerent, frumentum stipendiumque auxiliis, donec ab Roma Legati rediissent, præstarent, decem M. talentum Scipionis arbitratu darent, nec minores* XIV, *neve majores* XXX *inducias, ita se daturum, si per priores inducias naves onerariæ captæ, quæque fuissent in navibus restituerentur, alliter nec inducias nec spem pacis ullam esse.* Ætolorum subinde mentionem fecimus, quoniam tamen ipsis ex asse Libertas mansit illibata, ac nisi ad comiter observandam Romanorum majestatem devincta, eaque ipsis injuncta quæ sunt, ne quidem uno die nominari, nedum comparari cum iis possint, quæ ab adversario citantur, quibus legibus in amicitiam venerint ex eodem auctore adscribere non pœnitebit. Ejus libro XXXVIII sic habetur. *Imperium majestatemque populi R. gens Ætolorum conservato sine dolo malo, neque exercitum, qui adversus socios amicosque eorum ducetur, per fines suos transire finito, neve ulla ope juvato, hostes eosdem habeto, bellum pariter gerito, perfugas, fugitivos, captivosque reddito, Romanis, sociisque, præterquam si qui capti, cum domos rediissent, iterum capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum inter præsidia Romana Ætoli essent: aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyreorum magistratibus sine dolo malo tradantur, qui non comparebunt, quando quisque eorum primum inventus fuerit, reddatur. Obsides XL. arbitratu Cos.*

Ro.ne

Ro. ne minores XII *annorum: major* XL *obses ne esto. Prætor, Præfectus equitum, scriba publicus, quæ urbes, qui agri, qui homines Ætolorum juris aliquando fuerunt, qui eorum L. Quintio. Cn. Domitio Coss. post eos Coss. aut armis subacti, aut voluntate in ditionem Pop. Rom. venerunt, ne quem eorum Ætoli recepisse velint. Amades tum urbe agrisque, Acarnanum sunto.* Hactenus ille. Atque hæc inter se siquis componere velit, in nostras ut spero partes haud gravatim transibit. Pergamus interim.

---

§. 62.

Fallit Anonymus, dum Venetos ait nunquam usque ad annum cIↄ ccc *pro liberis se gessisse. Imperatorum Privilegia non dedere Venetis, sed firmavere Libertatem. Immemorialis præscriptio titulum non requirit. Bartoli Baldive auctoritas legem non vincit, aut rationem. Alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet. Semel quæ competiit Libertas revocari non potest.*

PRimævam Venetorum Libertatem confessurus ait, nunquam illos, usque ad annum millesimum trecentesimumque, sese pro liberis gessisse, neque tali unquam modo sibi Libertatem asseruisse, ut quam jure proprio suam dicerent, sed Imperiali eam Privilegio acceptam tulisse, ac sic etiamnum quoque longi sese temporis præscriptione defendere. *Albericum de Rosate* ait de semet ipso attestari *in l. cunctos populos. Cod. de summa Trinit. vidisse se Privilegium exemptionis concessum Duci & civitati Venetiarum, bullatum bulla aurea, & per illam* (subjungit, Anonymo referente, Albericus) *dicunt*

cunt se Imperio non debere subesse, & ita etiam videtur sentire magister Joannes Parisiensis. Munit porro sese adversarius auctoritate Bartoli, cujus hæc verba citat. *Quinimo sunt populi, qui nullo modo obediunt Principi, nec istis legibus vivunt, & hoc dicunt se facere ex Privilegio Imperiali, & isti similiter sunt de populo Romano, ut faciunt Veneti: Nam cum illam Libertatem habere se dicant ab Imperio Romano, & Privilegio, quodammodo precario tenent ab eo, & posset Privilegium revocare cum vellet, cum ei liceat mutare voluntatem suam. Bart. in l. hostes. ff. de Captiv. & postl. reverf. Bartolo* denique *Baldum* addit comitem, qui referente *Canonherio*, in suis ad Taciti annales discursibus, (locum non exprimit), inquit, *Libertatem ab Imperio Romano recognoscunt & vivunt tanquam filii emancipati, debentque illi reverentiam, quam si non exhibent possunt in servitutem revocari tanquam ingrati, quia non sint liberi, quam per patientiam Imperatoris, vel speciale Privilegium, quod alii successores possunt secundum Bartolum revocare.*

Atque hic quidem prima fronte videri possit adversarius argumentum attulisse, non speciosum modo, sed & validum, nec minus auctoritate scribentium illustre, quam ratione suffultum; penitus introspicere tamen si lubet, quam non stringat vel quivis judicabit. Negativam facti, nempe quod totis mille trecentis annis, sese pro liberis gerere haud sint ausi, nunc non attingo, utpote quæ per ea, quæ passim ac ubique fere, toto hoc opere adduximus, sit confutatissima. De privilegio quod ait, similiter per ea quæ suo loco superius discussimus, solvi potest, nec quid ut addam jam dictis est opus. Originaria nimirum libertate satis superque probatâ, res ipsa docet, si id quidem verum sit privilegio libertatem Venetis fuisse concessam, (quod tamen nusquam apud Historicos reperio, quo imperante id factum foret) tali privilegio imperatorem aliquo modo videri posse Venetorum jus firmasse, ast revera nihil novi juris eis tribuisse,

ad ipsam libertatem constituendam; secus ad eam defendendam, adversus imperatorem ipsum.

Nam & privilegium ipsum eaque, quam adversarius allegat præscriptio, imo eodem respectu in Venetis concurrunt. Ac sic quoque, si largiamur Anonymo, Venetos æque privilegio sese tueri, ac præscriptione, nihil profecerit; possunt nempe Veneti privilegium pro tuenda Libertate adducere, possunt allegare præscriptionem; illud quidem, non ut caussam effectricem libertatis suæ, ac neque alteram, quatenus inter modos acquirendi rerum dominij præscriptio accensetur, verum exceptivè: quo nimirum allegatione privilegij, atque immemorialis præscriptionis exceptione, eos à quibus turbari contingat, repellant. Atque hoc est, quod aut privilegio conferri potuit, aut præscriptione quæri, ut stabilita possessione, non teneantur ultra titulum originariæ acquisitionis probare, ut ostendimus jam ante per *l. 3. §. ductus. ff. de aqua.* neque immerito. Receptum est illud apud omnes fere DD. immemorialem præscriptionem non requirere titulum, utpote cujus tanta sit efficacia, ut non modo vim tituli habeat, verum per se quoque vel sola reputetur pro titulo; quibus & hoc accedit, quod communi, atque adeo receptissimo scribentium suffragio, immemorialis istiusmodi præscriptio parere dicatur præsumptionem juris & de jure, qualis præsumptio quandoquidem similiter per se sola veritati non æquipollet modo, verum etiam pro veritate habetur, præsumptionem in contrarium non admittit. Bartoli Baldique non est quod hic quempiam moveat auctoritas, de ea usurpare liceat, quod de consuetudine, eam nempe haud usque adeo sui valituram momento, ut aut rationem vincat aut legem. Hoc vero quod de revocatione Privilegii ipsi dicunt, apertè rectæ rationi adversatur, legibusque, & favori Libertatis. Recta ratio non ferat ut quod in con-

in contractum transiit (talia enim diximus privilegia, quæ conferuntur in non subditos) ad libitum revocetur, parte invitâ. Vt habent juris regulæ, ab ipso naturæ fonte extructæ, alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet, neque potest quispiam in alterius injuriam consilium mutare. Si effectu non destituitur privilegium, ligat concedentem, obligationi vero semel constitutæ, adversario non consentiente frustra sit qui renuntiare aggrediatur. *l. sicut. C. de Oblig*, repugnent leges, ut videre est in *l. pr. Cod. de manumiss. vindict.* ubi Antoninus in casu non dissimili, atque adeo etiam ab adversario, authoritate Baldi comprobata, ait, post causam à judicibus probatam (nostro casu post concessum Privilegium) & manumissionem secutam, non solere statum in dubium revocari; cujus ratio perelegans est, in *l. justam. §. ult. de manumiss. vind. Causæ probationis contradicendum est, non etiam causa jam probata retractanda est.* Favorem denique libertatis si attendimus (ut in allegata similitudine eorum qui manumissi sunt perseveremus.) etiam fortioribus (ut ita loquar) in terminis, data quoque ex falsa causa libertas, eoque etiam probato, causam fuisse falsam, (absit tale quid vel adversarius audeat in Cæsareo privilegio suspicari) ex quo semel competijt, est irrevocabilis. *§. semel autem. Instit. quib. ex causis manum. non licet. l. justa causa. §. 1. ff. de manu. vind. l. sicut semel. l. sicut datam. C. de liberali causa.* Vtique naturalis libertatis est favor, suique naturâ quilibet eo propendet, ut sicubi à primævo naturalique statu distractum fuerit, ad eandem quam citissime recurrat. *l. si unus. § pactus ne peteret. ff. de Pactis.* perinde quoque ut qui liber natus est, ex libero servus haud fit, nisi certis quibusdam modis, ex gentium jure civicoque introductis, ita neque facile libertatem, quam semel quis nactus amittit. Nimirum, ut duo vincula fortius ligant, manumissus qui est libertatem habet,

& ex natura, & ex manumissione; qui privilegio libertatem defert, cum naturali facultate copulat privilegij beneficium, utque in manumissione ipsa nihil aliud adfert manumissio, quam quod obstaculum servitutis tollat, quo sublato talis homo remanet, quales sunt à natura omnes, ac proinde liber; ita & privilegium, ea quæ naturali isti facultati adversa obvenere, dissipat disijcitque, ac privilegiatum ad originariæ libertatis statum reducit. Terminet disquisitionem hanc nostram quod est in *l. imperatores ff. de manum. testam.* multum notabile, nimirum usque adeo verum id esse, semel quæ competiit libertatem revocari non posse, ut si quid ad eam revocandam, sit in illa ipsa clausula, per quam libertas data fuit, inanis & inefficax, illa sit adjectio.

---

§. 63. 64. 65. 66.

Oratio Antonij Iustiniani apud Guicciardinum sub examen vocata. Fides Guicciardini elevatur. Aliorum scriptorum testimonia Guicciardino adversa. Sublesta fides Anonymi in adducendis auctorum, quos pro Guicciardino facere dicit, locis. Baptista Leo, qui falsi arguit Guicciardinum, ejusque rationes à calumnijs adversarij defenduntur. Non nimium Scriptoribus tribuendum. Optimi eorum odio etiam & amore transversi aguntur. Guicciardinus in Venetos, & Ducem Vrbinatem minus æquus, & quare. Cur Veneti Guicciardini historiam in urbe sua passi fuerint evulgari. Frustra Anonymus causæ suæ patrocinium à silentio cognatorum & posterorum Justiniani petit. Tubero Dalmata tantum abest, ut cum

ut cum Guicciardino consentiat, ut quam maxime ei adversetur. Mocenici locus excussus. Arctæ tunc temporis Venetorum res, sed non decollatæ. Prudentia patrum Venetorum. Quæ contra Baptistam Leonem adducit Anonymus, non probat. Vanis suspicionibus laborat. Incredibile est consiliarios Imperatoris, eo invito, cum Iustiniano de tanto negotio egisse, idque ratum habuisse. Frustra Anonymus tempora Legationum distinguit. Iustinianus in conspectum Imperatoris non admissus. Oratio Ludovici Heliani adversus Venetos, mendacijs & calumnijs atrocissimis scatet: nullam tamen ille subjectionis mentionem facit. Nemo unquam legatus fuit sine mandatis. Authenticum ipsum mandati tabelarium, quod Iustiniano datum, penes heredes Iustiniani adservatum in Cæsareis archivis non exstat. Frustra adversarius est in Paruta redarguendo. Maritimum imperium maximi semper habitum apud Venetos. Vires ærarij Veneti. Virtus Veneta nunquam fortunæ succubuit. Elogium Venetis à Britanniæ Rege tributum. Pauli Barbi, Petri Duodi, Christophori Mauri, Aloisij Molini elogia. Qui ita victus, ut denuo vincere non possit, victori cedit. Campanorum & Venetorum inter sese instituta comparatio. Ex oratione Iustiniani colligi non potest, eo angustiarum redactos Venetos, ut Libertate fuerint privati. Quid propositum Oratione ejusmodi fuerit Venetis (quamvis

Venetorum esse non liqueat.) Continentis possessione Veneti paulisper discessere. Eorum rationes. Levioribus incommodis graviora sustulere. Immotum Venetis semper stetit, tempestatem belli, quantum pote, declinare, salva ubique libertate. Id constanter universa illorum temporum historia testatur. Actus ultra agentis intentionem non agit. Verba orationis Iustinianeæ præter mentem Venetorum non interpretanda. Argumentum ejus non nisi in auxilij imploratione consistit. Longe distant protegendi potestas, & jus imperandi, clientes, & subditi. Liber populus, statâ libertate, alterius patrocinio se dare potest. Quid sit clientela. Majestatem illa non exstinguit. Quomodo verus legitimusque dominus Imperator à Venetis in Iustiniani oratione nominetur. Ut intelligendum, quod Veneti continenti cesseriit. Novum non est patronis à clientibus præmium aliquod præstari. Præmia illa non tributi, sed Boethcius nomine veniunt. Jurisdictio & patrocinium aliquando conveniunt, non semper. Falsum est jura aliqua majestatis Imperatori quæsita. Quomodo accipiendum illud, quod Veneti, jussa, decreta, sanctiones, & præcepta Imperatoris libenter velint amplexari. Protectio protectorem facit, non dominum. Indiculus ineptiarum, & calumniarum Anonymi. Sanctissimum humani pectoris bonum fides.

Excm-

EXemplorum authoritatumque adversario agmen claudit, quod Cameracense fœdus excepit, bellum, illud quidem comprimis atrox, eventu varium, rebusque Venetis non semel adversum, cæterum cujus eum ad modum ipse recordatur, perinde ac si tum temporis non debilitata modo aut luxata Venetorum libertas, sed prostrata prorsus soloque fuisset afflicta.

Hic ergo fœdissimis in Venetos criminationibus excandescit, ardetque hic

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas
Fervet, immensusque ruit profundo
Torridus ore.

Venetos, ait, bello magis, quam prælio, ad Abdnam victos, ad Imperatorem Maximilianum ejus nominis I. ablegasse Antonium Iustinianum Oratorem suum; illius vero Franciscum Guicciardinum Historiarum suarum lib. 8. istiusmodi verba recensere. *Redeant nobis annuentibus ad te verum legitimumque Dominum quæcumque majores nostri à S. Rom. imperio ducatuque Austriæ abstulerunt. Quibus ut decentius veniamus omnia quæ in continenti possidemus adjicimus. Quorum juri utcumque quæsitum sit renuntiamus. Præterea quotannis T. M. legitimisque in imperio successoribus, quinquaginta millia aureorum perpetuo ex ærario deponemus, alia tua jussa, decreta, sanctiones, & præcepta, lubentes amplectemur. Tueare quæso, ab eorum insolentia, quibuscum paulo antea socia arma junximus, quos nunc sævissimos hostes experimur, qui nihil æquè cupiunt & desiderant quam Veneti nominis eversionem, Tuâ servati clementiâ, te patronum, parentem, & urbis nostræ fundatorem appellabimus, annalibus inscribemus, & filijs denique nostris tua ingentia merita sedulo ingeremus. Nec parva tuarum laudum fiet accessio,*

accessio, quod primus es, cujus pedibus Respub. Veneta supplex se prosternit, cui submittit cervicem, quem ut cæleste numen colit, veneratur, observat. Magna hæc in speciem, imo maxima, ac quæ liberum relictura non sint animum ad speciosa stupentem; sunt tamen interim volæ tramæque putridæ prorsus, in flumine paludibusve conceptæ, atque à terra surgenti vento simillimæ; in quo vehementiam quidem agnoscas, verum citra pertinaciam. Solido quæ allegat destituta sunt robore, inanique tumore suffulta: de ipsis si quid vero deferre velis, cum Seneca dixeris lib. 1. de Ira. Primi ejus ictus acres videantur, sicut serpentium venena à cubili repentium nocent, innoxij dentes sunt, cum illos frequens morsus exhausit. Res ipsa loquatur. Adversarius quo fortius pedem figat, Guicciardini locum postquam transcripsit, subjungit, Ioannem Baptistam Leonem admodum in hac oratione se torquere, eamque falsam atque opprobrosam appellare, fœtumque ingenii in Venetos exulcerati, quæque his consona sunt. Leonis porro rationes adducit, ac mox easdem convellere nititur, adductis ad id nonnullis ex Langij Citicensi Chronico, Tuberone Dalmata, Andrea Maçenico, Bembo, Paruta, ac Petro Iustiniano, locis, quos & nos ordine suo singulos recensebimus, ac ut quanta possumus soliditate respondeamus objectioni huic, duo videamus. I. sitne hac in parte standum Guicciardini narratis. II. Ecquid ex iisdem inferri possit, Libertati Venetæ contrarium. Ac primum quod attinet duo item despicienda sunt, quorum prius, ecquis præter Leonem, falsi redarguere Guicciardinum sustinuerit, posterius, ecquid cæteri aut annalium scriptores, aut Chronographi cum Guicciardino hic consentiant. Citat his ipsis §§ adversarius non uno loco Petrum Iustinianum, qui historiam Venetam scripsit, Venetus ipse, nec est ut opinor quispiam adeo iniquus, ut Anonymo liberum esse statuat, Venetos

tos

tos suorummet civium testimonio jugulatos ipse ut velit, mihi ex adverso non licere ejusdem testimonia in adversarium retorquere; justissimas, optimo jure, patiendi viceis, Seneca fatetur, ubi suo quisque excipit supplicio, quod excogitavit alieno. Vt ut est quem pro se ille adduxit, contra se loquentem neutiquam reprobare fas illi. Ita ergo Iustinianus.

Illud vero (absit verbo invidia) insigni, sempiternaque Venetum laude exornat, qui tantam belli molem per octo fermè annos adversus universæ Europæ principes, suis solis viribus sustinuit, ac rem inclinatam non solum erexit, sed in pristinam etiam dignitatem restituit: quod memorabile cunctis sæculis prædicabitur. Sociis enim armis tot Reges, tot Principes, Venetum adorti, omni pene terrestri imperio spoliarant, actumque aliis super aliis cladibus, de Rep. fuisset, nisi singularem ad adversa fortunæ constantiam, patres habuissent, collapsumque tandem erexere admirabili virtute imperium. Liceatque mihi hoc loco, quando scriptoris vel inscitia vel error manifestè deprenditur, ejus dicta refellere. Nam quum in Fr. Guicciardini commentarios Thusco sermone conscriptos, qui nuper in lucem editi sunt, fortè incidissem, multa in his parum veridice de rebus Venetis ab authore descripta inter legendum animadverti, præcipuequein ea oratione, quam scribit, Ant. Iustinianum Venetum Legatum, post Abduanam cladem, apud Maximilianum Cæsarem habuisse. Nam præter multa summisse, suppliciterque ut scribit à Iustiniano coram Cæsare explicata, illud mendaci vanitatè plenum addit, quinquaginta aureorum nummum millia, Venetos pollicitos fuisse Cæsari, in perpetuum census nomine solvere, ut pacem ab eo impetrarent: quod falsum utique est. Non enim perpetuo, sed decennio tantum donativi nominis ea pecuniæ summa oblata fuit, ut publico patet mandato, quæ commissi a nostris appellatur, quam ego diligenter perlegi, dum veritatis

ritatis hujuſcemodi indagandæ percupidus, publicas tabellas ex Archivis evolvo. Nec negare poſſum, magnam animorum conſternationem in Civitate fuiſſe. Pro tot Reip. adverſis, dubiiſque fortunæ caſibus, dum omnis Europa conjunctis armis furens, infeſtaque, in Venetum nomen debacchatur. Nullâ enim unquam ætate, nulliſque annalibus ſcriptum legitur, gentem unam in fœdiorem conſpirationem, potentioreſque hoſtes incidiſſe, quorum formidabili impetu Veneta res pene everſa corruit: vixque Romanus ille rerum Dominus, eorum arma ſuſtinuiſſet: non ſe propterea tantum civitas abjecit, ut nullâ habita publicæ dignitatis ratione pudendis pactionibus, verbisque indigniſſimis Venetum nomen deformaret, prudenterque à patribus factum fuerat, ad placandos Cæſaris, reliquorumque principum animos, tot eis civitates ultro reddere, pro quibus ab initio bellum ortum erat. Iis igitur ſponte traditis, hoſtibusque emollitis, quæ nam formido, animique abjectio Venetos impellebat, ut præter urbium alienationem, tantam auri vim in perpetuum ſuperbiſſimo hoſti penderent, & nomen Venetum mortalium ludibrio exponerent: Nulla præterea acrior neceſſitas, ſupremumve Reipubl. excidium imminebat, ut ea conſilia ignominiæ plena Veneti ſequerentur. Tentatáque eſt (neque id inficior) à Senatu cum Cæſare reconciliatio, iniquioribus aliquanto conditionibus ut qui in adverſa fortuna conſtituti ſunt, facere ſolent. Non tamen in hæc fœda, ac pudenda conſilia Patres animos demittere unquam potuere, quando ſalvum omne maritimum imperium ſtaret, terreſtris quoque ditionis aliqua pars in poteſtate adhuc noſtra eſſet, nec recuperandi imperij ſpes omnino deplorata exciderat: quod Deorum benignitate, conſtantique patrum virtute poſtea evenit. Adde id quod dilucidiorem prorſus cauſam facit, ne quis ullo modo addubitet, Guicciardinum manifeſto erraſſe, quum plane conſtat, Iuſtinianum legatum in Germaniam proficiſcentem, Cæſarem in conſpectum ſuum venire non permiſiſse,

fiſſe, nec victoria elatum alloqui voluiſſe. Itaque Iuſtinianus à Cæſare non admiſſus re infectâ in urbem rediit. Quo nam igitur pacto Guicciardinus, Scriptor alioqui clarus, hæc ſomnia effingit? audetque deſcriptis iniquiſſimis pacis conditionibus, humilique, & abjecta oratione conficta, Venetum nomen tam impudenter deformare. Sed hæc ſatis ad confutandam calumniam a nobis dicta ſint.

Hactenus Iuſtinianus, cujus locum cur conſulto prætericrit adverſarius, cauſam non video, niſi quod metuerit fortaſſe, ne ſi pluribus orationem hanc falſitatis argui lector attenderit, idque non modo nudo præjudicatæ opinionis auctoramento, verum ſolidiſſimis rationibus, ad id in medium allatis, ipſe quoque fidem ſuam non ita facile commodaturus ſit. Pergamus interea, deſpiciamuſque, ecquinam ſint Hiſtorici, qui circa rerum geſtarum fidem cum Guicciardino conſentiant. Eorum primus hic eſto Langius in Citiᵗenſi ſuo Chronico, atque eodem illo, quem noſter adducit, contextu. Illum ego eo libentius cito, ut appareat, ſubleſta fide agere adverſarium, qui mutilam periodum lectori obtrudit, ac nondum abſolutam, eo duntaxat commemorato, quo lædi res Venetûm poſſe, viſum ipſi; iiſque ex adverſo ſuppreſſis, quibus rei veritas innoteſcere, ac ſuo ſe robore libertas ſuſtinere tutarique queat. Langius ergo ſic ait. *Quorum multitudine & potentia Veneti vehementer arctati; tandem anno ſalutis* MDIX *ſe humiliantes, dexteras à Maximiliano petierunt, in ſignum ſubjectionis, annuatim magnam pecuniam certamque aureorum ſummam præſtare ſpondentes. Aſt Cæſar* (hæc quæ ſequuntur adverſarius omittit) *eos audire detrectabat, quos armis viribuſque ſubjugare propoſuerat. Fortuna autem fallente, Venetis Papa clam auro mediante conciliatis, & fœderatis, Cæſar in Italia Papa deſtitutus auxiliis, tandem & ipſe, licet invitus, ab eorum oppugnatione deſiit. Padua autem ante, & aliis urbibus Imperio recuperatis; licet ipſa, inſtabilis Padua,*

recedente Cæsare rursus ad Venetos defecerit, & ita tandem finaliter ipsi Veneti invicti mansere, flebile principium meliori fortuna secundante. Langiana hæc attente qui leget, nullo negotio deprehendet, adversari ea, ac quidem directe Guicciardini narratis. Langio comitem addamus, quem potius quam *Cuspinianum* ipsius Maximiliani medicum, ac Oratorem, quique invitante eo, atque adeo imperante, historiam suam conscripsit. ille ergo in vita Maximiliani. *Sunt deinceps à Maximiliano rege gravissima & varia gesta bella*, inquit, & paulo post, *Vt Veneticum, quod octavo anno post mille quingentos incœptum non sine suorum incommodo tractavit.* Quid autem verosimilius, quam Cuspinianum, rem tam notabilem (siquidem eo se Veneti unquam demisissent) memoriæ mandaturum fuisse? nihil tamen minus apud ipsum invenias, quin imo bellum illud non sine suorum incommodo tractasse Cæsarem ultro fatetur. Quæ de *Cuspiniano* eadem de *Carione* dicenda sunt, quem qui leget, jurasse eum in verba Maximiliani merito pronuntiet, adeo multus est in deprecandis insignibus in Maximiliano animi dotibus, tamque accurate vitam ejus & res gestas exequitur, ut nemini hac in re postponendus sit. Ille ejusdem Veneti belli originem progressumque dum pertexit, postquam Venetum exercitum dissipatum, prostratum, concisum, inque amnem Pachilionem actum, desiderata à Venetis novem millia, commemoravit, *his cladibus*, inquit, *Veneti affecti, inque difficultates rei numariæ, exhausto ærario, terrestrique Imperio omni perdito, conjecti maxima, pacem à Iulio Pontifice supplices petiverunt, qui cum sibi abunde satisfactum esset, ut Gallos Germanosque nihil de sua acerbitate remanentes Italia exturbaret concessa Venetis pace, Alphonso Ferrariensi etiam ut arma poneret imperavit.* Quid vero causæ futurum quis existimet, cur Pontifici magis, quam Imperatori supplices factos traditurus fuerit homo Cæsari addictissimus, Venetis minus æquus, Pontificem exosus? curve tam

insign

insignis facti gloriam, quæ non potuisset non tota ad unum Cæsarem spectare, maligne supprimere voluerit? Cæterum cum factos Pontifici supplices similiter asserant tres historici natione Galli, Arnoldus nimirum Ferronus, Bernardus Girartius, Haillani toparcha, ac Ioannes Serranus, qui eo ipso loco Venetam urbem *priscam Libertatis sedem* indigetat in vita Lodovici, ratio ipsa postulare videtur, ut iis potius assensum præbeamus, quam Guicciardino, quem sua, nullo auctore eadem tradente, chartis illevisse fateamur necesse est. Utique qui Guicciardino proximus accedit *Zethus* est *Calvisius* qui Maximilianum ait *Veronam, Vicentiam, & Patavium, urbes ad imperium pertinentes occupasse pace* (abest ea longe à tam propudiosa supplicatione) *quam Veneti offerebant* (non emendicabant saltim) *repudiata*. Audiamus quæ de fine belli illius habet idem Calvisius. *Maximilianus*, inquit ille, *Imperator, Gallis Mediolanum erepturus, deseritur à militibus quibus stipendia persolvere non poterat, & occasionem Venetis præbet, Brixiæ recipiendæ, & Veronæ obsidendæ, qua Venetis deditâ, finis tandem bello Veneto impositus est, in quo Veneti omnibus præliis victi, sapientia & tolerantia in malis effecerunt, ut victores belli fierent*; his addi *Sleidanus* postulat, qui Maximilianum inter cætera multa, cum Venetis gessisse bella lib. de quatuor summis imperiis tertio narrat, ac eadem ipsa pagina, Venetos *libertimos, & ab imperio Romano plane sejunctos* pronunciat.

Superadjungi possent & ea quæ de Venetis Munsterus, Scraderus, & alij commemorant, nisi ea jam ante, ubi de Pipini in Venetis expeditione tractavimus, à nobis essent allegata. Hactenus utique vidimus non solum esse Baptistam Leonem, qui falsi arguat Orationem Guicciardini, vidimus alios etiam auctores, longe ab illo diversos abire. Reliquum est, ut argumenta Leonis, & ad ea quæ Anonymus respondeat, despiciamus. Leonem ecquid ex fide citet nec ne,

quandoquidem eum nancisci hactenus non potui, in medio relinquam; ac largiar ultro, vera esse quæ allegat; quin imo fatebor, neque in adversarium iniqua suspicione ero minus æquus. Rationes quibus Leonem motum refert hæ sunt, Iustiniano nunquam in mandatis fuisse datum, ut istiusmodi conditionibus pacem ab Imperatore deprecaretur, quin si fas foret publici juris ea facere, quibus ipse instructus id temporis erat mandata, probari cuivis posse de facili, non ea intentione pacis ab ipsis promotum fuisse negotium, ut omnino belli gerendi curam supponerent. Imo vero etsi istiusmodi quippiam mandati tabulis fuisset contentum, nunquam tamen Iustiniano factam fuisse copiam Imperatorem alloquendi, sed Tridenti subsistere coactum: hujus actionis sive orationis neque volam neque vestigium in aula Cæsarea reperiri, quin imo ex adverso literas quibus fidem sibi præstruere Legatis mos est (nos credentiales vocamus) authenticas ipsas etiamnum existere apud Antonij Iustinian hæredes, quod tamen impossibile foret, si quidem habita istiusmodi fuisset oratio, utpote quæ in Archivis Cæsareis fuissent asservatæ. Eadem hæc, sed modestius aliquanto Parutam tueri, adversarius narrat, quibus ut occurrat Leonis Parutæque argumentis, ac Guicciardinum ut tueatur, eum à fide commendat, & à veritatis exacto cultu, quin, inquit, si falsa forent quæ scripsit, non passuros fuisse Venetos, maculam illam ipsi inuri, totiensque prælo subjectæ evulgatæque cum sint illius historiæ, atque insuper quoque in ipsa Venetorum urbe, quis, ait, credat, Venetos, qui circa vibratum in ipsos excommunicationis fulmen, accurare potuerunt etiam minuta nonnulla; in re tam arduâ, usque adeo supinos fuisse, ac, non potius illud acturos, ut exemplum istius orationis premeretur? aut si dare lubeat, tam profundo veterno oppressos elanguisse, cui fides fiat, ipsius Iustiniani

niani posteros, viros domi forisque magnos, & in alta luce versantes, nisi vera essent quæ dicta sunt, silentio transmissuros, tam grandem contumeliam, quæ cognatos maneis, tot jam annis presserat, prematque etiamnum? Addit deinde, Guicciardinum nihil hic de suo adjunxisse, sed de verbo ad verbum è Latino in patrium sermonem transtulisse. Ea porro quæ Guicciardinus narrat, convenire ijs, quæ à Paulo Langio, Tuberone, Dalmata, Andreaque Mœcenico tradita sunt, notatque coronidis loco Leonem, ut Guicciardino minus æquus qui sit, eiusque traducendi studio, justo plus indulgeat. Quibus itidem ego ut respondeam ingenue dicam, durum mihi comprimis videri, & ab ingenuo homine alienum, temere supiciones, quibus falsi quis insimulari possit, in animum dimittere, ijsve indulgere, sed & hoc me scire, quæ verosimilia non sunt ea falsitatis speciem, præ se ferre. Salubriter magnus ingenio, major virtute *Grotius*, meminerimus, hortatur, *Non omnia probare quæ quamvis à preclaræ famæ auctoribus dicuntur, sæpe enim tempori, sæpe affectibus serviunt, & aptant τῷ πίτρῳ ῥυθμὸν. Danda opera ut defecato utamur judicio, nec quæ excusari magis quam laudari possunt, temere in exemplum rapiamus, in quo perniciose errari solet. De Iure Bell. lib. 1. cap. 3. nu.* 5. Me quod attinet, absit ut in memoriam viri illustris, historicique magni nominis, judicando peccem; possunt rationum pondera citra calumniæ morsus librari; ac nec æquitas sinat famæ dispendio mulctatum velimus, quem constans Doctorum provexit favor, posterisque virtus commendat & eruditio. Cæterum ut nemini tam constans in affectus suos est regnum ut non alicubi amori cedat aut odio, præsertim sicubi circa ea versatur, quæ domestica sunt aut propria, aut aliquo prorsus modo non aliena, ita & in Guicciardino, notatum Lipsio, succubuisse nonnunquam, atque huic animi affectui imparem, odio vela laxasse. Ita Lipsius.
Fran-

Franciscus Guicciardinus prudens peritusque scriptor, & qui tales lectores suos facit, liber est & verax, ab affectibus immunis, si tamen ab odio quod tamen retegere haud semel mihi videtur in ducem Vrbinatem, &c. Quod de Vrbinati duce Lipsius, idem & de Venetis nobis optimo jure usurpari posse demonstrant, evincuntque illa Petri Iustiniani superius transcripta, ac ut de Iustiniano nihil dicam, ratio ipsa ostendit satis, evincitque hîc integrum ejus haud reputari posse testimonium. Si quid in Vrbinatem Ducem eum extimularit inquirimus; Veneti eum belli ducem suum crearant, ei oppositus erat Guicciardinus utpote Ecclesiastici exercitus sub Leone ac Clemente (quorum uterque Vatiniano ducem odio prosequebatur, belloque petebat) primus à duce, carus interim conjunctissimusque utrique pontificum, ita ut mirum non sit, calami aciem in eum strinxisse, in quem gladij mucronem indies stringeret. Eadem in Venetos odij causa; nempe patria Florentinus, & primi nominis inter nobiles ejus reipubl. ac sic quidem ipsa origine Venetis æmulus adversusque, ijs temporibus belli historiam scribere exorsus est, quibus ob acceptas bello Pisano à Venetis clades cane pejus & angue Venetum nomen oderant Florentini, & remis quod ajunt, velisque, eo annitebantur, ut quoscumque possent, ac quibuscumque modis in Venetos impellerent. Ita ut mirum non sit, quæ Florentinos, quæ potissimam Italiæ partem abripuerant egerantque transversos, concepta in Venetos odia, eadem quoque huic scriptori offecisse, quo minus aut verum perspexerit, aut perspectum, qua par erat fide, ad posteros transmiserit. At inquit hæc falsa si fuere, cur ea totiens evulgari passi sunt, cur non tolli curarunt aut supprimi? Dicam cum Philosopho, *Magni animi est injurias despicere, ultionis contumeliosissimum est genus, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. Multi leves injurias altius sibi demisere, dum vindicant. Ille*

magnus

magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canium securus exaudit. Recte ut judicemus, moderatio hæc eorum fuisse dicenda est ac sapientia. Quis tamen id Venetos scivisse probaverit? quis scire voluisse? notum illud ejusdem Philosophi, non *expedit omnia videre, omnia audire* (jungamus nos, omnia scire) *multæ nos injuriæ transeant ex quibus plerasque non accipit qui nescit.*

Neque ulla sane tanta potentia est, in quam injuria non incurrat, titubante præsertim fortuna, mortalibusque ad illam ut plurimum conversis: neminem fugit, *injurias si spreveris exolescere, sin irascaris agnitas videri.* Ac mihi nec alium quoque hac in re Veneti taciturnitatis suæ finem habuisse videntur, quam quod illud sibi cavendum ducerent, ne infausto isto abortu obveniret quod libris Cremutij Cordi, quos ut autor Tacitus *annal.* 4. per ædiles cremandos censuere patres, *sed manserunt occultati & editi,* & ut alter ille, *leguntur, florent in manus hominum, in pectora recepti, vetustatem nullam timent: at illorum carnificum cito scelera, quibus solis memoriam meruere, silentio suppressa sunt.* Pulchre idem annalium scriptor, *in Vit. Agr. socordiam eorum irridere lubet, qui præsenti potentia credunt extingui posse sequentis ævi memoriam; nam contra, punitis ingenijs gliscit autoritas, neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere.* Accedit, quod ea ipsa, quam per tot clades, tot damna, tot sudores asseruerant libertas, diuque pressa, ast nunquam oppressa, quin pulchrior ipsa indies enitescens lætiorque, insigni admodum argumento erat, ac vel sola, longe alium rerum statum fuisse, majoresque animis eorum insedisse spiritus. Nempe & publicis testimonijs sancita virtus, humile detractionis venenum non est quod reformidet, ac neque calumniæ latebram invenias aut perfugium, sicubi veritas eam in lucem protrahat, protractam gestarum rerum evidentia confundat. Qui re-

 spon-

spondendi mihi principium Philosophus dedit, idem responsum terminet, *Quidquid quale sit voles scire, tempori trade, nihil diligenter in fluctu cernitur.* Ipsos Iustiniani adfineis, cognatos, posterosque præposteri silentij quod incuset, qui si non fuissent sibi conscij esse quam verissima, quæ à Guicciardino narrantur, omni dubio procul confutassent tam insignem calumniam, certe æquis animis neminem laturum confido, qui quanta fiducia, quantis rationum momentis, quam exacto circumstantiarum examine, ψευδολογίας in illo vanitatem demonstrat Petrus Iustinianus, ex loco quem mox transcripsimus, recordatur. Ac miror ego cur Anonymus ex hoc silentio quid ad causam suam præsidij accedere posse speraverit, cum met ipse Iustinianum eodem libro qui citat pro se, non potuerit non videre hanc illius παρέκβασιν extra Historicæ narrationis filum. Nimirum aut credidit nemini historiam Iustiniani venturam in manus, perpetuamque mendacijs suis caliginem obtendendam, aut ita corruptum præjudicijs illi judicium, ut quæ facta novit, infecta velit, quo vel saltim eo pacto, animi morbo satisfaciat. Addam hoc, nec (ut arbitror) male, mirari me, ac mecum omnes quibus ea mens est, contemptu famæ virtutes contemni, cur cum virorum illustrium quosque doctrinæ laudes conspicuos reddidere, Guicciardinorum familiæ semper abunde fuerit, toto jam sæculo nemo repertus sit, qui Iustiniano calumniam suam (si quidem id nomen in justissimas veri vindicias cadit) reposuerit, quamque Historiæ maximi cæteroquin viri labem asperserat, deletrice spongia absterserit; nisi & hoc verum sit, à Guicciardino orationem hanc operi suo insertam fuisse, non quidem pro ut habita fuerat, verum ut haberi potuisset. At, inquit porro adversarius, demus luxuriasse in verborum contextu stylum scribentis, (quanquam nec hoc pote, cum nullæ ea oratione in-

parteis

parteis fuerint Guicciardini', quam de verbo ad verbum transferentis, non fiet tamen verosimile cuipiam, quum ea quæ orationis substantialia sunt, cujus generis sunt quæ de persolvendo tributo, deque agnoscendo in verum ac legitimum domino Imperatore tractantur, alij similiter confirment. Sed & hoc jam ante nos vallum superavimus; telumque adversario excussimus è manu, planeque usurpare fas mihi sit

Tenue mendacium est, pellucet si inspexeris.

Langium, quem pro se adducit, ostendimus fide Punica, planeque sublesta, ab ipso mutilum citari, ejusque auctoris verba, ut nos ea ex fide transcripsimus, pro ut inter sese ea cohærent, totumque evolvunt sensum, directe contrarium probare. Ludovicum Tuberonem Dalmatam, an ex vero, an pro more suo corrupte citet, non dixero; neque enim ille mihi aut visus est unquam, aut, nisi apud unum Anonymum nomen illius audivisse me recordor: Interim recte locum si inspicimus, tantum abest ut in consonantiam cum Guicciardino duci possit, ut potius frontibus adversis ea quæ scribit repugnare narratis Guicciardini sit dicendum. Sic (Anonymo referente) Tubero. *Magis veteris Romani Imperij Majestatis*, (Maximilianus) *quam suæ fortunæ memor, & ob hoc elatior, aditum Venetis negavit, permisit tamen mandata quæ protulerunt scriptis edere, quæ hujuscemodi fuisse dicuntur, Venetos amicitiam & societatem cum Maximiliano jungere velle, eique omnibus Italiæ urbibus totoque continente cedere, polliceri insuper, quinquaginta millia nimirum aureorum in singulos annos perpetuo se pensuros, modo ille adversum Gallum arma sumat.*

Hæc inter se componere si cui lubet, quam adversarius ex allegato Guicciardini loco subjectionem eruit, apud Tuberonem, minime reperiri fatebitur. Ac nec illud inter se.

conciliari queat, quod de Legatis aditu ad Imperatorem exclusis Tubero, de admissis tradit Guicciardinus. Tum vero fœderum & societatis injecta mentio, ac quinquaginta millium quotannis dependendorum facta sub conditione promissio, nempe modo ille (Maximilianus Cæsar) in Gallos arma sumeret, aliam rerum faciem, motus animorum item alios fuisse, quam Guicciardinus præfert, evidenter ostendunt. Verum de his postea. Tuberoni Mœcenicum adjungit, scriptorem Venetum, quem ipsum quoque mihi videre non contingit, cæterum quid ferat audiamus. *Regi Romanorum tradita est urbs Verona, Vicentia, Tatavinum, Ne Galli hostes ulterius progrederentur, & amplius quantum rex Maximilianus ipse volebat, tantum dabatur, assidue precando & obtestando, dum res Venetæ adeo periclitantur, quibus semper usus esset valde familiariter, & semper uti posset, ac si res suæ essent, ut rem suam probe prospiceret, an suarum rerum hostis an amicus accederet.* Quid vero hinc collegat noster, missosne legatos? Tacet Mœcenicus. admissos? nihil tale dicit: tributum obtulisse in subjectionis argumentum? nec hoc quoque apud ipsum reperias. Si recte sentire liberum est, non aliud Mœcenici evincat locus, quam res Venetorum fuisse id temporis in arctum redactas, neque est mortalium ullus id qui neget, cæterum ut sunt illa Pompei apud Lucanum post cladem Pharsalicam,

—Non sic mea fata premuntur
Vt nequeant relevare caput—

Idem de se Veneti non verbis, sed factis toti terrarum orbi testatum fecere. His pessime qui vellet, nihil ex eo desumat colligatve, quam voluisse eos, prout est omnis expediendæ salutis honesta ratio, quæ amissuri erant, ultro largiri. Cæterum dandum est hoc ac assignandum Patrum Venetorum prudentiæ. Sic olim de Hadriano Spartianus,

omnia

omnia trans Euphratem & Tigrim reliquit exemplo (ut dicebat) Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia retineri non poterant. Vt apud Nonium Titinnius: *Gubernator torquet navem sapientia non valentia*, Si laxatis compagibus multam undique aquam trahit, occurrit primo, aliam excludit undam, aliam egerit, manifesta foramina præcludit, latentibus, & ex occulto sentinam ducentibus continuo labore resistit, nec ideo intermittit, quia quantum exhaustum est subnascitur, quæque nondum desinere videt, ne vincant cavet, ad extremum superantibus ac artem industriamque vincentibus malis prudenter cedit, ac vel jactura, naufragium si timet, quidquid servari potest redimit. Probabit hæc & his similia quæ sunt in Venetis laudabitque qui alternanteis humanarum rerum viceis, qui occasionum momenta ponderare norit. Cuique proinde Princeps, Respublica, Ductorque placebunt,

Qui non præcipiti rapiat simul omnia casu,
Sed qui maturo vel læta vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu tumidus, spaciumque morandi
Vincendique modum, mutatis noscet habenis.

Pulchre Tacitus hist. 2. videndum esse quo hostis imprudentia ruat, alienamque stultitiam operiri prudentiæ loco esse, prudenter monet. Saluberrimo patres consilio eam ingressi sunt viam, quæ ad avertendam invidiam, ad conciliandum sibi favorem, ducere videbantur, quodque caput est rei, ancipiti repub. imo ut multi verebantur jam jam lapsura, & in præcipitium devexa, ad avellendum à fœdere Maximilianum, nec non ad jacienda inter fœderatos, velut Eridis in medium projecto pomo, discordiarum semina, ipsos-

que tandem inter se committendos, suisque met diffidiis inultionem relinquendos. Ex adverso abdicare à se Libertatem suam tot sæculis non deperditam voluisse, ex eo loco nemo colligat. Ac sic quoque visum hactenus nihil agere adversarium, qui ab aliis itidem historicis Guicciardino consentanea tradi affirmat; Cætera quæ sequuntur isto §, Venetos non tangunt, sed in unum Leonem directa, ac quatenus per Leonis latus Venetos petere videri queat Anonymus, commodius mox tractabuntur, ac suo item loco, cum ad examen rationum, quas hinc Leo contra Guicciardinum, inde contra Leonem adversarius adducit, ventum erit.

Dixerat, ita referente Anonymo, Ioannes Baptista Leo, nunquam in mandatis datum fuisse Iustiniano, ut ea quæ supra è Guicciardino citata sunt, Imperatori reipub. nomine offerret. Atque his etsi negativæ suæ probandæ nulla cum necessitas adstringebat, addit tamen Leo, eodem ita referente, tabulis mandati nihil tale comprehensum fuisse, quas evulgare earumve contenta referre si liceret, è vestigio illas planum facturas, quam nunquam tali mandato Venetorum orator fuerit instructus. His cum adversarius in modum respondet, verosimile non esse, Iustinianum mandati limites (neque enim id impune legato in negotio tam confragoso) excessurum fuisse. Mandati tabulas evulgare quod detrectet, suspicione non carere; aut enim eas id ipsum de quo nobis discursus est aperte continere, aut si non contineant, secretioribus mandatis, iisque seorsum traditis, instructum fuisse. Dixerat item Leo, nunquam Iustiniano factam copiam Imperatorem salutandi. Respondet noster, nihil impedire, quo minus acta ea fuerint coram ijs, qui Cæsari erant à Consilijs. Cæterum distinguenda hic esse tempora, quandoquidem ex annalibus constet, iterato Iustinianum ad Imperatorem ablegatum fuisse.

Primæ

Primæ legationis meminisse Bembum, dum ait. *Latum etiam ut Antonius Iustinianus qui Cremam legatus à senatu lectus proficiscebatur ad Maximilianum recta contenderet & pacem quantumvis duris conditionibus faceret, Tergesteque oppidum & portum Naonis reliquaque municipia quæ respub. ex ejus ditione superiore anno ceperat Senatum ei paratum esse restituere, ac quæ oppida ex Romanorum Imperatorum ditione, in Carnis, & Gallia, & Venetia, Resp. possideret, ea se illi omnia tanquam accepta relaturam renuntiaret.* Hanc etiam illam esse legationem, de qua Guicciardini verba sunt intelligenda. Secundam legationem quoque eundem obiisse Iustinianum, cujus & mentionem faciat, solius quidem, cæterum Petrum Iustinianum ei pro comite adjungere Aloisium Mocænicum, cujus hæc sunt verba. *Missique Aloisius Mocanicus & Antonius Iustinianus, y pariter nec admissi nec auditi à Cæsare.*

Ac primam legationem quod attinet, Bembum quidem narrare Anonymus ait, à Tridentino Episcopo Iustinianum, (eo quod anathemate esset ictus) jussum fuisse subsistere, sed non id affirmare tamen ausum, quod Leo affirmet, eum non penetrasse postea ad aulam Cæsaream. Cæteroquin Bembo quoque contraria iis quæ à Guicciardino narrata sunt, adfirmanti, tantam haberi fidem neutiquam debere, ut non meminerimus simul, errare eum potuisse, imo etiam (ut exemplo Albani Armerij, in quo Bembum Petrus Iustinianus erroris redarguit, constare ait) errasse. Ac sic denique, quod adfertur de exclusione Legatorum, intelligendum de posteriori illa, de qua idem Iustinianus, alijsve quibuslibet, cum nullum id temporis orandi supplicandive finem Venetos fecisse, ex verbis illis Antonij Mocænici, nimirum *assidue precando & obtestando*, quæ mox recitavimus appareat. Si quis tamen hæc ipsa pressius consideret, nullo negotio animadvertet principii petitione hic denuo Anonymum peccare. Probandum id ei foret in antecessum, factam fuisse Iusti-

niano

niano copiam Imperatorem adeundi, illud probare si potest, largiar haud gravatim, credere me, non fuisse mandati fineis transgressurum, sed hic ei aqua ut hæreat necesse est, neque enim ullus est mortalium, huc usque qui scripserit, Iustinianum in Imperatoris prodijsse conspectum; idipsum quantisper non liquet, qui bono ut ad præsumptionum divergia confugere velimus? Est ergo, ut hoc in vestigio pedem figat necesse comprimis, eundem retro si fert, vel se judice causa cadat. Quis enim credat principis consiliarios in tanti momenti res sese intromissuros, aut cum ijs quippiam acturos fuisse, quos odij publici piaculareis quodammodo victimas, à summo Pontifice devotos diris, ac potentissimis orbis Christiani Principibus bello petitos, & viribus non leviter infractos, animadverterent? Eccui fides fiat, dupliceis Legato mandati tabulas fuisse datas, non aliter ac si præsago dictamine antecapere patres quivissent, ea quæ Cæsar dignoscere recusaret, à Consiliarijs tractanda? Nemo opinor adeo rudis est, ut nesciat eorum quæ principi revelata communicataque sunt, exactiorem subinde penitioremque dicussionem, consiliarijs demandari, ast vero ea ut tractent, probent, firmentve consiliarij, Dominis invitis ac contra nitentibus, quæ propalam norunt irrita atque ingrata futura, itidem credat nemo. Ac tandem, ut quam paucissimis quod in manus suscepi absolvam, duo notari desiderem. Primo, nimirum, quæ asserit, adversarium non probare, probari vero contrarium; ac sic contra probationum evidentiam circa præsumptioneis frustra laborari. Secundo, malâ fide agere Anonymum, qui Bembum incuset, quod perplexe rem tradat. Quod ut à me recte candideque dici constet, Ita Bembus *lib.* 8. *Antonij etiam Iustiniani literæ ex Alpibus datæ Senatum certiorem fecerunt, Tridenti Episcopum se audire noluisse, quod diceret aqua & igni interdictorum sermonem*

monem atque aditum esse defugiendum, itaque paucis post diebus, cum nihil impetrare potuisset, Senatus permissu domum rediit. Quibus verbis nihil clarius apertiusve dici posse omnino certum est. Sic Laconum Legatum Pericles, quod ab hoste armato veniret extra fineis agri Attici dimisit, *Thucydid lib.* 11. sic Senatus olim Romanus Carthaginiensium Legatos admittere sese negavit posse, quod esset eorum exercitus in Italia. Liv. lib. 41. Corruit ergo per hæc ipsa quæ diximus anxia ac magno molimine stabilita adversarii distinctio. Quorsum enim tempora legationum distinguamus, si jam ante certi sumus, neutra legatione Imp. eos ad se admisisse? Primam si spectamus, confundit Anonymum authoritas Bembi, si secundam, Iustiniani, si legationum aliquarum, præter binas illas, recordatur ullus scribentium, dubio caret, probare adversarium debere, ullo belli illius, quod ad Iliaci diuturnitatem quam proxime accessit, tempore, Cæsarem legatis ad se ut accederent permisisse; hoc non probato, ridiculum sit, ubi principium adeundi non fuit, eorum quæ facta sint progressum describere. Recte Poëta.

In fabrica, si scæva est machina prima,
Cætera mendose fieri, atque obstipa necesse est.

Venetis acrius etiamnum ut insultet, Guicciardini narrata defendat, ac penicillo velut adumbret miserandam reipub. conditionem, nonnulla citat ex oratione Ludovici Heliani, Gallorum legati, quam ille anno supra millesimum quingentesimumque decimo Augustæ in consessu Germaniæ procerum habuisse dicitur. Sunt autem talia. *Ecce*, &c. *quomodo veniunt, audentque lugubri veste, torto collo, flebilibus oculis, submissaque voce poscere*, &c. *nunc audent dicere, vultis ô Principes Venetiam alterum Italiæ oculum effodere, penitusque delere, non est tam clementium*

mentium Principum, &c. Clamant jam nunc &c. quid fecimus, quid commeruimus, &c. Addit porro non dicturum fuisse virum tantum, talique in consessu, inque re nemini ignota, vel tantillum, quod à veritate rerum gestarum dissonum foret, Quid tamen credi hic debeat aut non credi in medio relinquam. Novit ipse adversarius, noverunt omnes qui mediocriter in historijs versati sunt, tot tantisque mendacijs orationem istam scatere, ut eorum neque finem neque modum in illa sit reperire; adeo quidquid livor excogitare, quidquid invidia suggerere, quidquid splendida bilis subministrare, denique quidquid evomere calumnia potuit, injuriarum, maledictorumque, in illam orationem tanquam commune receptaculum confluxere. Angiæ citius stabulum quis purget quam diras, quam calumnias, ac præter veritatem dicta inde exterminet. Ipse Anonymus orationem verè Philippicam vocat, omnia, nec male, eo nomine comprehendisse sibi visus. Ipsum Helianum quoque verba protulisse non sua judicarunt ipsi Germani, inter cæteros cujus illa beneficio lucem videt oratio Melchior Goldastus Harminsfeldius, sub finem illius, sic ait, *His & multis alijs memoratus orator Gallus in Venetianos fulmina sui detorquere sermonis, maximo quidem enitebatur studio, sicuti manifestè patet omnibus illos reddere odiosos & principum armis conterendos: Quod quidem non tam sua sponte quam Ludovici Gallorum Regis jussu fecisse putandus est. Sic enim in orationis suæ principio dicit, ego qui multos defendere, neminem lædere consuevi, in has angustias deductus sum, ut aut ab officio Legationis sit recedendum, aut de improbitatibus, de dolis, de male meritis Venetorum necessario non sine magno dolore mihi sit dicendum.* Tantum vero abest ut consentanea hæc dici queant narratis Guicciardini, ut omnino contrarium ex illis inferre liceat. Nullam Helianus subjectionis, nullam tributi mentionem facit, nullam superioritatis Imperatoriæ confessionem, verique

rique ac legitimi dominij delationem, nullam denique observantiam Deo proximam, quam Venetos Guicciardinus ait Imperatori exhibere paratos, ille commemorat; imo id agit potius, *cum jam illi* (verba sunt ejusdem Heliani) *cum quatuor Christianorum potentissimis Principibus de summa rerum ausi sint decertare ac ne victi quidem possint quiescere, ut denuo conjuratione facta conterantur exscindanturque stirpitus.* Hoc ut obtineat, omnem lapidem movet, ima summis permiscet, cœlum terræ. Adversarium hic testem vocare possum, quo tempore Heliani habita fuit oratio, Venetos jam tum magnis animis in id ut se sibi, suæque dignitati, splendorique pristino adsererent, incumbentes, dignos virtute sua progressus fecisse, inimicisque suis non exosos minus, quam formidabiles. Ac nec ipse negare possit, ut fere semper, fide non optima, hæc sibi dissimulari; nec petendum nobis aliunde, quam ex hac ipsa Heliani oratione, testimonium. Fidem Anonymi quod attinet, statim ille à primo loci quam transcripturus est verbo chasma facit. Ecce, &c. quomodo veniunt, tota vero inter se verba cohærent. *Ecce post tanta in rem vestram pub. perfidorum scelera commissa, quomodo veniunt audentque lugubri veste, torto collo, flebilibus oculis, submissaque voce poscere, qui superioribus diebus comprehensi sunt cum scalis & exercitu magno ausu sub mœnibus Veronensibus, ut urbem noctu invaderent & præsidia vestra jugularent*, & quæ sequuntur. Rerum Venetarum statum si considerare juvat, statim ab orationis initio, *Magna eorum*, inquit ille, *potentia est, nam eos qui æstate præcedente quatuor potentissimos Principes Christianorum in patentibus campis expectare sunt ausi, & collatis signis aperto Marte dimicare profecto potentissimos homines æstimare & judicare debemus*, Sed jam sunt victi, *sunt diminuti ideoque facilius poterunt extingui quam si essent integri. Sed nisi vestræ ô Principes peregrinentur aures, intelligere debetis quid jam recuperaverint, ut se jam refecerint: Quod si eos paululum respirare permiseritis,*

 ut hanc

ut hanc unam calamitatem evadant, vereor ne crabrones (ut ajunt) irritaveritis, nisi ergo hujus venenissimæ ac surgentis viperæ, dum adhuc titubat, cerviceis perfregeritis, prædico vobis, si non tam cito, at profecto quandoque tamen, & si non vos, vestros certe successores, suo veneno inficiet ac spiris circumdabit. Ac ut ipsas quoque Venetorum legationes attingam, audiamus & de his dissertantem Helianum. *Deligunt ex callidissimis & versutissimis Senatoribus Oratores, quos cum retibus, hamis & visco peregre mittunt, non ad pisces aut aves irretiendas aut inescandas, sed ad fallendos & decipiendos Principum animos. Tot & tales sunt laquei Venetorum, quos Principibus miseris parant, ut enumerare eos nemo queat, quin etiam nisi cautus evadere.* Iungat, nec invideo Guicciardino, Helianum Anonymus, est interim quod serio sibi gratuletur Venetorum libertas, illam temporis filiam, quæ maledictis calumniisque diuturnum haud esse patitur imperium, in hac ipsa causa tantum fuisse. Vt ut in omnes formas se vertat adversarius, non faciet tamen, inter se illi ut conveniant, aut si quid illi inter se consentire dicantur, multum ipse suis illationibus, quas ex Guicciardino formavit est detracturus. Et sic quidem quæ maxime adversatura scriptorum testimonia videbantur, sibimet ipsi contraria reperta sunt atque adversa, quibus ipsis, siquid deferendum videbitur, erit id omne pro Venetis militaturum, quorum non exiguo bono, vel hostilibus testimoniis rerum gestarum fides posteritati, quæ suum cuique decus repensura est, commendatur.

Dixerat Leo, cum in Germania degeret, illud diligenti perquisitione sibi compertum, nullam illiusmodi mandatorum tabulam, aut orationem quoque, in archivis imperialibus reperiri. Hoc ipsum, risu Anonymus dignum ait, nec responsum mereri, authoremque se esse Leoni ne Germanorum ingenia per se sat ignea promptaque lacessendo,

equum

equum, quod ajunt, in planiciem. Bona fide, mihi qui sic respondeat, ipse ridiculus esse videtur Anonymus, ac expediat velim, ecquis unquam legatus fuerit absque literis (ut vocantur) credentialibus? quis unquam nomine Principis Reipublicæve apud extraneum Principem Remvepub. aliquid negotii aggressus sit explicare, qui non primo fidem fecerit se sufficientibus instructum mandatis? est revera mandati fides agendi Principium, eodem mandato firmantur ea, quæ tractanda veniunt, neque alia utrimque eorum quæ tractata sunt rata fore securitas, quam mandati tenor; cujus limites si non excesserit mandatarius, mandantem obligatum habet, qua sibi, qua illi, ad quem missus est; peccet in communem sensum qui credat absque prævia mandati inspectione Cæsarem Cæsareosve Consiliarios quid occeptaturos fuisse, aut non fuisse asservaturos quoque, quidquid id fuisset literarum. Ridiculum sane, cum vel levioribus in rebus mandata requiri, attendi, servarique soleant, id lectori persuasum velle, Cæsarem ipsum, ejusve ministros tam supine oscitantes fuisse, in tanti momenti re, nempe ubi de fine belli agendum erat, eaque tradenda veniebant, quæ ut consequi posset, totum orbem Christianum Cæsar, in Venetos animare, armareque tentaverat. Certe Germanos lacessere haud voluit Leo, veritatem asserere voluit, sibi duplici nomine cognitam; sciebat nempe & originarias literas sive authenticum ipsum mandati tabularium, asservari penes ipsius Iustiniani hæredes, & simul nullum illius exemplum in Cæsareis archivis reperiri, probe erat edoctus; fidenter dicam, Germanos ipsos fateri vera esse quæ Leo affirmat, quod si cui inficiari lubet, onus in me probandi ultro recipio. Veritatem effari, suppressam in lucem reducere, si lacessere Anonymo est, esto, lacessit omneis omnino mortaleis Leo, nec hilum timet, ne quis ad revocandi metas hæc astruentem compellat.

Omiſſo Leone in Parutam denique incurrit, quem inquit ad hanc orationem pro objectione moviſſe veroſimile ſibi non videri, hæc ita ut Guicciardinus vult ſalvo Venetorum Imperio maritimo, re pecuniaria non admodum imminuta, eoque urbis ſitu, aut ſponte aut vi cogente unquam obveniſſe. Parutæ Mocœnicum opponit, nec non & Bembum, prior ait *Patres Libertati ſuæ timuiſſe, trepidaſſe magis quam conſuluiſſe, fuiſſe conſternatos, voluiſſe aliquando de pace etiam cum Gallis agere, ſi modo loquendi apud quempiam facultas eſſet. Sua intereſſe putaſſe, quoquo modo, confractis rebus, tantos Impetus comprimere atque omnibus modis pacem amplecti velle.* Poſterior, *veritos patres, ut omnis Italiæ continentis pars, quam tenerent ipſi, à Repub. deficeret, ad urbem tuendam & commeatibus claſſibuſque muniendam animum adjeciſſe.* Item alibi, *ab ea cogitatione haud longe abfuiſſe ut urbi ſuæ timendum putarent.* Item, *decem viros legiſſe qui adhibitis peritis hominibus vada inſpicerent urbana, ut aditus ſi qui eſſent apertiores caſtellis munirentur.*

Iam ante etiam Anonymus dixerat Parutam indignatum fuiſſe quidem, quod quis dixiſſet actos fuiſſe ad deſperationem patres, ſed & ipſum quoque, non alio quam deſperationis, ubi hac de re ſermonem inſtituit uſum vocabulo. Vt reſpondeam, primum illud noto, neque Mocænicum, neque Bembum nec Anonymum, nec ullum denique negare, vera eſſe quæ Paruta dicat; ſalvum fuiſſe imperium maritimum, ærarium fuiſſe non exhauſtum omnino, multumque in ſitu ipſius urbis præſidij. Maritimum imperium quanti momenti Venetis habitum ſemper fuerit, teſtentur illa quæ graviter fuſeque apud Bembum lib. 8. hiſtoriarum Dux Lanredanus diſſerit, quæ quoniam latius ipſe quoque Paruta proſequitur, quamquam videri poſſint multum ad rem facientia, non tranſcribam. Videat & cui ocium eſt de viribus ærarij Veneti Bembum, non uno loco. Conſtat illud, etiam rebus multum duris, patribuſque in ejus curam ſollicitis,

licitis, etsi jam undecim millia librarum auri in bellicos sumptus essent impensa, mansisse inexhaustum ac ferendis oneribus suffecisse. De situ urbis non est quod dicam quippiam, norunt omnes, urbem vadis undique obsessam, neque à justis classibus, neque à terrestribus exercitibus adiri se permittere, nempe eo situ, eaque loci naturâ, ut sibi ipsi ni deesse vellent Veneti, nemo eos cogere posset. Quis vero eo rerum statu verosimile sibi videri dixerit Venetos qui per tot rerum discrimina, tot prospera, tot adversa inoffensam libertatem ultra millesimum sæculum conservarant, adeo servili abjectoque animo fuisse, ut eam non abdicare modo à se sustinuerint, sed vel invitis obtrudere. Certum ex adverso est, imo certissimum patres tot armis, tot motibus rerum circum circa frementibus, tot imminentibus undicumque periculis, nec allisisse virtutem suam, nec abscondidisse, nec eam evilescere passos, cujus quo miserius, eo certius documentum, habebant circumferebantque. Quid vero nos moratur quo minus ad ipsa rerum testimonia recurramus? Eodem illo tempore, constat ipsos Patavium recuperasse, eà, quæ fidem superet, celeritate, munijsse, Cæsaris exercitum, ad urbis illius obsidionem solvendam compulisse, ita Cæsaris vireis fregisse, omniaque elusisse molimina, ut deberet sibi, deberet fœderatis ludibrium; quin ipsum denique Cæsarem eo redegisse ut primis induciarum (quas nec obtinuit) mentionem injecerit. Constat illos Saravallem expugnasse, sibi asseruisse mascula prorsus virtute Tarvisium, progressus longe maximos fecisse, in recuperandis urbibus, in Vicentino comitatu, ac Foro Iuliano tractu sitis, ut iam cætera quæ adversum Ferrarienses fortiter gessere præteream, testantur id, illa ad Padum ac ubi non denuo? viriliter ab ipsis designata, quæ narrant annales, narrandoque futuræ posteritati ob oculos ponunt,

ponunt, victam quidem fuisse aut similem victæ Venetorum virtutem, cæteroquin tamen nunquam sub fortuna concidisse. Nempe ubi assidua virtuti cum incommodis suis rixa est, callum ea per injurias ducit, nec ulli malo cedit, sed etiamsi ceciderit de genu pugnat. Quid vero attinet trepidasse quod dicit Maurocænus? Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum casus, quis non diversa præsentibus, contrariaque expectatis, aut speret aut timeat? Est hoc regnis, est hoc rebus publicis frequens, quod mari; momento vertitur, eodem die navigia ubi luserunt sorbentur. Sed reprimo me & ad Venetos reverto: Recolligebant sese muniebantque adversum ingruentia, restrictiorem; deinceps se suaque protegendi defensionis modum servaturi. Id ipsum si trepidare vocat adversarius, supplex rogo, Venetorum prudentiam à Barbarica temeritate separatam ut velit, *Barbaris* (auctore Tacito ann. 6.) *cunctatio servilis, statim exequi regnum videtur.* Sed si quid Floro credimus *Consenescit impetus ille qui Barbaris pro virtute est.* Bello Cimb. notatumque Senecæ oraculo *Barbarorum exitium esse iram.* (Sen. de ira) Dicam cum Thucidide Δύο μὲν ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος τε καὶ ὀργή, *duo recte menti & consilio adversissima celeritas & ira*; Ex adverso, Animus, ut est apud Syrum, vereri qui scit, tuto scit aggredi. Anticipat quidem terroris tormentum prudentia, sed nemo eo usque, aut in tantum unquam terrores calamitatesque mortalium sub jugum misit, ut æque semper intrepidus fuerit. Ennium si audimus

Et Romanus homo, tametsi res bene gesta est
Corde suo trepidat.

Quid & hoc attinet quod sibi, quod libertati, quod urbi suæ, timuerint, dummodo semetipsos, libertatem, urbemque ab hostibus tutari potuerint. Prudentis est omnem fortunæ licentiam in oculis habere, tanquam quidquid potest

factura

factura sit. Neminem illa eo provexit, ut non tantum minaretur quantum permiserat.

Cæterum scientibus unam sibi in armis salutem superesse cur desperarent caussa haud erat, modo perpenderent (ut certe prudenter id usque quaque fecere) ea consilio temperanda, alias mole sua ruitura, totamque Rempub. eidem ruinæ involutura. Huc summa summarum redit quod victi non fuerint, nec iis unquam ut devictis leges victor dixerit. Eadem in aliis regnis rebusque pub. fata si consideramus, fateri cogemur, Venetos animi magnitudine constantiaque, nulli iis temporibus secundos dici posse. Sed enimvero pulchre hæc ipsa, nitideque Paruta, loco quem Anonymus citat, exsequitur, & instituta comparatione ita rem se habere pluribus demonstrat: ad cum lectorem ablegasse fas mihi sit. Pergo nunc, dicoque, nemine excepto, omneis omnino quotquot unquam hujus belli recordati sunt historiarum Scriptores, in eo consentire, victos quidem ac non uno prælio fuisse Venetos, cæterum, eosdem isto bello victores extitisse. Ergo nec Venetis Babylonis muros conferre liceat, quos Alexander intravit, non Carthaginis, non Numantiæ mœnia, una manu capta, non Capitolium Romamve, quæ & ipsa hostile habuere vestigium; Ac revera quomodo quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas aut cædi vel deteri potest, sed incurrentia ultro retundit; quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa rigorem suum, habitumque conservant, quemadmodum projecti in altum scopuli, nec ipsi ulla sævitiæ signa tot verberati sæculis ostendunt, ac denique ut apud Poëtam,

—Gemit impositis incudibus Ætna:

Ipsa vero incus, malleorum duritiem excipit immota, ac

non perfert modo, verum etiam durior ipsa repellit à se, eundem plane ad modum libera, inconcussa, immobilis, ac contra casus indurata, Venetorum libertas, stetit, perstititque, ac talem sese quaquaversum ostendit, ut vel ipse Britanniæ Rex, toto semotus Oceano hinc acerbitate rei perculsus, inde stupendam Venetorum miratus constantiam, ipse ad Pontificem, Cæsarem, Galliæque Regem, literas dederit, quibus apud eos, ut bellum in Venetos ponant, intercedit, addito hoc memorabili in omne ævum epiphonemate, *ne cum Veneta urbe bellum exercerent, quæ si nusquam existeret construi tamen omnibus ab hominibus ad publicam orbis terrarum utilitatem atque ornamentum profectò debuisset.* Dico porro, mirarari me Anonymum, qui frustulatim perinde ac si laceros Hyppolyti aut Abscyrtæ artus collecturus esset, ex Mocænico Bemboque, ea colligit, quibus consternatio Venetorum, ac trepidatio colligi possit, quid impellat, cur sciens prætermittat, tot tantisque apud eundem Bembum (Mocænicum ut dixi non habeo) exemplis elucescere, in Venetis cordati animi non vestigia, sed monumenta, ut utramque ei paginam compleant.

Si post Abduanam cladem, virtutis Venetæ, si fidei Brixiensium, Veronensium, Patavinorum, plurimorumque agrestium oblivisci potuit, utpote longius latiusque diffusa quæ sunt, quam ut intra privatam laudem consisterent; at sane cum consternationis meminisse voluit, debuerat retinuisse ipsius properantem manum, Pauli Barbi prudens magnanimitas, qui defectis extrema senecta viribus, jam capularis, quam præ senio dudum deseruerat, stationem denuo arripuit, allatoque Cladis Abduanæ nuncio, vestem senatoriam poposcit, inque curiam sese membris trementibus ac succiduis traxit, eaque dixit, quæ in rem præsentem erant. Debuerat eam retrotraxisse Petrus Duodus, qui difficilli-

ficillimis temporibus lectus ut Reipub. Legatus Brixiæ præesset, propalam senatu audiente pronuntiavit se id vehementer cupiisse, ut suam reipublicæ tam tristi tempore operam navare posset, quando lætiora non dabantur, Legationem libentissime obiturum. Debuerat inhibuisse pius in patriam affectus Christophori Mauri, qui similiter Legatus à Senatu lectus, ante subsellium ducis progressus, patribus dixit, post Deum immortalem suam se reipub. vitam vovisse, læto se illam animo patriæ, à qua acceperat, redditurum. Hæc ipsum movere aut inhibere si non poterant, ac præfracte timorem Venetis exprobare, pertinax ipsi stabat sententia, ipsa saltim veritas gestarum rerum apud ipsum pro Venetis intercedere poterat, & tot patrum pro bello summis viribus administrando decreta. Potuerat utique magni illius Aloisij Molini cœlo recepta mens, de quo merito Vellejanum illud usurpes, Ecquando propinqui amicique similem mei civem habebit respub.? Aloisij inquam Molini, quem libertatis suæ statorem vindicemque, eorum quæ ad segniora devergere videbantur, mox in publici privatique perniciem eruptura, averruncum, durissimisque temporibus, tutelare velut numen experta est Respub. Ille, *trepidis consiliis plus civitati detrimenti inferri, quam ab iis qui bellum ei intulissent*, intrepide pronuntiavit, *imperiumque, quod majores, suis laboribus, suo sanguine, in continenti pepererant, non amittendum animorum debilitate; cavendumque* dixit, *tali potius imbecillitate victi ad ea tempora fuisse dicerentur, quam impetu fortunæ. Se quidem quod attineat, haud aliunde quam à publica re, quæ sibi vita charior esset, impelli se*, protestatus est: *ad quam, cum civium suorum commoda atque utilitates adjungantur, ecquid esset quod aut ipsum aut civem bonum ac industrium à probanda suo suffragio lege* (nimirum, an etiam offensam reponere Veneti bello illatam deberent, ac Patavium recuperare) *deterrere debeat*? Idem ad,

illud quoque, quod dictum fuit, urbi suæ patres timuisse, ubi devenit, *nihil interesse* dixit, *an urbs ipsa in potestate sit hostium, an ejus incolæ ac cives, quique illam regerent, omnia statuerent quæ hostes velint optentque. Id si fiat, ad servitutem deflecti prædicavit, hac ratione, hostium Libertatem fieri: ac Libertatem reipub.* (verba illius sunt) *quæ una cum hujus urbis parietibus semper crevit, quam majores nostri nobis integram atque intactam reliquere, prorsus atque omnino perijsse. Si majores* (ita porro ille subjungit) *ijdem, nostri ab ea Cœli regione in qua beatissimi sempiternam vitam agunt, hic existant, atque ad vos conversi istiusmodi orationem habeant, nos urbem vobis dedimus cum liberam, tum eo situ ac natura loci, ut nisi ipsi vobis desitis, cogere vos nemo possit, cur quæ hostes vestri optant facere vos didicistis, homines, maxime omnium qui hodie sub cœlo degunt, liberi? Cur imperium pulcherrimum quod vobis constituimus tam formidulose regitis? cur Patavium male ab hostibus custoditum, quod pene vestris sub oculis est, vosque appellat atque obtestatur non recipitis? Quid illis obsecro respondeatis. Primum scilicet uni vos serviisse tempori, quodque tempus postularat, id fecisse, jam vobis istud omnes concedimus, tempori enim hostium perpulchre inservitum est, de hac urbe autem timere vos, ne amittatur dicere non audebitis, neque opinor tam timide in Senatu loquuti essetis, nedum etiam apud illos majores nostros, optimos fortissimosque viros, qui sciunt urbem hanc capi non posse, cujusmodi quippiam præferre audeatis: reposcent enim statim vos, repetentque à vobis partam gravibus verbis, quodque tam pusillo animo fueritis, conquerentur, qui ne hoc imperij domicilium, vestris ab hostibus tueri posset, pertimueritis. Sed de eo plura me dicere minime necesse esse arbitror: Vrbs enim pro se ipsa satis loquitur, quæ obsessa vadis undique, neque à justis classibus, neque à terrestribus adiri se permittit.* Subjungit item aliquanto post, *semel aut iterum homines ad regendum Imperium natos, maximis in rebus timide lapsos fuisse, humanum fortasse sit, veniaque non indignum, usque quaque autem eosdem illos, sine causa, omnia vereri, neque dignum venia est, nec excusatione: ad in-*

ad interitum tendit, qui id agit. satis Reipubl. obdormivimus. quæque sequuntur. Ac tandem Deum immortalem, Divumque Marcum, urbis Venetæ parentem, conservatoremque veneratus, tantum effecit, ut quæ major à Lauredani ducis partibus fuerat pars, & intra defensionis terminos consistendum censuerat, mutatis sententiis illi accesserint. Adeo nempe omnibus turpis visus est navigii rector; qui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deseruit, permisit tempestati ratem. sed ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem, & obnixum: estque ilico perlata lex, ut ad Patavium recipiendum Grittus Legatus è vestigio contenderet. Quæ quidem eo transcribenda nobis impensius fuere, ut ut prolixiora, quod efficaciter omnes Anonymi sugillationes retundant, quantumque ex vero trahant, lectori faciant planum: Illud addam, tam masculum, cordatum, fidumque consilium, tantam excepisse rerum mutationem, ut ex illo tempore læta prosperaque reipublicæ omnia obtigerint, fœderatis adversa; insigni documento quid in virorum ad Libertatem natorum pectoribus possit ille majorum tradux ad tuendam libertatem spiritus; quid viri pietate ac meritis conspicui polleat authoritas. Sic olim cadentem remp. quantum una retrahi poterat manu non semel fractis partibus infractas Cato retinuit, donec vel abreptus, vel abstractus, comitem sese diu sustentatæ ruinæ dedit, simulque extincta sunt quæ nefas erat dividi; ac nec post libertatem Cato vivit, nec libertas post Catonem. Hoc ipso vero Catone major *Aloisius Molinus*, qui contra fortunam brachia intendit, labantes consilio patres firmavit, sustinuitque ipsam rempub. publicas inter ruinas, vere patriæ suæ alter parens.

Salve invicte parens non concessure Quirino
Laudibus, ac meritis non concessure Camillo.

Aveat illustris anima virorum maximi fortissimique. Venetis Libertas sua quantisper constabit, quantisper suus apud servire nescios libertati perstabit honor, non in Venetorum duntaxat animis, sed omnium denique, qui animam suam Libertatemque juxta æstimare norunt, benedicta sacrosanctaque illius est futura recordatio, in omne ævum proroganda, in omnem duratura memoriam.

Ac sic quidem de veritate rei gestæ dictum satis, vocat nos ordo, ad ea, quæ in facto juris habent mixturam, quæque ex ipso facto jura enasci potuerint, deinceps ut examinemus, tempus est.

Atque hic quoque, ut circa præjudicium quæ nunc allaturi sumus ordiri detur, lectorem meum monitum rogatumque velim, ne perinde ea accipiat, ac si, quæ mendacii aut vanitatis Iustinianus, calumniæ Leo, erroris non ferendi Paruta redarguit, ego pro veris, aut quicquam ex vero trahentibus habere velim; id unum in animo mihi est, ut omissa quæstione facti, qua simpliciter talis, insuper quoque illius veritate posita, ut ut non concessa, demonstrem, operam ludere Anonymum, qui ex illa oratione, subjectionis aliquod argumentum fabricari posse, sibi præfiguret. Quod ut ordine deinceps exsequamur, despiciendum I. Ecquid ea verba proprie quadrent iis, qui ita se alteri subjiciunt, ut nihil in semet ipsos suaque, juris reservent, omnia victori deferant, ut qui vi majore cui repellendæ impares fuerint, talia facere patique coacti sint, an vero talibus, qui res suas inferiores esse cum videant, sequioraque reformident, potentioribus se applicare potius habent, sæpe etiam conditionibus

tionibus minus æquis, quam fortunam ulterius experiundo, in extremum se suaque discrimen adducere. II. Quæ mens hic Venetis fuisse existimanda sit; ac III. denique, quænam hic juris incidere aut moveri quæstio possit, præsertimque, ecquid ullatenus ea quæ Cæsari oblata dicantur accipienda sint, aut interpretanda, in detrimentum libertatis Venetæ. Primum quod attinet, certum est, ubi quis ita devictus est ut nec vireis reparare, aut bello certare porro valeat, eum victori cedere, cui si se dedit, jam nihil suum asservat, si dedititiæ conditionis sortem dedere se volenti victor negat, extrema omnia perpeti debere. Deditionis formulam (solebat enim ea fieri per verba legitima & ad id concepta) superius citavimus, hoc loco non repetendam, cæterum non absonant ei quæ sequuntur Plautina, in Amphit.

Convenit victi utri sint eo prælio,
Vrbem, agrum, aras, focos, seque uti dederent.

& mox,

Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt
flentes Principes,
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum,
Deduntque se, divina, humanaque omnia,
In deditionem atque arbitratu cuncti Thebano
poplo.

Vnde & passim apud authores videas, dedentes arma abjecisse, victorum sese potestati permisisse, eoque pacto expressam deditionem, ut armis projectis, mortem deprecari inciperent, quæque his similia sunt. At vero, preces, submissio-

missiones, oblationes etiam abjectæ dimissiæque, non statim habendæ sunt pro deditione. Quale quantumque interea discrimen sit, illustri exemplo, Campani, quorum similiter supra recordati sumus, nos docent. Illi prælio victi à Samnitibus, ut à fœderatis Veneti, accedunt ad Romanos, quorum socii fœderatique Samnites erant (ad Maximilianum Veneti unum ex fœderatis) ac nequo in Samnitum potestatem deveniant (Veneti Galli potentiam nimis excrescentem exosam habebant) Romanos, ut sibi adsint, rogant (Veneti in Gallos Cæsarem exstimulare conabantur) votorum ubi compotes sese reddi haud posse vident, propalam populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra, divina humanaque omnia, in Pop. Rom. ditionem dedunt, quidquid deinde patiendum erit, dedititij passuri; quantisper vero spes erat impetrari posse, quæ exoratum venerant, nulla deditionis occurrit mentio, ac humillimas inter preceis, inter adjurationes, implorationesque auxiliorum multum anxias, sui juris retinendi dimittendique domini manent, etiam reflante fortuna libertatis memores. At videamus, quibus illi verbis se suaque Pop. Rom. commendaverint, sic inter cætera loquutos author est Livius dec. 1. lib. 7. *Populus nos Campanus, Legatos ad vos Patres conscripti misit, amicitiam in perpetuum, auxilium à vobis in præsens petitum, quam si secundis nostris rebus petijssemus sicut cœpta celeris, ita infirmiore vinculo contracta esset, tum enim ut qui ex æquo in amicitiam nos venisse meminissemus, amici forsitan pariter, ac nunc subditi, atque obnoxij*, (notentur verba) *vobis minus essemus.* Paulo post, *Quod vos pro salute nostra priores feceritis, id nos pro imperio vestro & gloria semper faciemus.* Item, *Acerbum & miserum est, quod fateri nos fortuna nostra cogit; Eo ventum est Patres conscripti, ut aut amicorum, aut inimicorum, Campani simus, si defenditis, vestri, si deseritis, Samnitium erimus. Capuam ergo & Campaniam*

paniam omnem, vestris, an Samnitium viribus accedere velitis, deliberate. Ac quammaxime disertim, *Vmbra vestri auxilij Romani tegi possumus, quidquid deinde habuerimus, vestrum id omne existimabitur, vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua frequentabitur, Conditorum, Parentum, Deorum immortalium loco nobis eritis, nulla Colonia vestra erit, quæ nos obsequio erga vos fideque superet. Annuite patres conscripti, nutum numenque invictum Campanis*, & quæ sequuntur. Hæc, qui cum oratione quam Guicciardinus Justiniano adscribit, comparare volet, multo etiam efficacius graviusque, ac majore etiam dimissione concepta pronunciataque haud gravate deprehendet, ac vel invitus fatebitur, qualiacumque ea fuerint istiusmodi tamen haud esse dicenda, ut in dedititiam sortem cadant; quinimo ut ut dicere velimus, re vera habuisse Justinianum rei publicæ nomine istiusmodi orationem, (quod tamen non liquet) concedat necesse est, ex ea deduci non posse, fortunas Venetorum eo angustiarum id temporis redactas fuisse, ut vi atque armis oppressi, libertate quam retinere non poterant, privati fuerint, exciderintve. Veniamus ad secundum, ac quid sibi propositum Veneti habuerint, cum (si diis placet) orationem tam egregiam eorum legatus habuit, attendamus. Id ipsum acturis duo ponenda sunt: primum, quid voluerint, secundum quid omnino non voluerint. Quis post Abduanam cladem rerum fuerit status repeti necesse haud est. Iam inde ab infelici pugna, castrisque amissis, multum conciderant animi militum. Ita statuo, fuit Venetis ubi Leonina parum profecerat, assuenda Vulpina, injiciendumque frenum hosti victori, quem si successus suos urgere, si favori numinis instare contingeret, obvia quæque prostraturum, contra nitentia domiturum, ipsaque ruina viam sibi facturum satis assequebantur. Notum illud Tragici.

Arma non servant modum,
Nec imperari facile nec reprimi potest
Stricti ensis ira. Bella delectat cruor.

Erat ergo, Veneti ut se suo metirentur modulo, ac qua poterant, quæ sequior obtulerat sors, verterent in virtutem. Nempe si pacis commoda, si bellorum ancipites eventus, occentare fœderatis, si benefactorum suorum memoriam refricare inimicis, si fœderum cum illis inire numerum voluissent, ridiculi fuissent. Segnia consilia, ac remedia non profutura, temporum conditio aversabatur: Prudenter itaque in sua semet ipsos principia recollegerunt, judicaruntque, perinde ut ubi intra tegmen suum collecta est testudo, tuta est, adversus omnes ictus, ubi exserit partes aliquas, quodcumque nudavit obnoxium habet infirmumque, haud dissimiliter quoque, quæ maritimo imperio complecterentur, tuta sibi esse atque impervia, utque ea sæculorum aliquot decursu ad faciendos in continenti progressus viam straverant, in futurum deinceps quoque sternere posse; quæ autem tunc in terra continenti haberent, nuda esse, & ad omnes ictus exposita. Consultius itaque visum nihil, quam continentis possessione paulisper decedere, eamque ad tempus hosti cedere. Videbant siquidem, aliam si institissent viam, si civitates, castella, munitiones, præsidiaque, quæ in terra continenti habebant, non aliter quam per vim in hostium manus venire permissuri erant graviori se indies clade mulctandos, nec quid inde relaturos operę pretij, quam quod assiduis incrementis, terrorem suis, animum hostibus ipsimet essent additturi. Sic fusum à se toties Numidam pertimescere sese Sylla negat, sic Romani Germanis Varum & eodem iterum fato victas legiones exprobrant. Quoties supersunt qui

qui fugam animis, qui vulnera tergo circumferant incessuros statim ubi ferrum virtutemque vincentium agnoverint, ultione magis opus esse quam prælio, vel miles judicat. Nec male, quis enim sit, qui fugâ meliores factos putet eos, qui secum in aciem, cladum suarum effusique sanguinis ducunt memoriam? recte Lyricus,

Nec amissos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec vera virtus cum semel excidit
Curat reponi deterioribus.

Ex adverso, ut jam ante ex Seneca notatum mihi,

Regi frenis nequit
Et ira, & ardens hostis, & victoria,
Gladiusque fælix, cujus infecti semel
Vecors libido est:

Sic de Vejentibus Livius, *Vejentes vinci à Romano milite assueti, fusi fugatique sunt. Tarquiniensis, novus hostis, non stetit solum, sed etiam à sua parte Romanum pepulit*, decad. 1. lib. 4. Item decad. 4. Lib. 4. de Suessetanis, *Quorum ubi signa Lacerani cognovere, memores quam sæpe in agris eorum impune persultassent, quoties ipsis signis collatis fudissent fugassentque, patefacta repente porta, universi in eos erumpunt, vix clamorem eorum nedum impetum Suessetani tulere.* Vtque concludam, tantum id ponderis rerum militarium peritis habere semper est visum, *ut facilius esse, ad virtutem novos instruere, quam revocare perterritos*, aperte professi sint. Veget. de re milit. lib. 3. c. 10. Videbant porro Veneti, non alia ratione tutius hostium copias separari posse ac

 distrahi

distrahi, idque duplici nomine, cum quod hac ratione fœderatos à se invicem avelli posse scirent, tum quod & perspecta essent eorum studia in Rempub. quos in terra continenti subditos sibi fecerant: est enim ut ait ille firmissimum illud imperij genus, quo obedientes gaudent. Sane Venetos non fugiebat, sese Imperij moderatione, comitate, ac æquabilitate, maximum sui amorem animis omnium insinuasse. Perspiciebant, illis adnitentibus ac postliminio in Venetum nomen coalescentibus, absque negotio sese, licet rabido velut torrente, cujus magno cum terrore vis prima defluit, abrepti forent, hinc atque illinc in fœderates coorturos deinceps, ac suis ipsismet viribus oppressuros. Ipsos porro fœderatos inter se quod divellere conati sint, res ipsa docet, nec non missi separatim legati; testatur etiam ipsa illa Guicciardini oratio: cujus enim contextu perspicue constat, quidquid id fuit precum obtestationumque, quod omissis prudenter pro temporum conditione nocituræ libertatis irritamentis, Legatus Venetorum effudisse dicitur, non alio spectasse, quam ut conciliari se Venetis Maximilianus pateretur, ac mox disrupto fœdere pariter cum ipsis in Gallos arma moveret, fieretque ex hoste eorundem protector & Advocatus. Evincit idem, locus ille quem pro se adduxit Anonymus ex Tuberone Dalmata, ac ut verbo cuncta comprehendam, nullus est nobis, mox ubi de facto disquisivimus locus allegatus, qui non id clarum manifestumque reddat. Addamus, præterquam quod verum sit idem in Rebuspub. quod in corporibus humanis, nempe habiliora esse corpora pusilla quæ in arma sua contrahi possunt, quam quæ super funduntur, quæque magnitudo sua undique vulneribus objicit, præterquam quod tanta iniquitas & casuum varietas, ita non poterat depelli, ut non plurimum insuper procellarum impenderet, magna armamenta pandentibus,

idque

idque propter, ut in vanum tela reciderent, essent in arctum cogendæ res: addamus inquam, Venetos ea offerendo non tempus modo redemisse, spatiumque sparsa colligendi, collapsa erigendi, ac dejecta restaurandi nactos, sed & hostilis furoris aculeum retudisse non leviter.

Quid enim erat quo tenderent? Eam sane, quam suam cuique portionem facta Cameracensi fœdere assignaverat divisio, Venetis terræ continentis possessione decedentibus, citra periculum consequi, ac habere sibi quisque poterat. Verbo dicam, cessere in remedium calamitates, & levioribus incommodis graviora sanata sunt. Si quis urbem ipsam deleturos fuisse dicat, sciat velim præter facti impossibilitatem, neque conjunctim id ipsum fœderatos facturos fuisse, neque separatim ut fieret permissuros. Est, ut scimus, suspecta semper, quæ modum supergressa est potentia, ægreque vicinum princeps ferat, qui nocendi facultatem ex arbitrio suo metiatur. Notatum id ipsum Gallorum Oratori Heliano, quem supra vidimus, notatum simul annalium scriptoribus, atque ipse belli eventus insigni argumento edocuit; non alia Venetos intentione pro tempore à se continentis abdicasse partem, quam ut se suaque tuerentur validius. Illos ergo jure merito prudentes hoc quoque nomine dixerim, qui magnas opes magnis jacturis locum facere perpenderint. Scilicet ipsas quoque manus nostras, expeditius quid rapere posse, quam quæ rapuerint continere, scimus: utque navigia quæ modum excedant gubernaculo minus obsecundant, ita & Rebuspub. evenire assolet, ut prægraves si sint rectoribus suis periculosæ reddantur, & intractabiles. Atque ut ad ea quoque pergamus, quę secundo loco despicienda diximus, nempe quod sit illud, quod facere omnino Veneti noluerint; quivis deprehendat omnino eos è liberis obnoxios fieri noluisse. Vt ut enim (mox ab accepta ad Abduam clade)

ex sententia Mathæi Prioli judicaverint, ea quæ captui propiora atque oportuniora forent, quo sic hostium cursum impetumque sisterent tradenda potius, quam frustra vireis jam infractas opponentes, ea ipsa cum libertate imperij amitterent, non caruit tamen id ipsum magnis contradictoribus, nec defuere summi nominis viri, qui vel tunc infractum animorum robur fortunæ turbini objectantes, in amaras quærelas erumpere, propalamque queritari ausi sint, tot egregia oppida hostibus tam facile tradi haud debuisse, quæ majores tantis impensis, tot exercitibus, tantis suis laboribus & sanguine, per tot annos imperio adjecissent, sponte amittenda non fuisse; augeri hac re hostium audaciam dictitantes, quod debiliorem ad resistendum Rempubl. invenissent quam putarant, ac tanta confecti belli celeritate, ad majora invitarentur, quæque ejus generis plura apud Bembum non uno loco reperias.

Atque ut quid ipsis legationibus actum sit ne relinquamus intactum, idem Bembus simul atque literas à Senatu datas dixit, ad liberas Germaniæ civitates, ne Maximilianum sævire contra Rempub. quæ erga illum tam liberalis fuisset, ulterius permitterent, immediate subjungit. *Neque propter hoc intermittebant Patres in eam cogitationem incumbere, ut Patavium quod plane oppidum ante oculos esset civitatis, improvisa magis, & repentino incursu, quam bello recuperarent.* Circa illius quoque urbis recuperationem, ea quæ mox in Aloisio Molino (cui tantum sese Veneti debere, quantum olim Camillo suo Roma, grata mente profitentur) deprædicabamus, magnanimitas, quam non voluerint Veneti externis sese imperijs submittere abunde testata est. Quo tamen ordinem hic aliquem temporum servemus, videamusque, idem semper fixum Patribus immotumque sedisse, ut belli quidem à se tempestatem quantum pote, declinarent, sic tamen ut ne libertatem suam

suam alienam in manum conferrent. Ex ante dictis notari queat Iustinianum (cujus, Anonymo fatente, prima Legatio fuit) cum per literas certiorem fecisset Senatum Tridenti Episcopo audire se noluisse, paucis post diebus Senatu permittente domum redijsse. Quid vero caussæ subesse dicemus, cur eum infecta re domum redire permiserint, siquidem animus ipsis erat Imperatorijs se suaque una cum libertate pedibus advolvere? mox quoque ac quidem confestim, à recepto Patavio, cum Monsilice, Ateste aliaque agri Municipia certatim ad Rempub. pervenirent, ipseque Maximilianus veritus ne interciperetur è vestigio Tridentum abijsset; equidem tam procul absuit, ut taleis Venetis in mentem venisse cogitationes credibile sit, ut, vel pridie, antequam Patavium reciperetur datæ literæ à Maximiliano ad Senatum venerint, quibus ipse ut Aloisium Mocænicum ad se Marosticam patres mitterent petebat. Successum negotii si audimus, *Aloisius* (referente eodem Bembo lib. 9) *patrum jussu, postero die Tarvisium profectus, quod rumor attulerat Maximilianum se in fines suos recepisse, præmisso tabellario, qui ubi rex esset, quoque se venire vellet sciscitaretur, alteris literis regis certior factus est, nolle amplius Maximilianum cum eo colloqui.* Quid vero hic Patres, preceisne meditantur submissionesque homini libero propudiosas, aut quod adversarius velit deditionem? minime vero, *Legatus*, ut est apud Historicum, *Tarvisii paucos moratus dies, à Senatu revocatus, domum rediit.* Recte id ipsum; mutatæ res erant, cessabatque legationis ut materia, sic & causa. Ipse quoque Iulius Secundus, eodem illo tempore, cognitis magna cum molestia (si quid eidem Bembo credimus) Reipub. prosperis rebus, Dominico Grimano, Hyeronimo Donato ad se vocatis, animi ægritudinem dissimulans, ostendit cupere se ut Tarvisium Forumque Iulii Respub. ne amitteret, seque ejus rei autorem apud Maximilia-

milianum fore pollicetur, atque ad sacra legatos reliquos qui domi detinebantur, admitti imperat. Vtque mens agentium per ea quæ gesta sunt dilucide sese explicat, neque conjecturis locus est ullus, ubi ipsa rei veritas in aperto collocata est, quam non voluerint ulla ratione Veneti Libertatem suam seseque Maximiliani imperiis subdere, audiamus sodes, candide rotundeque loquentem Bembum. *Aloisius* (ait ille) *Mocœnicus, Ioannes Cornelius legati ad pacem cum Maximiliano tractandam missi, uti superiore libro demonstratum est, atque in Alpeis profecti, regiis internunciis qui ad eos venerant Reip. datis muneribus, (ea erant vini cretici pretiosioris, ceræ albæ ad tenebras expellendas, fructuum in Ægypto conditorum ad regias epulas, omnis prope generis non parva copia) Sermonem cum iis compluréis dies habuerunt, non unisque locis unà fuerunt, neque tamen pax iniri potuit, cum illi omnia quæ in Maximiliani potestate proxime fuerant, à Senatu peterent, Senatus nihil eorum quæ ante bellum obtinebat vellet amittere, dependere quidem Maximiliano aliquam pecuniæ vim se obligasset, si de reliquis fœderis capitibus quæ proponebantur, convenire inter ipsos potuisset, sed obstinatione duritieque ambarum partium factum est, ut infectis rebus ab utrisque domum recederetur, ita ea multarum dierum tractatio & mora, quæ suspensos atque sollicitos Patrum animos habuerat, postremo ad nihilum rediit.*

Iudicet nunc æquus Lector, ex Historica rei gestæ veritate, ex personarum, temporum, locorum, occasionumque circumstantijs, quid in hac re statuendum sit. Ego soli meridiano facem non prælucebo: verum hac quoque parte quam thematis mihi loco desumseram, satis ut videor defunctus, ad novissimam me conferam. Hæc ipsa quoque ut videmus bimembris est, primoque quid in quæstionem Iuris venire queat ut despiciamus monet, ac secundo, an ullatenus ea quæ in dicta oratione continentur, ita accipienda sint, aut interpretanda, ut in detrimentum libertatis Venetæ redundent

dundent. Primum quod attinet, indubium est ubicumque de facto quæritur, inspiciendum esse quid actum sit, id est qua mente quove consilio hoc illudve ita gestum sit. animus enim est, qui normam formamque negotijs accommodat. Exemplo sit illud Iuliani l. 29. ff. de reb. cred. qui, quod non omnis enumeratio eum qui accepit obliget, dicit, sed quoties id ipsum agitur, ut confestim obligaretur, quod & in mortis causa donationibus, inque pecunia, ad id ut aliquid fieret, data, confirmat. Atque hinc quoque enata sunt duo juris axiomata. Actus ultra intentionem agentium non agere, item, nihil operari propositum in mente retentum. Quod ut applicemus, certum est peccare hic adversarium, qui verba quantumvis multum supplicia, sic distorquet, ac si qui ea proferunt abdicato jure libertatis, in contrariam libertati conditionem, se conjecerint, idque non minus contra verborum ipsorum tenorem, quam contra agentium intentionem. Ipsa verba quod attinet, dubium non est quin ea in nuda auxilij imploratione ac patrocinij præstandi rogatu consistant absolvanturque ad unum omnia. Sunt autem hæc potissimum *Tueare*, (nimirum sic loquentes Guicciardinus introducit) *quæso ab eorum insolentia quibuscum paulo antea socia arma junximus, quos nunc sævissimos hostes experimur, qui nihil æque cupiunt, quam Veneti nominis subversionem. Tua servati clementiâ te patronum, te parentem, & urbis nostræ fundatorem, appellabimus, annalibus inscribemus, & filijs denique nostris tua ingentia merita sedulo ingeremus, &c.* Quæ verba *tueare*, item, *ab eorum insolentia*, item, *te patronum, te parentem appellabimus*, luce meridiana clarius evincunt id actum Venetis, ut Maximiliano clientes fieri possent, perinde ut ante factam deditionem à Romanis Campanos petijsse, adversum Samnites ut in clientelam assumerentur, defenderenturque, supra ostendimus. Vtque quod asserimus mani-

nifestius constet eodem Campanorum exemplo, utpote quo non aliud similius temere occurrat, certum est, siquidem mens Romanis fuisset ad primas preces eorum adversum Samnites patrocinium suscipere, opus non fuisse, ut, qui medias quoque inter preces, societatem, amicitiam ac libertatem spirabant, divina ijs humanaque omnia dederent. Accedit, quod neque alio quam patrocinij intuitu, moturi fuissent in Samnites Romani, quod nolebant tamen. Iisdem ut ut auxilio dignos judicarent Campanos, ita tamen cum illis amicitiam institui Romani par esse dixerunt, ne qua antiquior violaretur; cumque Samnites fœdere sibi juncti forent, arma se eis duntaxat negare, Deos prius quam homimines violatura. At vero deditione insecutâ, longe patrocinij ac clientium nomen, longe prætextus fuit, *Legatos* (ita Livius) *extemplo mitti ad Samnites placuit, data mandata, ut preces Campanorum, responsum Senatus, amicitiæ Samnitium memor, deditionem postea factam, Samnitibus exponerent, peterent pro societate amicitiaque ut dedititijs suis parcerent, neque in eum agrum qui populi Romani factus esset, hostilia arma inferrent, si leniter agendo parum proficerent, denunciarent Samnitibus populi Romani Senatusque verbis, ut Capua urbe Campanoque agro decederent.* Similiter etiam Maximilianus, si precibus Venetorum, si ijs quæ illi offerebant flecti se passus fuisset, ut fœderatus apud fœderatos pro Venetis intercedere potuisset, at vero si se illi Veneti jam tum dedissent, non jam amplius ut pro amicis, apud pariter amicos acturus, sed (si quidem fœderati refractarij mansissent) ut res suas defensurus, propalam fœdus rupturus fuisset, ipsosque fœderatos pro hostibus habiturus utque in manifestos hostes arma moturus.

Atque existimo quidem neminem fore, qui non fassurus sit, longe differre protegendi postetatem ab imperandi jure; conditionem clientelarem, à qualitate subditi. Nam etsi non

non defuerint qui protectionis imperiique jura confundere sint aggressi, recta tamen ratio monet, esse illa sejungenda, ut certe sua natura disparata sunt atque sejuncta; quod ipsum, communi scribentium calculo, ut receptius merito obtinnit. Quid? quod vel protectionis nomen monet; docetque eam duntaxat consistere, in clienteis contra vim majorem defendendi jure, in eumque finem aut conventione constitui aut jure? Cæterum nec hoc quoque perplexæ disputationis existimo, posse liberum populum citra libertatis suæ præjudicium in alterius sese patrocinium adducere, idque ipsius intuitu Clientelæ. Nam, licet fatendum sit cum Thusco scriptore, firmius illius esse ac validius imperium, à quo vicini pacem auro redimunt, aut protectionem impetrant, quam illius, cujus eo res sunt loco, ut alterius se protectioni committere opus habeat, vereque populus talis in libertate dicatur esse, qui suis stat viribus, nec alieno pendet arbitrio, tamen clientelam si attendimus ipsa nihil aliud esse dicenda est, quam fœderata patroni clientisque inter se consociatio, cujus respectu, qui in protectionem suscipitur, quantumvis æquè liber, quam ante fuerat, etiamnum esse perseveret, ad honorarium tamen subinde obligatur, ac fere semper protectoris sui majestatem (loquor de summis inter se potestatibus) comiter conservare tenetur. Quid vero sit comiter majestatem alterius conservare, dictum sæpiuscule, ostensumque, nullum prorsus libertati alterius adferre præjudicium, quod ipsum hoc loco denuo à nobis ut repetatur, non est necesse. Illud in transcursu dicam, tersissima quam pro Cornelio Balbo habuit eloquentiæ parens oratione, ea contineri, quæ penitissimam ad istusmodi observantiæ cognitionem habendam necessaria sunt: inde ea cum lubitum fuerit, petere licet. Verum nec est quisquam, qui clientelis majestatis jura dicat

 extin-

extingui, modo consideret illam majestatem de qua nobis ermo, in externo honore non consistere, verum in liberrima, quam qui ejus jura habent, in sibi subditos exercent potestate, illam vero nisi speciatim contrarium convenerit, sese in clientelam alicujus dando, nemo à se abdicat; ac insuper quoque, cum nihil præter nudam defensionem protectio comprehendat, ut jam diximus, neque qui se in alterius clientelam dat, alia id faciat conditione quam ut ei à potentiorum vi, tuto securoque esse liceat, quidquid præter illam conditionem est, quin sibi ex asse reservet, dubium non est, ut est textus in l. si qui certa. ff. de Iure Imm. Firmat enim regulam in casibus non exceptis exceptio, atque adeo quoque ipsamet esse perhibetur regulæ pars, aut saltim, ut DD. ajunt, de regula, ac tantum abest, ut sola ac in se clientela majestatem tollat, ut ex adverso melior potiorque scribentium pars à Bodino dissentiat, perinde ac si duram de humanitate sententiam ferat, statuendo inferius majestate principis facere aut Respub. si se alienæ protectioni committat. Vtique,

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira necessitas
Clavos,

Si cum Prænestinis justa bella dicimus quæ sunt necessaria, quæ ratio, cur non idem de Clientelis dicamus, aut cur ingruente periculo, quod totius quoque ditionis subversionem secum tracturum metuitur, vitio dandum Principi reive quis putet publicæ, si in alieno subsidio salutem quærit? Verum non sunt hæc instituti nostri. Pressius ut agamus, succinctiusve, ipsa Orationis verba quatenus accommodari clientelæ protectionique possint, agedum videamus, quod quidem

quidem si præstare datur, nulli deinde ut spero erit dubium, quin ex amussim omnia quæ in ea continentur oratione sic. sint accipienda interpretandaque, ut nec minimum quidem, Venetorum Libertati contraria sint, aut adversa.

Redeant nobis annuentibus, ad te verum legitimumque Dominum, quæcumque majores nostri S. Romano imperio ducatuique Austriæ abstulerunt. Hic quod Imperatorem verum legitimumque Dominum vocent, adversarius urgeat, sunt enim inter se relata Dominus & servus. Lepide Martialis

Tum servum scis te genitum blandeque fateris,
Cum dicis Dominum Sosibiane patrem.

Sed vel me tacente quilibet animadvertit Imperatorem eo loco non vocari Dominum Venetorum, ast eorum duntaxat quæ Imperio à majoribus suis erepta, Austriæve ducatui, postliminio, Venetis eorum dominio decedentibus, ad ipsum revertebantur. Istis ergo vox illa manifesto sit applicanda. Causa non sit cur eos in Imperatoriam Iurisdictionē consensisse dicamus, quamquam alias quoque si non concurrant, aliæ, quæ magis urgeant subjectionis demonstrationes, ex eo solo quod quis aliquem dominum vocet ac quidē dominum suum, (quod tamen hic non fit) haud inferatur à parte sic vocantis ulla subjectio. Est enim recepta, Dominum vocandi eum qui dignitate aliqua præditus sit, consuetudo. Introduxit istiusmodi voces secta temporum, cui siquid deferimus, eas officiosas magis, quam devinciendi potestate præditas æstimabimus. Monuimus jam ante, secundum subjectam materiam accipienda verba. Ipsum ergo dominium, modo directum cum sit, modo utile, sitque in ipsa quoque protectione sua dominij species, merito nos quoque domini nomen ita accipiemus, prout hinc agentium intentio, inde mate-

ria subjecta recipiendum dictabat. Sic Vasallos quoque feudi Dominum videas appellare Dominum suum, ast non alia quam feudi ratione, eosdem similiter Dominus fideleis dilectosque appellabit, non subditos tamen. Si Archiva Principum aut Grammatophylacia excutere daretur, næ multoties haud alijs clientibus à protectoribus suis titulos, ac vice versa Patronis à Clientibus adsignari videremus, quam quos subditis suis Domini adsignant, Dominis subditi. His haud multum diversa observavit ante me suo de fœderibus tractatu Erenbergius, clienteisque protectorem suum dominum appellando, nullam illi prorsus jurisdictionem conferre pronuntiavit; ac protectorem vicissim, clienteis fideleis sibi dilectosque indigetando, nihil eorum libertati adferre præjudicij constanter asseruit.

Vt decentius veniamus, omnia quæ in continenti possidemus adjicimus, quorum juri utcumque quæsitum sit, renuntiamus. Nihil est quod ex illis verbis inferatur adversum libertati Venetæ. Esto cesserint continenti, sic voluere; Iuri favorique pro se introducto liberum cuique renuntiare. Est rerum suarum moderator unusquisque & arbiter. Nec tam naturale quicquam, quam voluntatem domini rem suam alienare volentis ratam haberi. Si quis urgeat in necessitatibus liberalem præsumi neminem, hæc vero à necessitate extorta, dicam prius illud equidem ultro me concedere, posterius ut largiar causam non esse. Si cui apud Bembum ea quæ in consilio patrum agitata tum temporis fuere, quæ nobis quoque ex parte hoc ipso capite citata sunt, legendi est otium, si quis & illius, quem nunquam satis laudandum jam laudavimus, Aloisij Molini verba, tanto Senatore dignissima attendere, ac ex illis rerum momenta temporumq; circumstantias ponderare, non gravabitur, inveniet facile, prudenter ea magis ac dliberate facta quam ferente sic necessitate, tali saltim necessi-

cessitate, cui reluctari tantundem fuisset, quam si quis brachia contra torrentem intenderit.

Praeterea quotannis tuae Majestati legitimisque in imperio successoribus, quinquaginta millia aureorum perpetuo ex aerario deponemus.

Esset hic facilis à quæstione Iuris ad quæstionem facti deflexus, eoque facilior, quo magis in vicino necessitas est id ipsum faciendi, cæterum eo non delabar: verane hæc an falsa sint, aut quatenus ex vero quippiam trahentia dici possint, ex iis quæ jam ante adducta sunt, constare potest: id potius agam, ut citra præjudicium veritatis, quam salvam quaquaversum velim, demonstrem, nihil hic adferri quod non inter patrones clienteisque tralatitium sit. Ac certum quidem, nullam hic omnino tributi mentionem fieri, nedum talis, quod pro jure suo, subditis domini imponere consuevere. Pro patrocinio dependi solere sive honoraria, sive in tributiones annuas, sive alia ex pacto quæ debeantur, novum non esse ex parte jam ante vidimus. Id ipsum protectionis naturæ esse non inconveniens, ex eo colligere licet, quod rarissima sint, quæ gratuito præstantur patrocinia, quin imo patrocinium istiusmodi, protectioque, cum ut jam dictum jurisdictionem non conferat, officij censetur loco. Cliens ergo annuum illud præstationis beneficium serit, ut protectionis fructum metat: non est utique (ac vetus ea querela) tam ferax virtutum sæculum hoc nostrum, ut cui virtus, indotata si sit, allubescat; eam ipsam præmia si sustuleris, quotusquisque amplectitur? debentur ergo magna præmia magnis conatibus, & cum ad protectorem labor periculumque spectent, honorem ei aliqualem ac emolumentum ademta velle, sacrilegum sit. Recte Livius, *Nusquam nec opera sine emolumento, nec emolumentum ferme sine impensa est opera.* Sed & hic quoque prudentiam patrum elucere videas, qui rebus minus lætis, & ad aliena subsidia non obscure spectanti-

ctantibus, vel tum quoque considerare potuerunt, populorum plerosque quos Pop. Rom. implorasse auxilium patrociniumve annales tradunt, ab ijsdem Romanis in suam ditionem redactos, non alia magis de causa, quam quod gratis ea fuerunt præstita. præclare Poëta,

— Fœlix quicumque dolore
Alterius didicit posse carere suo.

Ac sane, si quando pro præstando patrocinio dependitur quippiam, ultro citroque obligatio enascitur, nec minus clienti patronus, quam patrono cliens, vinculo juris adtinetur. Estque & hoc notandum, quæ sic à clientibus dependantur, aliter atque aliter considerari debere tam respectu ipsius Patroni, quam respectu clientis; atque inde quoque notabilem inter ea quæ subditi contribuunt, quæque clientes elargiuntur, existere differentiam. Nempe, protector aut patronus, quæ dependuntur accipit eum in finem, ut operas suas locet, cliens, ut patronum pro opera locata remuneret, simulque ad ulterius locandas comiter invitet. Subditus quæ dependit, ea dependit ex debito, juxta illud Apostoli, *honorem cui honorem, tributum cui tributum, non propter legem, sed propter conscientiam*: Cliens ex adverso vi legis contractui dictæ. Atque hic iterum Bodino adversatur ratio, qui majestate inferius putat, tutelæ quid nomine polliceri: si quid e. hic indigni, accipientem id omne spectabit. Nota I. C. vox, honeste nonnulla concedi quæ minus honeste petantur. Ac nec illud quoque indignum notatu, ea, quæ sic à clientibus tribuuntur, nec tributis accenseri, nec tributorum nomine venire, sed speciali nomine Boëtheiam vocari. Sic Aventinus Annal. Boior. lib. 7. *Boëtheiam*, inquit, *Græco atque Teutonico vocabulo à patrocinando nominamus, quod*

quasi

quasi præmium curatori patronove ut procuret, defendat, asserat, vindicet præbeamus. Quæ cum ita se habeant, indubium est ea præstari posse citra Libertatis præjudicium, utpote quæ à patrocinio exorta, patrocinioque annexa cum sint, non magis Libertati obesse valent, quam ipsum patrocinium quod jam dicere cæpimus, latiusque dicturi sumus, jurisdictionem nullam tribuit. Sed & nos jam ante id ipsum quoque tractavimus rationibus, argumentisque firmavimus, cum ad Cassiodori epistolam, quam pro se Anonymus adduxerat, respondimus, ubi quæstio erat de solvendo canone, Attigimus etiam aliquantisper & illustravimus nostris ad §§. 58. & 59. notis. Exempla ibi allata non repetam, nec pluribus conquirendis (quanquam ea in promptu sint) me fatigabo. Docuit nos omnis ætas, etiam maximos αὐτοκράτορες belli redimendi, publicæ quietis, alijsque gravibus de causis, istiusmodi tributa persolvisse. De Turcis quorum in genere ibi meminimus, ita specialiter Bodinus meth. Hist. c. 5. *Cogitur hic ex veteri pacto tributum, ducentorum millium nummum Æthyopum regi sive Præsbitero Iohanni dependere, quod cum Zelimus II. per biennium non solvisset bellum inter Zelymum & Ethiopum regem exarsit, anno* 1572. Quin & Turcarum princeps iis populis qui montes Arabiæ tenent sexaginta millia aureorum tribuit, ut agro Palæstino ac Damasceno libere fruatur. Nempe ita multotiens salutis publicæ ratio fieri vult, cujus intuitu causaque, quum nihil sit tam firmum quod non subvertere, nihil tam arcanum quod non eruere, nihil tam sanctum quod non profanare, licitum sibi mortaleis existiment. Dicendum est, humanarum rerum necessitatem hic in partem venisse, voluisseque tributis illud ademptum, quo Libertati derogare & ad obnoxiam conditionem deducere posse videbantur; perinde ac si esset id è Republica hominum, ut salvo immunitatis jure, gentium quies, regnorumque salus suprema,

vel isto pacto expediri, servarique posset.

Alia tua jussa, decreta, sanctiones & praecepta, libenter amplectemur.

Hæc tam universalia, atque indefinite posita, fortasse quispiam cum adversario, duplici nomine contra Venetos contorqueat, primo quod fieri non possit, quin de jure qui protector sit (posito versari nos hic circa protegendi postulata) jurisdictionem habeat, quis enim jubeat, decernat, sanciat præcipiatque nisi jurisdictione armatus, cum alias, elusorium Præsidis imperium non sit ferendum? Secundo, ut ut de Iure per protectionem nulla protectori quæratur jurisdictio, dicendum tamen eam de facto quæsitam Cæsari, cujus jussa, decreta, sanctiones, & præcepta libenter se amplexuros, offerant sponte sua, non rogati.

Equidem si Venetorum verus legitimusque Dominus Imperator esset, ac si pro ordinario magistratu Venetorum reputandus, faterer sane ejusmodi protectioni annexam quidem esse jurisdictionem, sed tamen haud conferri de novo. Fieri posse, ut cum jurisdictione protectio concurrat, extra dubium est: quin imo, ut non negaverim sæpe ea concurrere, ita nec adversarius dixerit, concurrere semper, nedum necessario. Sed non est in præsens super ista re nobis quæstio, unum nos ex adverso dicimus, fieri non posse, ut protectione quæratur jurisdictio, aut libertati creetur præjudicium. Firmatum id superius nobis, ipso clientelæ nomine, quod confœderationem in se complectitur. Fœdus clientelare vero, jura summi imperij haud conferre, non minus certum, quam fœderibus cognatam esse protectionem, ipsumque porro fœdus, cum pactione definiri monuerimus, pactis suum insit ζυνάλλαγμα, procul ut absit omnis Iurisdictio necesse est. Ea nimirum publici cum sit juris, cumque de jure æstimationem non recipiat, in contractum non cadit.

dit. Atque hoc est quod ait *Bart. in l. 1. C. de excusat. munerum*, civitatem liberam quæ se protectioni & regimini alterius committat, non ideo merum & mixtum imperium transferre, & *Socin. consil. 7. nu. 1.* civitatem quæ se protectioni & gubernationi alterius submittat ideo libertatem aut jurisdictionem non amittere. Nec sane, qui se protectioni alterius committunt, aliud agunt, quam quod se, suaque protectori velint esse commendata: Commendare autem in jure idem est quod deponere, eamque sequelam habet, ut eodem statu servari restituique debeat. Ac quemadmodum in deposito, neque dominium rei depositæ, neque possessio ad depositarium transfertur, sed nuda duntaxat ei custodia committitur, ita cum protectio ipsa re vera nihil aliud sit, quam custodia (unde & specialiter in c. generali de election. in 6°. Pontifex procurationis jus, custodiam vocat) eadem merito qua depositarius lege, protector tenebitur, juxta vulgatum illud, ubi eadem ratio, ibi eadem quoque juris dispositio. Nec attendendum leviter in hoc argumento, quæ mens clientibus fuerit, quodve propositum. Id vero nihil minus fuisse dicendum est quam libertatis à se abdicationem; neque enim clientis ut minuant, sed ut conservent libertatem suam potentioris auxilia requisivisse, tenendum est, quin potius ab altera parte, talis protectio signum est, ac evidens quidem, non jurisdictionis. Est enim è vestigio (rectius ut loquar) exclusa omnis jurisdictio, simul atque de protegendi jure certi sumus. Haud alio sensu Guilielmus Kyriander in Commentario suo de civitatis Trevirensis origine ac statu dixit, tutelas quæ inter civitatem Trevirensem & ejusdem loci Archiepiscopos intercesserunt, potestatis aut dominationis Pontificum in eam civitatem indicia non esse, sed ejusmodi principatum manifeste destruere. Quod allatum modo est de facto, Iura Majestatis Cæsari quæsita, illud ve-

Zz 2 rum

rum non est, ac si urgeat adversarius imo maxime sic se rem habere, probationes adferat, sed & nos quoque jam ante ostendimus, imperia protectoribus esse in clientes, esse animadvertendi jus, *Fiunt apud nos* inquit ICtus. *rei ex civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus*, loco à nobis citato, non repetam semel dicta. Constat dictos clientes à colendo, patronosque quod quasi patres sint, hinc est ut ratione præstiti patrocinij, quatenus loci, personæque dignitas ita postulant, protectorem suum agnoscere debeant, ut fœdere superiorem, quod ipsum pars est, neque ea minima, comis illius observantiæ, quam patronis suis debent clientes deferuntque. Eaque observantia cum sit liberis hominibus nec indigna, nec indecora, cumque constet, ut mox dicemus, vel invitos à protectoribus clientes protegi posse, ac sic ut in invitos judicia redduntur, invitos defendi, eo saltim usque, quantisper protectioni renunciatum non est, certe non est, ut cliens in protectionem se daturus, aliter se componere possit quam ut Patroni jussa, decreta, sanctiones, & præcepta libenter amplectatur, eoque lubentius, quod sciat, limitatam causam cum habeant istiusmodi jussa, non alios effectus quoque productura, quam similiter limitatos. Sed cum nos jam ante largiter ostenderimus, non alia mente hæc verba (modo prolata sint) proferri potuisse, quam protectionis exorandæ gratiâ, idque ex ipso textu apparere; respondendum ad objectionem motam, accipienda ea quæcumque sint, secundum subjectam materiam, quæ cum jurisdictionis, imperij, dominijve capax non sit, frustra velimus admittere verba jurisdictionem imperij dominijve jus sui momento illatura; idque ad infligendum libertati præjudicium.

Tueare quæso ab eorum insolentia quibuscum paulo ante socia arma junximus, quos nunc sævissimos hostes experimur, qui nihil æque cupiunt.

piunt & desiderant quam Veneti nominis subversionem: Tuâ servati clementiâ te patronũ, parentem, & urbis nostræ fundatorem appellabimus, annalibus inscribemus, & filiis deniq; nostris tua ingentia merita sedulo ingeremus.

Hic apertè ut videmus, nihil votis aliud expetiisse dicuntur, quam ut in tutelam recipiantur adversus hostilem vim, quod ipsum directe protectionis infert quæsitum jus, non vero dominii, atque ut videmus, caussa, cur quæ præcessere Cæsari dicantur oblata, fuit, ut eos ab insolentia eorum tueretur, quibuscum paulo ante socia arma junxerant, quosque tunc temporis sævissimos hosteis experiebantur. Auxilii autem ferendi caussam à dominii jure si non secernimus, eadem ratione milites nostros mercenarios, quos ad auxilium, opem, protectionemque stipendio evocamus, Reipub. Dominos esse dicemus, quod absurdum. Nec inconveniens fuerit observasse, præter ea quæ jam à principio notavimus, ad verba *patris, patronique ac fundatoris*, non modo posito domino, poni & subditum, ac patrono nominato nominari & clientem, verum similitudinis hic quoque rationem occurrere, quæ supra dicta potenter adstruat. Vt enim patronis, patronatus jus, exstructio vel fundatio Ecclesiarum, nullum dominium tribuit, neque aliquam jurisdictionem confert, sed, ut est in *c. piæ mentis. in* 6° *q.* 7. servitii duntaxat imponit sollicitudinem, ita quoque protectio protectorem quidem facit, at Dominum non item. Tædet vero hanc serram reciprocare diutius. Alienis utar verbis totam hanc materiam strictim complectentibus, ita *Althusius dicæologiæ lib.* 1. *c.* 31. *nu.* 21. 22. 23. *Clientes sunt qui administrationem rerum suarum habentes suique juris existentes, ex justa & probabili caussa in potentioris alicujus patrocinium, tutelam, protectionem, fidem & fœdus sunt suscepti modo legitimo. Vocantur alias homines Ligij ab eligendo patrono vel quod se ligabant amicitiæ patroni. Cæsar devotos vocat, alibi suscepti, asseclæ, vel familiares, dicuntur.*

Commodum hujus clientelæ est, debitus à clientibus patronis suis honor, reverentia, & obsequium, quibus addo annuum salarium, quod clientes promiserunt patronis, fidem & auxilia in periculis, sumptus ad defensionem & protectionem necessarios. Quamvis (notari id velim) operas suas protectoribus non debeant neque subjectionem, & jurisdictionis exercitium admittere teneantur.

Onus clientelæ, est defensio à protectore suscipienda, in periculis adsistentia, quam etiam non rogatus præstare tenetur, & invitis quoque, ita ut protectione domini ab aliorum injuriis tuti esse possint in capite & fortunis. Hactenus ille, quæ pluribus ibi DD. authoritatibus late firmat. At spero quidem per hæc ipsa firmiter satis esse roborata, quæcumque ad stabiliendam sententiam nostram adducenda fuisse nobis sunt visa.

Nec parva tuarum laudum fiet accessio, quod primus es cujus pedibus supplex respub. Veneta se prosternit, cui submittit cervicem, quem ut cœleste numen colit, veneratur, observat.

Gemina sunt hæc ijs, quæ Campanos à Samnitibus victos, & longiori bello petitos Romanis occentasse ex Livio retulimus, fateorque credere me, cum & alias habeam mihi quam persuasissimum, eam quæ à Guicciardino hic est inserta historiæ suæ, perinde ac si re vera totidem verbis habita fuisset, orationem, nihil esse præter ingenij lusum, quo se Iustinianus aut alius quilibet oblectatus sit, ut quam graphicè exprimere posset τὸ πρέπον amicis ostenderet, credere inquam me, eandem orationem ad imitationem illius Campanorum orationis fuisse compositam, adeo sibi quaquaversum similes sunt. Sed enimvero, sufficit integra libertate, his ipsis demissiora à Campanis dicta fuisse, nec alio à Romanis reputata sensu, quam si forent non dicta, saltim non talia, quibus ullum in Campanos jus istiusmodi sibi admetiri possent, ut illius intuitu arma exinde sumturi forent, non homines prius quam Deos violatura; neque caussam

inve-

invenio, cur altum sonantibus hyperbolis, tragicisve miserationibus, à dicentis facundia non à rei veritate proficiscentibus, magnopere commoveamur. Interim est quod serio gratias agat Anonymo Venetorum libertas, quod ipsemet, omnibus argumentis suis, quibus ad extirpandam ex animis hominum Venetorum libertatem hactenus est usus, quod ipsemet omnibus commentis suis, emendicatisque suffragiis, quibus eam neque in primæva radice consistere posse, Gothis ludibrium debuisse, ab Exarchis illusam, ab Imperatoribus nunquam agnitam, summo nisu persuadere conatus est, non deroget modo sed aratrum velut inducat, dum tanquam veras, indubias ac contradictionis haud capaceis in scœnam adducit Legatorum Venetorum voceis, quibus illi primum esse Maximilianum, cui sese pedibus libertas Veneta (si Diis placet) prosternat, fateantur suppliceis.

Et sic quidem defungi poteramus, cæterum, debetur hoc ei quam nos profitemur arti æqui & boni, ut vel per indicem commonstremus quam enormiter in illam adversarius impingat. Ac quidem, in dubio contra Libertatem, cujus est immensus in jure favor, decidendo, causam non dixerit, quin vel se judice malignus sit lividusque. Quod non distinguit inter eos actus qui à Libertate devii quidem sunt, libere tamen possunt, & à liberis fieri, ineptus est, ac nimis oscitanter supinus. Quod modum habendæ rei, non sejungat à re ipsa, ac sic quoque, qualitatem hominis liberi, ab exercitio Libertatis, peccat. Quod dissentanea pro consentaneis obtrudat, minus est ingenuus. Finemque ut faciam, quod solo detrahendi occæcatus studio, quæ vera sunt dicere non audeat, audeat vero quæ scire & potuit & debuit, ignorare autem omnino non potuit, à vero esse aliena, nullius est precii. Est nimirum sanctissimum humani pectoris bonum, humanarum rerum supremum vinculum, fides. hanc nec odia trans-

transversam agant, nec ad fallendum præmiorum vel amplissima spes impellat, tantum vero abest ei impune quispiam ut illuserit, se sibi illa vindicat, ac, ut ait Mimus, *Fidem qui perdit non potest ultra perdere, fides ut anima unde abiit nunquam redit.* Ita in Palamedis apologia quem Latio sermone citamus, Leontinus Gorgias, *Vita vitalis ei esse haud potest, qui fide & honestate spoliatus est. Qui enim pecunias amiserit, qui regno ceciderit, qui patria fuerit ejectus, ad meliorem vitæ conditionem revocari potest, atqui fidem amisit eam recuperare non potest.* Vt verbo absolvam; perijt cui perijt fides.

CAPVT. XVII.

De Libertatis habendæ modo instituta dissertatio. Ducum Venetorum potentia qualis & quanta. Falsus est Anonymus, dum eam summam putat, dum quæ Ianottus dixit, Triphoni Gabrielio adscribit. Laus Triphonis Gabrielii, ejusque defensio. Janotti fides in rebus Venetis elevatur. Thomæ Aquinatis sententia de restricto Ducum Venetorum Imperio. Nomen Imperii speciesque à vi Imperij quantum distent. Argumenta Anonymi à provocatione ad Duces, à collegis ab ipsis ducibus sibi adscitis, desumpta, improbantur. Ridicula Anonymi verba de invidia plebis in Duces derivata. A vero abit Anonymus, dum illustres Venetorum familias, priorum Ducum potentia oppressas, à ducatu demum Sebastiani Ciani caput extulisse tradit.

ASserta huc usque Venetorum Libertate, quatenus ea in singulorum personas cadit; eo devenimus, ut de

Liber-

Libertatis habendæ modo, quem ab ipsa Libertate separari debere ac distingui jam nunc à principio monuimus, nobis sit differendum; Sed & hic detrahenda Anonymo larva, ac sicubi usquam in planum deducenda veritas. Examinanda nimirum hoc loco est priscorum, quos Veneta Respublica tulit ducum, potentia qualis ea fuerit ac quanta. Ille ϑεῖλκαῖς ponit absolute summam fuisse, nos author tate magis suadendi quam Imperandi potestate præditam. Dicendum quod res est, vidit quam disertim adversarius, difficulter comprimis, eo se evasurum ut theseos suæ veritatem lectori probet; quin & insuper cum nosset, contrarium annales atque omnia omnino historiarum testari monumenta, ac proinde non posse se quod asserit iustis authoribus communire, leonina deficiente vulpinam sibi assumendam judicavit, ergo ad emendicanda suffragia non impigre accingitur, sed & horum ipsi multa penuria, quid faciat? quo ne prorsus ab authoritate idem sentientium videatur destitutus, totus est in allegandis aliquot locis haud aliunde potissimum petitis, quam ex Donati Iannotti de rep. Veneta commentarijs. Nam Bodinum quidem sub Flabio Albergate vapulare fatetur ipsemet, ac nec inficiari ausit, quæ è Botero Iustinianoque obiter modo, ac velut in transcursu citat, circa verborum aucupia magis versari, quam circa justarum authoritatum pondera. Quandoquidem ergo totum sententiæ suæ robur in Iannotto ponit, operæ pretium fuerit despicere quid quantumve in oppugnanda convellendaque Venetorum libertate Iannotti valitura sit authoritas, quinimo, nec injucundum fuerit hæc lecturis ob oculos ponere, quam non dextrè, quo plus splendoris auctori suo conciliet, ludat in re seria, assumpto fere quaquaversum nomine Triphonis Gabrielij patricij Veneti dum in vivis esset, quique non proletariæ eruditionis laude clarum ad posteros

 nomen

nomen transmisit: perspexerat jam ante adversarius, ea quæ ex Iannotto adducturus erat fragilia multum fore, ac vel ad levissimos impulsus in ruinam prona, si nihil aliunde suppeteret, quibus ea fulcirentur, ergo postquam semel iterumque Iannotti mentionem fecit, quęcumque deinceps exsequitur eum ad modum citat, tanquam si prolata forent à dicto jam nobis Gabriele, quo nimirum facilius legentium animos in assensum trahat, incautosque ac minus in id attentos, tanti nominis percellat fulgur. Id Anonymum agere ex ipso Scrutinij ejus contextu vel quivis deprehendat, *verba,* inquit, *illius* (Gabrielis nempe) *commemorabimus prout ea Donatus Iannottus commemorat, scriptor multum prudens, veraxque Scrutin. cap.* 4. *ac* 5. *Verum quidem, est* inquit, *eam Iannotto sententiam placere,* &c. sed & ipse quoque perinde ac si inconcussam authoritatem ad firmandam Iannotti sententiam esset allaturus, *ponamus* (subjungit paulo post) *ipsa Gabrielis verba.* Quæ siquis inter se conferat, agnoscit opinor Anonymum ita se componere, ac si hinc Iannottus, inde Tripho Gabriel, sive Gabrielius, bini forent, ac sic quoque distincta eorum esset autoritas, neque ullatenus assumtum sibi esset Gabrielis nomen, ut Iannotto plus authoritatis circumdet. Quin notandum ex adverso, ipsummet Iannottum quo scriptis suis fidem conciliaret, dedita operâ Gabrielem loquentem introduxisse, ut quandoquidem Florentinus ipse, suis de Rep. Veneta dissertationibus fidem de facili haud esset inventurus, apud exteros, cessaret id omne adducto in scenam Gabriele, patricio Veneto ac patriarum rerum non ignaro. Notius est quam ut dici debeat, ijs qui dialogisticum in modum, materiam aliquam tractant haud alij fini loquentes viros illustreis introduci, quam quod major eorum quos introduxere, quam ipsius qui scribit, futura credatur authoritas. Cæterum quæ pro Gabrielis sententia nobis obtrudere satagit, esse ea revera

vera

vera ipsius Gabrielis, nemo temere credat, modo attendat omni similitudine veri carere, illum in tam illustri materia versantem, de patria Repub. scribentem, unde non poterat non ipsi quam amplissima laudum enasci seges, sibi met ipsi injurium esse voluisse, ac suppresso nomine suo, suis quæsitam meritis gloriam, in extraneum derivare, quem ne de facie quidem norat. Fatetur quoque Iannottus quo tempore de Venetorum Repub. sermo erat, non sibi visum Gabrielem: Scripserat jam ante summo bonorum omnium cum applausu de Repub. eadem Cardinalis Contarenus, vix toto quinquennio ante Gabrielis excessum è vivis, præmortuus; circumferebantur illius libri, omniumque terebantur manibus: ab hoc diversus abire cum vellet Iannottus, judicasse eum, non satis in semet ipso præsidij sese habere, ac proinde de firmioribus munimentis opinioni suæ prospectum voluisse, notatu difficile non est. Cæterum ad Gabrielem ut revertamur, eccui fides fiat, hominem Venetum, nedum Triphonem illum Gabrielem, virum nimirum talem tantumque quantum eum (hoc uno veridicus) Anonymus deprædicat, de rebus patrijs tam absona atque aliena à vero, ut mox luce meridiana clarius demonstrabo, scripturum fuisse? quis item credat, eum, siquidem conscius erat quam curta sibi domi supellex foret, ac quam non penitissime res patrias haberet perspectas cognitasque, humeros oneri tanto bajulando neutiquam pares fuisse subjecturum. Vt ait ille,

Turpe est quod nequeas capiti committere pondus,
Et pressum flexo mox dare terga genu.

Fateor, non accessit ad Remp. Gabriel: Ille quidem secreto lare, quiete ad invidiam felice beatus, beatam transmisit vi-

tam, cæterum tamen si in animo habuisset res Venetas posteritati tradere, ut ut ad archiva publica adytus homini privato esset interclusus, multa tamen passim tota urbe apud civeis suos privatim asservata, reperire potuisset, ac speciatim qui publici quodammodo sunt ac penes advocatos Communis (ita eos Veneti vocant) manuscriptos duos multum vetustos, nec non & alterum volumen, cui nomen *Cerberus*, alterumque item cui titulus *Capitulare Advocatorum Communis*. quæ sane volumina haberi de facili possunt, ut nec difficile est ea in usus suos, id agentibus nancisci. Vtique dubium nulli, quin vir ille, tanta prudentiæ laude conspicuus, ea ipsa in antecessum consulturus fuerit, quam multis erroribus rerum veritatem involvendo, resque à veri fide multum alienas tradendo, non minus in famam suam quam in patriam urbem peccaturus. Iannottus, interim, patria ut dixi Thuscus earum quas scribit rerum, nec hoc quidem nomine satis gnarus quod sui essent sæculi (totis enim ducentis ac viginti quinque annis Iannottus posterior est) equidem quam fidem habere possit in iis quæ adstruit, non video, maxime si quidem quam plurima patrum decreta (magni concilii parteis familiari vocabulo Veneti indigetant) iis opposit um imus, frontibus adversis, pugnantia cum illis, quæ ab ipso adducta sunt, qualia mox dicebam aut ex privatorum Bibliothecis, aut ex monumentis quæ jam dixi, archivisque consequi datur, idque continuata vel in hunc diem serie, ab anno saltim millesimo ducentesimo sexagesimo primo, quando priora quæ fuere, ferale Venetorum urbi incendium hausit. Atque hæc quidem de Iannotto, deque præposteris subdolisque adversarii technis dicta sufficiant. Cæterum nunc ea quæ frustulatim ex Iannotto transcribit adversarius sumamus in manus. Iannottus ergo verbis plane cothurnatis, idque non uno loco *absolutissima potestate usos duces dicit*. Ejus rei argu-

argumenta esse comprimis insignia, quod à Tribunis fuerit appellatum ad Duces, quod pro arbitrio suo duceis collegas sibi assumserint, quod si quæ hoc vel illo duce rei Venetæ tristiora obvenissent, omnia in unum incubuerint ducem, quod non nisi ab excessu Sebastiani Ziani, familiæ apud Venetos illustres caput attollere cœperunt, fatiscente nimirum sub illo ducum potentiâ, ac denique, quod non alias quam sicubi collibitum esset, Duceis soliti fuerint convocare concilium. Primum quod adfertur de *potestate absolute summa, authoritate nullis frenis coercita; ad summum evecta propria ducibus, administrata, gesta, moderataque ducum arbitratu, Repub.* aliisque, caussa non est cur nos altum sonantia Iannotti verba deterreant, nullo teste firmata neque, nisi uni Iannottó, eisque quos in errorem protraxit defensa. His nos ipsam suo mox loco rerum evidentiam quæ tota est, ab adversis partibus oppposituri, in præsentiarum, cum naturæ communis oraculo regerimus, nonnulla subinde de subjectis prædicari, quæ tamen non insint, inesse nonnulla quæ non prædicentur. Confundat Anonymum *D. Thomas*, qui quamvis Venetorum ducem à cæteris distinguat, ac principatum habere posse fateatur, dicit tamen, *Esse illius temperatum regimen*, Ita ipsé. *In partibus autem Liguriæ, Amyliæ, & Flaminiæ, quæ hodie Lombardia vocatur nullus principatum habere potest perpetuum, nisi per viam Tyrannidis, Duce Venetiarum excepto, qui tamen temperatum habet regimen. lib* 4. *de regim. princ. c.* 8. circa finem. Quæ cum jam nunc annis ab hinc plus minus quadringentis prolata sint, atque asserta, à notissimæ sanctitatis ac candoris viro, quique etiamnum angelici doctoris prælustri titulo clarus est; talia procul dubio sunt, ut quivis ea judicet esse quam integerrima, suspecta utique aut pro suspectis habenda censeat nemo. Videt ergo benignus lector (cujus & capite primæ nostræ velitationis facta mentio) hoc loco dominationi sine fine

contra positam Libertatem cum modo. Annorum insuper inter D. Thomam Iannotumque intercapedinem, recte ponderare si cui lubet; aut totus hallucinor, aut pluribus opus haud erit. Nempe nec causa sit, cur doctorum sæculi sui phœnicem dicamus scientem fallere voluisse, aut cur deferendam ex adverso Iannotto Donato, censeamus fidem, suis modo unius commentis innixo, suique Gabrielis emendicanti suffragia, eaque, quod rei caput, ne Gabrieli quidem ipsi probata, ac nec ulli cordato viro, rerumque Venetarum vel ex parte gnaro unquam probanda.

Sed nec omittendum, de nihilò haud esse, quod hoc ipso capite nolle se politicas ullas observationes attingere adversarius edicat. Omnino nullas libare si mens ipsi fuit, miror equidem cur argumenta, cur rationes Iannotti de penitissima depromptas politicè, tanta cura excerpat; si in propositum lemma cadere nonnullas posse putavit, miror etiamnum magis, cur nomen Imperii speciesque, ab Imperii vi quantum distent, ignorare velit. Erit nobis de utroque sermo. In præsens notasse liceat, humanarum actionum gnaros, ea solerter distinguere. Ita alibi Tacitus, *Imaginem retinendi domandique Armeniam penes Romanos fuisse, non penes Parthos lib.* 15. *Ann.* doctus & alibi, *Vim ac potestatem Imperii ab illius honore discernere. lib.* 2. *histor.* Dixerat jam pridem prædictus author, *Non esse penes Arsacidem Imperium, sed inane nomen, apud imbellem externa mollitie; vim in Abdagesis domo esse. Annal.* 6. nec alio spectant quæ apud eundem Sallustius inculcat, *Ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad Senatum vocando, eam conditionem esse Imperandi, ut non aliter ratio constet quam si uni reddatur.* Adversarius, si vim principatus in Duce Venetorum ponat, (quod certe facit) eam, ab illo cujus D. Thomas meminit temperamento, secernat, unicè velim; si tem-

temperamentum aliquod admittit, ultra dubium non est quin peccet, immoderatam potestatem attribuendo jam dicto Duci. Ast inquit à Tribunis ad Ducem provocandi facultas erat. Vbi fuisse liquebit, erit in promptu, quod non rationibus minus quam exemplis, ad objecta respondeam: facti est quod adfert, probationes exigimus. Ipsum quæ dicit probare haud posse, magno argumento sit vel id unum, quod nihil tale quid probet, imo ne quidem probare contendat. Sed nec interim talia provocationum sunt jura, ut non reputentur inter jura majestatis communicabilia, quamvis nec temere communicanda. Iam dudum est cum sub Carolo nono Galliæ Rege, qui Barrensi in ducatu prærogativam istiuscemodi in Lotharingum Cardinalem contulerat, quæstio ista multorum menteis iuxta ac manus exercuit. Subsisto in terminis inculpatæ tutelæ, quos ut excedam nec nostro proposito nec recte rationi sit consentaneum: Subjungit porro, Collegas sibi qui in curarum decorisque partem venirent, idque arbitrio suo, asciviſse priscos Duceis. Verum si dicit, multum dicit, habebit quinimo adversarius me sibi adstipulantem, si quod asserit, justa probatione confirmare potis est. Ita est, binos subinde Duces Veneti habuere, non sequitur tamen, secundum legendi, sibique sociandi, priori Duci jus fuisse, idque patribus inconsultis, nedum contra nitentibus ac pro Ducis arbitrio. Liberam moderandæ Reipub. ac nullis circumscriptam limitibus, usque ad Sebastiani Ziani tempora, penes Ducem resedisse facultatem, Iannottus asserit. Ziani ducatus in annum centesimum septuagesimumque tertium supra millenum incidit. At vero jam tunc, anno supra millenum quarto, id est toto sesqui sæculo, & quod excurrit, Duci Veneto, Ducem legendi sibive assumendi ablata facultas erat, idque decreto publico. Quod si scivit Anonymus, manifestè prævaricatur, si nescivit, condonem

donem lubens; monstrari à me aut probari si desiderat, equidem ut ut fuerint ea jam nunc ab annis quinquaginta publici juris, docebo lubens, quæque in hanc rem privato à me conquisita sunt studio, volenti impartiar. Quæ tristia obvenere reipub. inquit ille, eorum invidia in unum Ducem incubuit, alias in omneis reipub. clavo admotos, ex æquo desævitura, me quidem, fateor, argumenti pudet, deducti à plebe,

cui nos humili læsisse veneno
Summa, nec impositos unquam cervice volenti
ferre duceis.

Cæterum nec ita perfunctorie bonos autores salutavi, ut non ex illis edoctus sim, non alias magis rerump. rectores probos, quam temporum quibus ipsi Magistratum gesserint lætitia celebrari solitos, ac ex adverso, enatæ sub ipsis calamitatis, nomine traduci sugillarique, ergo ut Anonymi argumento suum constet robur, demonstretur oportet in duceis principesve solos hujusmodi invidiam detorqueri solitam. Ego ad privatos quoque quidquid id est laudis aut invidiæ, privatim spectasse in utramlibet partem nullo negotio commonstravero. De Scipione *Lucilius*, ita *Nonio Marcello Gellioque* (*lib.* 4. *noct. att. c.* 17.) dictantibus,

Scipiadæ magno Improbus obijciebat asellus,
Lustrum illo censore malum infœlixque fuisse.

De se Cicero *in orat. post reditum* ad Quirites. *Mecum quæstiones, mecum jura Magistratuum, mecum senatus authoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas, mecum Deorum & hominum sanctitates omnes & religiones abfuere*, ac in Eutropium *Claudianus lib.* 1.

Nam

Nam quæ jam bella geramus
Mollibus auſpiciis, aut quæ connubia prolem
Aut frugem laturus ager? quid fertile terris,
Quid plenum ſterili poſſet ſub Conſule naſci?

Ex adverſo, autor Panegyrici ad Conſtantinum Imperatorem ſic infit. *Præclara fertur Catonis oratio de luſtri ſui fælicitate, jam tum enim vetere illa Repub. ad Cenſorum laudem pertinebat, ſi luſtrum fælix condidiſſent, ſi horrea meſſis impleſſet, ſi vindemia redundaſſet, ſi oliveta larga fluxiſſent, &c.* inque eaſdem parteis quem in Eutropium citavi, pro Stilicone Claudianus,

En cui diſtulimus melioris ſæcla metalli
Conſul adeſt, ite optati mortalibus anni,
Ducite virtuteis hominum, floreſcite rurſum
Ingeniis, hilares Bacchi, frugumque feraceis.

& quæ ſequuntur.

Quod porro vult familias illuſtreis demum à ducatu Sebaſtiani Ciani eniteſcere pulchrius ac evehi ſublimius cœpiſſe; quo nimirum tempore circumſcriptior eſſe cœpit poteſtas Ducum; plane momenti nullius, fuerit, ut ut ita ſe rem habere fateri velimus; cæteroquin quandoquidem hac in parte veritatem ſibi adverſantem Anonymus habet, eumque non modo annalium fides, ſed & vivi ſpirantesque etiamnum complurimi illuſtres viri, quorum familiæ dudum ante Ciani tempora pro nobiliſſimis habitæ, erroris redarguunt, verba in re clara & cuivis nota prodigere mihi non eſt animus. Ac nec longus ero in confutando noviſſimo quod Iannottus movet argumento, quid eſt hic confutationibus

 opus

opus, siquidem ipse Iannottus conjecturam fatetur, eamque ut à vero non abhorrentem in argumentum trahit? ait ille sibi ita videri, at nos nihil est quod cogat, ut Pythagoricum αὐτὸς ἔφα tot jam sæculis inusitatum, in Anonymi Iannottive gratiam revocemus in lucem, opinionem suam aut argumentis instruere, aut scriptorum classicorum suffragiis probare siquidem potest diversa res erit; in chimęras opinionum calamum stringere, supervacuum sit, & inutile. Erit tamen mox super novissimis istis argumentis quæ ex Iannotto adversarius adducit commodior occasio differendi.

CAPVT XVIII.

Error Iannotti taxatur de bissenis electoribus. Electores anni, Electores medij anni. Eligendi modus. Id variis S. C. formulis probatum. Error insignis Anonimi in adsignando tempore, quod majoribus comitijs eligendis præstituit. Reipub. Venetæ ratio circa hæc accurate observata. Error Jannotti de numero eorum qui ad majora comitia eligebant. Ex archivis publicis singula probata. Quæ majorum comitiorum partes. Fallitur Anonymus, dum ex toto civitatis corpore majora comitia eligi statuit. Viri illustres, qui in lacunis Hadriatici maris sedes fixere. Tribuni à Venetis creati, illustrium familiarum viri. Mox Duces suffecti clarissimarum familiarum. Ducum nonnullorum series. Mutatum in pejus Joannis Mauritij filij ingenium. Ioannes Gradensis Patriarcha ob dicendi libertatem Du-

cibus

cibus invisus, & de turri præcipitatus. Carocius per vim Ducis titulum usurpavit. Quomodo Zebastianus Zianus in Ducem electus. Nobiles semper à populo, nedum plebe, apud Venetos distincti.

EO devenimus, ut despiciendum porro sit, qua veritate nitatur Anonymi lemna, quo Venetos absolute atque omnino liberos ait fuisse, isto nimirum tempore quo ad majus consilium, sive majora comitia omnibus ex æquo (ita namque statuit) patebat accessus. Quæ superiore capite fusius commonstravi, quantus in eo sit adversarius, ut sub Triphonis Gabrielis nomine lectoribus imponat, non repetam: hoc ipso capite, manifeste prævaricatur Iannotti nomine suppresso, cum tamen textus quem allegat sit ipsius Iannotti. Ita infit, *Gabrielis ergo ponamus verba.* Sed, ponat agedum, præeuntem nos κατὰ πόδα sequamur. Dicam in antecessum, quæ citat Gabrielis verba, non eo ordine aut contextu apud Iannottum reperiri, sed aliunde transumpta, ita legentibus obtrudi, ac si cohærentia inter se ac concatenata, unam, eamque continuam, periodum absolverent. Quod sane verum non est, ac fide minus bona factum apparet. Sic Iannottus. *Et eorum quidem comitiorum totam rationem fuisse illam puto, quæ postea diu permansit usque ad illud tempus, quo cœptum est intercludi. Singulis annis extremo mense Septembri ad festum diem Dedicationis Michaëlis Archangeli bis seni cives deligebantur, bini è singulis tribubus (nam civitas tota senis tribubus continetur) his autem quod nostra monumenta perhibent, fas atque integrum erat ex universa civitate sibi cooptare* CDL *usque ad* CDLXX *cives, & ea conditione, ut singuli possent è familia sua quatuorviros summum asciscere. Ex iis autem omnibus in unum coactis conflata quidem majora comitia, sed in annum erant, quæ Magistratus omnes creabant, ut nunc moris est.* Ha-

ctenus ille. Ego contra falsum esse dico, quod de bis senis illis civibus deprædicat, ac non uno publico decreto (partes vocari commonui) contrarium posse evinci contendo: Eorum, quæ mox adducturus sum, publicorum decretorum beneficio dilucide apparet, annum millesimum ducentesimum ac septuagesimum nonum, quos Iannottus bissenos fingit electores, non nisi tres numero fuisse, eosque ipsos cum aliquot ante annis quaterni fuissent, haud multo post ad ternarium numerum redactos denuo. Nulla istis temporibus Lex, nullum decretum, nulla reipublicæ invenitur sanctio, quę intra statum prętinitumque numerum electores coerceat, annuatim res ea majoribus comitijs ventilari solebat, idque servari, quod pro ratione temporum maxime esse è Repub. Patres judicabant. Iam tum à principio terni illi regulariter, ac fere semper ab ultimo Septembre ad finem Martij isto fungebantur munere. Ipsis Kalendis Aprilis, mox in proximum semestre alij itidem tres sufficiebantur. Illos ego, priores nempe, ELECTORES ANNI vocari fuisse solitos comperio, eo quod ab ijs electis in annum vertentem, maximam utique anni partem, majoribus consilijs admoveri moris esset: posteriores ELECTORES MEDII ANNI dicebantur. Diversitatis haud altera ratio, quam quod ab ijs electis, longius quam in semestre ad jam dicta nobis comitia, haud adhiberentur. Quæ jam attigimus, tum etiamnum quoque sicubi numero quaternos esse electores contingeret, obvenisse subinde constat: obvenit insuper, ut & alteri speciatim ad illum actum, nempe ad Electionem festo D. Michaëlis absolvendam eligerentur, qui ea absolutâ confestim injunctum sibi munus abdicabant, ac neque fas erat eosdem anno illo ad eandem functionem obeundam iterato designare. Verum tamen ita ferentibus (de quo mox verba facturi sumus) rebus, cum alij ex civibus in eorum locum

suffi-

sufficiendi essent, quos ad explendum majorum comitiorum numerum desiderari contingebat, eligi & ipsi poterant, idque conditione, lege, ac modo talibus, ut jam ante dictum est. Hos ipsos majorum comitiorum electores, eligendi non unus semper idemque fuit modus. Nempe eos aliquando aut electores illi, quorum erat cæteros qui munus aliquod publicum obirent, eligere (quorum utique numero ipsimet continebantur) eligebant, aliquando item eligebantur quatuor viri nobiles qui citra, ac totidem numero, qui ultra canalem habitarent. Super his postquam jam dictis Comitijs itum esset in sortes, bini adusque supererant, hi, ut dictum, citra, illi ultra canalem habitantes, recepto more ut cæteris qui anteverteret, plus media suffragiorum parte superior esset. His eos qui majoribus comitijs adhiberentur, eligere jus erat ac potestas. Ea quæ dicimus solida veritate quæ constet niti, primum, quem notavi eligendi modum disertim probat, quod in diem Novembris decimum ac tertium. Anni milleni ducentesimi septuagesimi tertij incidit Senatus consultum, cujus hæc verba. *Quod omnes electiones, quæ de cætero fient in Majori Consilio debeant fieri in hoc modo, videlicet, quod ponantur tot balottæ de vamino albæ in uno capello, quot homines erunt in Consilio, in quibus poni debeant XL deauratæ, & propinqui eorum, qui habuerint balottas deauratas, debeant exire de Consilio, sicut nunc exeunt, & illi XL qui habebunt balottas deauratas debeant remanere, & alij recedant. Et ponantur XL balottæ in capello IX quarum sint deauratæ, & illi qui habebunt balottas deauratas faciant electionem, vel electiones, quæ dabuntur fieri per sex eorum ad minus.* Quibus consonant quæ circa hanc rem Anno millesimo ducentesimo ac nonagesime die Iulij 6ª. statuta sunt. *Quod omnes Officiales Venetiarum, qui eligentur à modo ad Festum S. Michaëlis venturi, & ex tunc usque ad annum unum debeant eligi hoc modo, videlicet, quod inter omnes balottas quæ ponentur pro*

electionibus faciendis ponantur L. balotta deaurata, & facta electione de L. ponantur postea in capello quinquaginta balotta inter quas sint XII. deaurata, & illi, qui habuerint ipsas XII balottas facient electiones officialium, qui tunc eligi debuerint, ita quod ille, qui erit electus per novem ipsorum sit primus sine aliqua approbatione & in hoc non intelligantur Procuratores S. Marci, nec Patroni Arsenatus. Posteriorem eligendi modum concernunt quæ anno exinde octuagesimo tertio supra millesimum ac ducentesimum die Septembris vicesima ac sexta Senatus decrevit verba item sunt talia. *Quod eligantur IV Electores dupli, scilicet duo de citra Canale, & duo, de ultra, & possent accipi de omni loco, & approbentur secundum consuetudinem, & illi, qui erunt electi, debeant esse, sub pœna librarum L. & statim quando erunt approbati ducantur ad Palatium, qui debeant antequam descendant de Palatio eligere centum de Majori Consilio, & illos de consilio Rogatorum, qui debeant esse à S. Michaële, usque ad sanctum Michaëlem.* Quin imo jam ante anno scilicet millesimo ducentesimo septuagesimo nono, die decimo quarto Martij sic statutum fuerat. *Capta fuit pars quod de cætero sint quatuor electores duo de ultra Canale, & duo de citra, secundum quod erant tres, & faciant electiones, quæ fiunt per tres eorum.* Item anno octagesimo secundo supra millesimum ac ducentesimum, die vero Septembris vigesima & sexta. *Capta fuit pars, quod fiant* IV *electores dupli, per rodulos in Majori Consilio scilicet duo de ultra Canale, & duo de citra & illi qui erunt electi debeant esse sub pæna ordinata, qui debeant facere centum de majori Consilio & illos de Consilio Rogatorum antequam descendant de Palatio, & postea facta prædicta electione non sint amplius electores pro ista vice.* Anno vero CIↃCCLXXXII, die Novembris XXVI^a^. *Cum posita esset pars utrum videretur, quod deberent fieri* IV *electores anni qui deberent esse usque ad kal. Aprilis, & eligere illos, qui darentur eis de majori Consilio; & alia pars fuit quod deberent fieri* IV *electores, qui deberent eligere illos de majori Consilio qui dabuntur*

buntur eis una vice, & statim facta electione sint foris de electoria. Capta fuit pars, &c. Quæ quidem hic applicanda duximus eo quod superius allegata luce meridiana reddant clariora. His addé quod statutum fuit, anno octuagesimo 4°. supra millesimum ac ducentesimum, die decima Octobris. *Capta fuit pars, quod fiant* IV *Electores anni, duo de citra Canale & duo de ultra, qui sint usque ad Kal. Aprilis. sicut est solitum.* Item anno cIↃ CC LXXXV. die Septembris XXIX. *Capta fuit pars, quod fiant* IV *electores anni, cum illa conditione, qua fuerunt anno* &c. Item anno cIↃ CCLXXXVI sexta Octobris die. *Quod debeant fieri Electores medii anni* &c. Anno vero cIↃ CCVCVI die duodecima Februarii. *Quod revertamur ad primum statum S. quod eligantur tres Electores anni ad medium annum, qui eligant illos de majori consilio.* Ea ipsa latius etiamnum contenta videmus S. C^to^. Anni millesimi ducentesimi octuagesimi tertii XIII Septembris, cujus hujusmodi est textus. *Quod eligantur per majus Consilium octo Nobiles, scilicet quatuor de ultra canale & quatuor de citra canale, & vadant vicum ad unum ad unum, & ille qui habebit plures balottas habendo majorem partem dicti Consilii sit primus, & similiter sit primus quicunque electus fuerit per duas manus, & si non approbarentur taliter, quod remanerent duo de citra canale, & duo de ultra in continenti in dicto consilio, fiat alia electio, ita quod remaneant, duo de citra canale, & duo de ultra canale. Qui teneantur eligere omnes officiales de Palatio, qui debent intrare ad proximum Festum S. Michaëlis per majorem partem ipsorum quatuor. Et statim cum ipsi quatuor approbati fuerint debeant remanere in sala Majoris Consilii & non possint de ipsa sala discedere donec electiones dictorum officialium factæ fuerint, in pœna soldorum grossorum* XX *pro quolibet; & si ipsi non essent in Palatio in continenti vadant pro eis de Consiliariis, vel de capitibus de* XL, *& inveniant eos, & ducant ad Palatium, & non possint loqui ipsi quatuor cum aliquo; & si accideret quod aliquis dictorum quatuor electorum esset infirmus, vel non esset in terra, vel aliquo casu esse non posset cum aliis electoribus, eligatur alius*

loco

loco ejus qui deficeret in dicto majori Consilio, & remaneat cum aliis in dicta sala majoris Consilii, & non possit de ipsa discedere, donec electiones dictorum officialium factæ fuerint, in pœna solidorum XX *grossorum pro quolibet, ut prædictum est, & non possint eligere de se ipsis in aliquo dictorum officiorum nisi duos; & teneantur ad Sacramentum non loqui simul quod unus consentiat alteri aliquam personam in aliquo dictorum offitiorum & illi qui erunt electi in dictis offitiis debeant esse in eis, sub pœna illa, qua tenentur illi, qui eliguntur per majus Consilium.* Vtque quam cumulatissime satisfaciam eccum denique alterum insuper decretum XXVII Septembris anni nonagesimi, secundi, supra millenum ducentesimumque. Verba illius adscribere etiamnum haud pigeat. Sunt autem talia. *Quod debeant fieri modo* IV. *Electores de citra Canale, &* IV *de ultra, qui remaneant in duo de citra, & duo de ultra, qui debeant eligere antequam descendant de Palatio centum de majori Consilio, &* LX. *de Consilio. Rogatorum, & illi qui erunt Electores debeant esse sub pœnis contentis de libris L. pro quolibet, & sint de annis in consilio contentis, etiam conditionibus solitis, & possint eligi de Consiliariis D. Ducis.* Hactenus SCi. textus. Duo è præcedentibus colligere atque observare datur; Prius nempe, ut ut in more habuerint Veneti binos semper electores creare ex æquo citra atque ultra canalem habitantes, eos ipsos tamen nullo discrimine ad majora comitia vocasse, quos visum fuit non attento eo, citrane an vero ultra canalem habitarent. Posterius, circa prædictos electores constituendos non unum semper eundemque modum placuisse, sed pro beneplacito (ut disertim ex jam adductis vidimus) multotiens hac in re variatum fuisse.

Est præterea multum insignis Anonymi error in tempore, quod majoribus comitiis eligendis præstituit, namque festo dedicationis D. Michaëlis Archangeli omnes & singulos quotquot majoribus comitiis essent admovendi electos fuisse,

fuiſſe, verum non eſt. Eligebantur nimirum iſto divi feſto, circiter centum, illis ex Rogatorum conſilio ſexaginta numero, ex quadragintavirali conſilio quadraginta adjuncti; qui deinceps cum cæteris urbis Venetæ Magiſtratibus nec non illis, qui extra urbem muneribus poſtliminio in illam redierant, ipſiuſque Ducis (ſi quos habebat) filiis, corpus illud magnorum comitiorum conſtituebant. Lubet hic denuo pedem figere, publiciſque decretis, quæ dixi, firmare. Anno octuageſimo ſecundo ſupra milleſimum ac ducenteſimum prima Octobris die ſtatutum fuit. *Quod illi qui ſunt electi hoc anno de Conſilio Rogatorum, ſint hoc anno de Majori Conſilio, cum inveniatur cancellatum conſilium, per quod rogati erant de Majori Conſilio.* Anno CIↃ CC LXXXVIII, die Iunii ſexta. *Quod ſi aliquis de illis* XL. *qui nunc & uſque ad S. Petrum approbabuntur non eſſent de Majori Conſilio, debeant eſſe de Majori Conſilio, ſicut nunc intrarent in Quarantia.* Anno autem CIↃ CC LXXVI ultimo Octobris. *Quod omnes Baili, Duces, Comites, Caſtellani, Poteſtates, Conſiliarij & Rectores omnes, qui vadunt pro D. Duce, exceptis Caſtellanis S. Alberti, Capitaneis Adrus & Padi, & exceptis omnibus Conſulibus, propter Conſulem Apuliæ, qui debet eſſe in conto illorum Rectorum, & exceptis Vicedominis quod quando redierint de ſuis Regiminibus ſint de Majori Conſilio, ſive quod eligantur, quouſque durat ipſum majus Conſilium, & hoc intelligatur tam de iſtis, qui ſunt ad præſens, quam de illis qui eligentur.* Item anno CIↃ CC LXXXIII die Martij viceſima. *Quod Capitaneus qui venit de Capitania Padi, & alij qui ibi erunt Capitanei per tempora, redeuntibus ipſis de ipſa Capitania ſint de majori Conſilio pro illo anno uſque ad S. Michaelem tunc proxime venturum.* Anno CIↃ CC LXXX. die Februarij XXVII^a^. *Quod Conſiliarij* XL. *judices omnes de Palatio, & illi de nocte, qui nunc ſunt & erunt per tempora completis eorum officiis ſint de Majori Conſilio. ſive quod eligantur uſque ad S. Michaëlem.* Eodem anno die nona Octobris.

bris. *Quod Filij D. Ducis, qui nunc sunt, fuerunt & erunt sint de Majori Consilio sine quod eligantur, postquam compleverunt annos quatuordecim.* Item anno cIↄ cc LXXII die Septembris vicesima septima. *Quod addatur in Capitulari omnium Officialium de Rivoalto qui sunt de majori Consilio, quod non possint nec debeant venire ad majus Consilium, nisi diebus Festivis Solemnibus, & ad Consilia electionum à S. Michaële in antea.* Sed tempus est ut his satis adstructis, pergamus. Sciat ergo benignus lector, quod cum multoties obvenisset ut intra annum vertentem quidam Comitijs excederent, nempe ut administrandæ justitiæ præessent, aliaque publica obirent munia: hinc factum, ut ijs possibile haud fuerit, dum in demandata sibi intenti agant, comitiis quaquaversum interesse; præcipue cum multotiens quin imo quam creberrime ea cogi haberique contingeret: Nempe majora quæ diximus comitia, non ea duntaxat de causâ instituta fuere, ut magistratus crearent honoresque (qui alter Iannotti est error) distribuerent, sed quod esset ipsorum accurare ne quid aliter quam è publico bono fieret, quod discuterentur ventilarenturque coram ipsis reorum causæ, quod ferrent leges, quod largirentur privilegia, quod delictorum ab ipsis impetranda esset venia, quæque his similia sunt. Colligat hinc quivis fieri non potuisse, quam ut ipsis talia tamque ardua negotia frequentius coeundi necessitatem imponerent. Adde, quod nec rectores civitatum ditioni Venetæ subjacientium, item legationem obituri, item quos aut mors interciperet, morbus distineret, privatæ necessitudines alligarent, Comitijs majoribus adesse potuerunt. Sicubi ergo nimium infrequentia ea Duci ejusque assessoribus sive consiliarijs videbantur, vel si publica utilitas, aut negotij quod præ manibus esset conditio, plurium requireret præsentiam; eorum muneris erat accurare, alij ut sufficerentur, quin imo superadjungerentur etiam-

etiamnum alij, eo semper numero, ac toties quoque ac ipsis è Repub. videretur. Fidem fecerit, quod ea obvenisse tempora pro comperto sit, quibus anni intra spatium, ternis supra vicenas vicibus allecti sint, qui majoribus comitiis interessent. Sed nec hic anxie laborandum nobis, ipsa agedum decreta protrahamus in lucem. Anno nonagesimo quinto supra millenum ducentesimumque die Iunij sexta decretum fuit. *Quod quando videbitur D. Duci, & Consiliarijs de eligere aliquos de majori Consilio, debeat definiri quod videbuntur eis fiendi, & definito numero eligantur, Electores cum conditione, cum qua eligunt. tur in Sancto Michaele: scilicet quod quando elegerint illos qui erunt definiti debere eligi, sint extra electoriam, & debeant eligere, & non possint esse Electores amplius ad eligendum de majori Consilio usque ad S. Michaelem tunc prius venturum.* Huic adde decretum decimi tertij Augusti anni cIↃ CC LXXVI. *Quod addatur in Capitulari Electorum, quod non debeant petere à D. Duce, & ejus Consilio homines de Consilio ultra quantitatem, quam eis dederit D. Dux, & Consiliarij & facere debeant electiones eis datas.* Quin imo si quid insoliti magnive, aut quod Reip. statum impense concerneret obvenisset, omnes & singuli, quotquot comitijs exierant, ij insuper ipsi, quos in illum annum leges à comitijs arcebant, solemnis jurisjurandi vinculo sese obstringebant, repetituros se confestim intermissa sibi comitia, quo frequentiores instructioresque quæ in rem præsentem essent despicerent, curarentque ne quid publica res caperet detrimenti. Exemplum siquis hic à me requirit, si quis decretum publicum, nec hic destitutum me legitimis authoritatibus faxo experiatur. Eccum decretum 6. Novembris, Anni septuagesimi secundi, supra millesimum ducentesimumque, cujus hæc sunt verba, *Quod quilibet de majori Consilio, & de Officialibus qui sunt de majori Consilio per suum offitium teneantur sacramento venire ad majora Consilia, quæ fient super factis, quæ tractantur*

 & tra-

& tractabuntur cum Ambaxatoribus, &c. insuper si non venerint perdant unum grossum. Item, decretum XXVI Novembris ejusdem anni, cujus itidem verba sunt talia. *Quod omnes illi, qui sunt electi de majori Consilio & Offitijs, & quatuor Procuratores S. Marci, & illi de Arsana debeant venire ad consilia majora, quæ fiunt de Ambaxarijs, &c. & quilibet teneatur in hoc esse. sub pœna librarum centum, & excusatio non valeat.* Quo vero manifestius etiamnum errores redarguamus id quod pro lemmate sumit adversarius, fuisse nempe omnes & singulos habiles ut magnorum comitiorum pars fierent, aditumque ad ea liberum patuisse cuilibet; sciat benignus lector esse id quam falsissimum. Ipsi illi electores certis attinebantur legibus, quas ipsis egredi neutiquam licebat. Nempe erat ipsis attendenda eorum quos comitijs admoturi erant ætas, erat & nascendi sors. Ætatem quantum attinet, probat quæ dico decretum Anni CIↃCCLXXIV. VIII. Iulij. verba sunt. *Quod addatur in capitulari majoris Consilij quod à S. Michaële in antea aliquis puer, qui sit minor viginti annorum non possit, nec debeat capere partem in aliquo consilio de Venetijs, exceptis filijs D. Ducis, qui est, & qui erunt per tempora, & si videretur D. Duci & Consiliarijs pro aliquo facto secreto licentiare eos de Consilijs, quod possint facere, & ipsi teneantur exire, sed non teneantur per Sacramentum nec per aliquam pœnam venire ad Consilium.* Quod ipsum ex inde anno CIↃ CCC. renovatum ampliatumque constat. ac novissime anno CIↃ CCC XIX. Novemb. XXV. quod quidem decretum cum ea quæ defendimus hactenus, faciat planissima, publici juris ut faciam, operæpretium est. Est ergo tale. *Quia modus, qui est de eligendis Electoribus qui eligunt de majori Consilio non videtur bene conveniens, nec honestus propter subjectiones multas, & ineptas, quas homines faciunt, ut sint electi, nec sæpe fiat factum ita communiter ut debe-*

deberet, capta fuit pars, quod, ut hæc forma melius, & honestius fiat, ponantur in uno capello tot ballottæ, quod erunt illi, qui scripti fuerint ad Quarantiam, qui possunt eligi de majori Consilio; inter quas ballottas sint tot ballottæ deauratæ, quot erunt illi qui dabuntur eligi de majori Consilio, & vocetur unus puer XII. annorum, vel inde infra, qui accipiat ballottas de capello ad unam pro omnibus, qui scripti erunt in libro Quarantiæ, incipiendo à primo & sic sequendo per ordinem, legendo nomen cujuslibet, quando accipietur pro ipso ballota, & quicunque habuerit ballotam deauratam habeatur pro electo, & illi qui sic electi erunt approbentur inter XL. secundum usum illorum qui eliguntur per Electores. Et ista electio debeat fieri, ita quod sit facta infra quartum diem intrante mense Decembri, & hic ordo servari debeat de cætero singulis annis, & tantum plus quod omni anno ab isto in antea projciantur texeræ inter scriptos pro quo debeat accipi primo ballota, & pro quo secundo, & sic de alijs, quia de istis, qui modo scripti sunt non potest esse fraus. Et quia aliqui possunt etiam nimis induciare per hanc viam esse de majori Consilio, qui non possent habere ballotam deaureatam, volumus quod nihilominus à duobus annis in antea capta ista parte, quoties aliquis habuerit XXV annos completos, probando hoc sufficienter coram D. Duce, Consiliarijs & Capitibus de XL. ita quod eis, vel majori parti eorum videatur bene, & sufficienter probatum, habeatur pro electo & sit de majori Consilio, facta prius probatione de eo inter XL. sicut solitum est fieri de alijs, qui eliguntur. Verum in hoc quantum de favore XXV annorum non intelligatur de illis quibus concessum esset de gratia, vel concederetur, quod possent eligi de majori consilio & non possit hæc pars revocari nisi per Consiliarios XXV. de XL. & duas partes Majoris Consilij, & si Consilium, vel capitulare est contra sit revocatum quantum in hoc. Et revocatum est consilium dicens, quod fiant Electores. Nascendi

cendi sortem duo comitabantur impedimenta, nempe quod aut spurij essent, quos decreto publico Anni cIↃ CC LXXV. v. Octobris exclusos certum est. Decretum est tale. *Quod aliquis Bastardus de cætero non possit eligi de Majori Consilio, vel in offitio, quod sit de Majori Consilio.* Aut quod non essent progeniti parentibus nobilibus, eoque nomine magnorum comitiorum capacibus, ut manifesto colligere est ex decreto anni cIↃ CC XCI. XXIV. Februarij; verba sunt. *Quod illi, qui mittuntur Capitanei X Galearum, & ab inde supra debeant in suo reditu esse de majori Consilio sine aliqua electione, sed Capitanei, qui sunt vel erunt à X. Galeis infra non sint in suo reditu propter Capitaniam de Majori Consilio, sed ille qui non posset esse secundum formam Consilij de Majori Consilio, non intelligatur quod propter Capitaniam Galearum debeat esse de Majori Consilio.*

Quid? quod inter eos ipsos, quibus ad majora comitia patebat accessus, ordo in eligendo servandus fuit electoribus. Primo namque loco allectos constat, qui jam nunc ante illa tempora pars fuerant majorum Comitiorum, sub finem demum anni, juniores aut filij eorum in dictum ordinem allegebantur. Hi si forte (ut sæpe evenire solebat) eorum nomina ignorarentur, paterno ut designarentur erat receptum. Sic videas Anno cIↃ CC LXVIII. *Filius major Petri Stèni*, & anno sequenti *Filius Iacobi Delfini. Filius Thomæ Barbadici*, & sic de cæteris. Receptum insuper erat, quod etiamnum hodieque in usu est, ut majoribus comitijs indictis recitarentur ex indice nomina magistratuum, quorum in illum diem facienda veniebat electio, vocabaturque recitatio talis vulgari nomine *la Proposta*, utpote quæ rerum isto consensu agendarum, esset quidam velut schematismus. Insuper quoque anno mill. ducent. septuagesimo & sexto, VIII. Octobris factam electoribus potestatem constat eligendi *De illis de extra* (verba sunt Decreti) id est, factam fuisse potestatem,

eos

eos in dicta sæpius nobis majora comitia eligendi, qui præteritis temporibus ad illa non fuerant intromissi, & sic pro extraneis habiti, ut & actis publicis commonstrari queat anno CIↃ CC XCVII electores illius anni extraneos tres cooptasse, inque fidem rei nominatim designatos qui sic allegebantur cum Epigraphe, *Isti sunt de extra.* Tam falsum insuper est, quam quod falsissimum quod de numero eorum, qui ad majora comitia eligebantur, nugatur Ianottus. Actorum publicorum indices, qui in Ducatus Grammatophylacio asservantur, & ad quæ de facili volentibus accessus est, hominem erroris convincant. Etenim si cum ipso errare in animum inducamus, eorum qui electi fuere, annuatim si faciundus est computus, perinde ac si omnes eodem momento in comitia majora forent allecti, numerus eorum sane, prout ipse calculum init, sibi quam minime constabit, numerus inquam, qua personarum, qua annorum. Vertat sese in omnes formas, non effecerit, quo minus utrimque differentia, eaque multum notanda, legentibus se sit oggestura, qualem non est uti nobis figuremus, si quidem statuimus uno eodemque contextu festo D. dedicationis Divi Michaëlis Archangeli electionem illam fuisse absolutam, ipsos indices inspicienti patet ilico scripturæ diversitas, dum superiores, id est primitus electi, ab inferioribus, id est electis sub anni finem, liquido secernuntur, quodque rem totam multum evidentem reddit, sunt priores illi numero semper plus minus centum, qui quidem eorum status est numerus, qui festo D. Michaëlis eligebantur. Ita ut omnino habendum sit, illa nomina ut diversæ electiones testantur, diversis quoque temporibus fuisse scripta. Eoque magis, quod ab anno CIↃ CC LXXVI eadem illa nomina revera inter sese discriminata inveniantur, expresso quaquaversum tempore, in quod electionum quæque inciderat. Alios ergo Septembri mense, alios

alios Ianuario, alios Februario electos, ac in indicem relatos deprehendas. Amplius dicam, si verum est quadringentos illos quinquaginta viros, usque circiter ad quadringentorum septuaginta virorum numerum dicto divi Michaelis festo fuisse electos, illis si superadjungere velimus, hinc ex Rogatorum consilio alteros insuper sexaginta, reliquos inde è quadraginta virorum collegio; item si super addimus super Reipub. administros, muneribus suis defunctos inque urbem reversos, si denique cæteros qui in urbe publicis ministeriis vacant (quibus omnibus esse diximus jus majorum comitiorum) jam necesse erit, ut sexcenti aut septingenti corpus illud magnorum comitiorum constituant; constat, tamen ex adverso, probaturque infinitis sortitionibus, quarum etiam in hunc diem, memoria perdurat, intra quadringentorum numerum, stetisse comitia. Iungamus jam dictis, visum modo fuisse, probatumque, publicorum decretorum monumentis, primam illam electionem, & tempori, festo nempe dicti sæpius Divi, & numero suo, fuisse adstrictam. Si de secunda electione instituendus est sermo, nempe de eorum electione qui aut in illorum qui deerant locum, sufficiebantur, aut alias ad comitia vocabantur, vidimus ipsa meridiana luce clarius, pependisse id omne ab arbitrio Ducis, nec non eorum, quos sibi Dux habet à consiliis, qui pro frequentia comitiorum aut infrequentia, pro natura eorum quæ occurrebant tractanda, substitutiones istas, & auctuaria comitiorum, admoderari consueverant. Atque hinc enata est illa in electionibus varietas, quas modo denas duodenasque, quin imo viginti & tres aliquando fuisse diximus. Atque ut ut esset in sex tribus distincta civitas, ex unaquaque tribu tamen æquali numero neutiquam eligebantur, sed pro ut numerosior quæque erat aut infrequentior. Sic videmus ex tribu Divi Marci, quæ cæteros frequentia anteibat,

teibat, itidem plures longe quam ex cæteris fuisse electos, ac nominatim ex illa tribu plures, quam è tribu cui Dorsi duri nomen, idque haud alia ratione quam quod ea urbis regio parcius esset habitata. Festo Divi Michaelis ac sic quoque prima vice, promiscue ex omnibus tribubus electio fiebat, cæteris quæ illam excipiebant non item; cujus ea fortasse ratio, quod non æque in promtu semper foret eos reperire, qui secundum decreta publica eligi possent.

Conditio porrò, aut ut rectius loquamur, illa quam Iannottus adjungit qualitas, nempe liberum cuique fuisse quatuor è sua familia viros ad comitia vocare, si quæ alias unquam, est disertim falsa. Nimirum si quadrigentis illis & & quinquaginta (tot eo ipso authore comitia majora absolvunt) licuit quatuor è sua familia adducere, indubie jam ea in octingentenos supra millenarium numeros excrescant, quod ipsi Anonymo ludibrium debeat, qui met ipse fatetur ex quo ordinata fuere majora comitia, nempe ab anno cIↃ cc xcvi nunquam sexcentos ea excessisse, ipsumque ubi Comitia haberi solent atrium, plurium quam sexcentorum authore Sansovino capax haud esse. At verum ut fateamur si prior ille Iannotti numerus, tam insigni accessione fuerit adauctus, quid supplementis opus erat, quibus infrequentiæ comitiorum succursum fuisse demonstravimus. Nec video sane quo pacto conciliari hæc duo inter se possint ac componi; hinc nimirum, licitum fuisse, tot numero, secum in comitia adducere, inde, qui fieri pote, ut cum in suffragia itum fuit plura quadringentis nunquam reperta sint. Ac Iannotti more ut loquamur, si liberum singulis fuit, ut secum quatuor insuper alteris assumtis quini ad comitia procederent, qua de causa factum sit, ut vel priore electione publica nos archiva edoceant, ex una eademque familia, quinos, quinimo senos fuisse lectos. Anno cIↃ cc x c i v die octava Iulii, cum

Ddd nulla

nulla institueretur electio, sed modo supplemento pro more comitiorum subveniebatur infrequentiæ, sex ex Contarenorum familia electos videas. Anno insequenti, illa quam in festum Michaelis incidisse diximus electione; ex eadem Contarenorum familia quinque ut & quinque è Molinorum gento fuere lecti, suntque eodem anno vertente, iis quæ post inciderunt electionibus, alii plures ex jam dictis familiis gentilibus suis fuere superadditi. Quin imo anno cIↃ cc LXXVI duo fratres electi fuere, Nicolaus nimirum Iacobusque è Canalium familia, idemque Nicolaus eodem anno, sed jam in finem devexo, secundum electus fuisse deprehenditur, unde sic argumentari liceat, si rem gratam Electores faciebant electis, si electus non unum modo fratrem secum assumere poterat, sed vel quaternos simul, quid causæ, cur in unam familiam disperdere voluerint electores istiusmodi beneficia, quæ in plures si dispersissent, plures itidem ac tres ad minimum familias demereri poterant. Si ex adverso grave molestumque fuit iis qui eligebantur, quod publicis innexis negotiis, privata curandi facultas minus suppeteret, nemini credibile videbitur aut simile vero, voluisse electores unam eandemque familiam præter jus & æquum gravare & duobus fratribus jam pridem electis, alterum quem aut casus aut legum tenor comitiis exemerat intra ejusdem anni curriculum denuo eligere. Sunt interim eorum quæ de fratribus binis jam dixi exempla infinita, sunt & passim obvia, quæ de pluribus ex eadem familia electis asserui. Quoniam vero plenissimè absoluta ordinataque fuisse majora comitia anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, Anonymus fatetur; videamus agedum, tanquam in catoptro, ecquis eorum qui suis quisque temporibus electi fuere numerus extiterit, sumto vel ab anno sexagesimo primo supra millesimum ac ducentesimum exordio. Ita se res habet, Eorum qui electi erant

munus

munus annuum erat, cui principium dabat primus Octobris dies, novissimus exinde mensis Septembris finem. Anno cIↃ cc LXI electi fuere quadringenti triginta, & quantum è diversitate characterum, aut scripturæ de qua modo docebam, non male quis colligat, factum id tribus vicibus, prima electio ad numeros quinque supra centenum excurrere deprehenditur, ac notare licet singulis annis id plerumque fuisse factum.

Inter duos annos sequentes chasma est, nec quicquam reperitur.

Anno cIↃ cc LXIV electi fuere ccc XVII

— LXV	— 450	
— LXVI	— 481	Bini hoc anno secundum electi.
— LXVII	— 502	
— LXVIII	— 445	
— LXIX	— 501	
— LXX	— 480	

Ita vero semper electi fuere, ut quantumvis ex singulis eligerentur tribubus, proportionis tamen pro numero habitantium ratio haberetur. In sex ut diximus tribus urbs Venetum dispescitur, quarum hæc nomina S. Marci, Castelli, Canaregij, S. Pauli, Sanctæ Crucis & Dorsi duri. Hic ergo si proportionem quæ servata fuit indagamus, electi fuere è tribubus

S^ti. Marci	143	— *idque vicibus* —	13
Castelli	87	—	13
Canaregij	96	—	14

S^ti. Pauli	85	———	13
Dorsi duri	35	———	12

Ex omnibus generatim tribubus, indistincteque prioris electionis qui fuere, unus supra centum fuere, ea quæ in proportione anni ad quem perveneramus, nempe septuagesimi à milleno ac ducentesimo reperitur diversitas, eandem in omnibus porro subsecutis observare est.

Hic iterum chasma est, desuntque anni quatuor.

Anno cIↄ cc LXXV electi fuere — 577

Estque notatu dignum, in causa quadam Andreæ Danduli plura haud fuisse vota quam ducenta ac septuaginta quinque.

cIↄ cc LXXVI — 444
— LXXVII — 465
— LXXVIII — 435. quo nimirum anno Iustinopolis in ditionem Reip. Venetæ recepta est, numerataque fuere in Comitijs majoribus vota ducenta triginta sex.

— LXXIX — 446
— LXXX — 446
— LXXXI — 388
— LXXXII — 303

Cujus quidem anni decretum extat *ut novis majoribus comitiis electores præcise centum eligere debeant*, estque idem decretum annuatim usque in annum cIↄ cc XCVI renovatum. Est & insuper notandum, eo anno quam hic allegaturi sumus in electione servatam fuisse distinctionem, Festo Michaelis lecti 100. Novembri proximo 30. tricesimo Decemb. 30.

Exinde

Exinde menſe Febr. inſequentis anni 20. Martio 20. ut ut continuata fuerint uſque ad dicti Michaelis Archangeli feſtum comitia viceſimo octavo Aprilis die 20 Maij die decima ſedecim, decima Iunij 80. ac biduo poſt octoginta.

— LXXXIII — 336.

Extat item decretum hujus anni menſis Februarij die undecima trecentis duntaxat ac ſedecim votis firmatum, inter quod ac alterum item decretum in quo ducenta modo ac quadraginta numerantur ſuffragia biduum modo interceſſit.

Tertium hic chaſma decennii intermedii.

— CIↃ CC XCIII — 313
— XCIV — 350
— XCV — 260

Anni — XCVI aliquæ tribus deſiderantur. Decretum interim quod in illius anni ſupremum Septembris diem incidit, evincit mutatam eligendi formulam, cumque annis præteritis centum eligendi eſſent. placuiſſe, ut exinde eligerentur centum quinquaginta, inde menſe Novembri alteri ſaxaginta, ac demum noviſſimo Februarij abſoluta ordinataque fuere comitia. Et ſic quidem eo demonſtrato quum hæſerit in manifeſto errore Iannottus, quoad corpus ipſum majorum comitiorum, quatenus numerum eorum qui illud abſolvant perperam expreſſiſſe, ac omnino ignoraſſe dicendum eſt, probare item operæpretium fuerit id quod diximus plureis, etiam quam quatuor duntaxat ex una eademque familia in majora comitia adſcitos fuiſſe adoptatoſque. Quo ne tamen denuo per ſingulos annos noſtra deducendo faſtidium lectori creemus, unum

modo annum videamus, eumque ex antiquioribus, nempe millesimum ducentesimum sexagesimumque primum. Eo anno fuere ad dicta comitia appellati ex ijs quæ sequuntur familijs;

Badoariorum.	8.
Canalium.	9.
Barozziorum.	6.
Contarinorum.	20.
Bassegiorum.	6.
Barbadicorum.	8.
Corneliorum.	8.
Belegnorum.	6.
Auratorum.	5.
Dandulorum.	19.
Delfinorum.	8.
Foscarinorum.	7.
Falieriorum.	11.
Ghisorum.	6.
Gradenicorum.	7.
Morosinorum.	15.
Michaëliorum.	12.
Matiglioniorum.	5.
Mæcænicorum.	7.

Moli-

Molinorum.	9.
Polanorum.	5.
Quirinorum.	19.
Venieriorum.	9.
Sonziorum.	8.
Iustinianorum.	5.
Zenorum.	6.
Zanutanorum.	8.

Ac sic de anno in annum, non interrupta serie, videre est multo majorem eorum numerum fuisse, qui ex illustribus familijs ad dicta nobis comitia allegebantur quam Iannotus aut ipse credidit, aut posteri ut crederent voluit.

Atque his quidem ita positis, reliquum est ut ostendamus, quam manifesto in errore versetur Anonymus, qui authoritate Iannottij non alias majoribus Comitijs assignat partes, quam quod penes illa fuerit, Magistratus quos libet creare; quod sane eorum quæ ad dicta Comitia spectarent minimum fuisse, aut saltem è minimis, argumento sit, quod magistratuum creandorum facultatem, ut plurimum Electoribus demandatam fuisse comperiamus, qui id ipsum nomine aut vice majorum Comitiorum, instructique ad id, à dictis jam Comitijs, ea, quæ par erat, authoritate longo sic satis tempore sunt exsequuti. Exadverso, comitijs illis cura præcipua erat condendi leges, de criminibus cognoscendi, judicia disponendi, gratias elargiendi, non modo quæ communem Remp. sed & ea quæ summam Reipub. spectarent ordinandi, onera tributaque imponendi, quæque

quæque his similia sunt, aut etiam majora. Singula singulis agedum exemplis adstruamus, ut ut infinita adduci possunt, quæ & in hodiernum diem jugiter servata, nullam dubitandi relinquunt materiam. Anno cIↄ cc xxxvII. Augusti die vII. *Capta fuit pars* (ita textus) *in majori consilio per D. Ducem, Consilium Majus & Minus, & XL. & publice stridatum Rivoalti & datum per ordinem omnibus hominibus Venetiarum, quod nullus Venetus audeat emere res de ruberia, facta tam super Christianos, quam paganos.* Atque hoc est quo potestas legislativa Comitijs asseritur. Videamus, spectaritne ad illa de criminibus cognoscendi facultas. Ita est. Anno cIↄcc LIX. XIII Iulij, quo pacto in materia criminali, ac contra reos alicujus criminis peractos procedendum sit comitia decrevere, ac (ut iterum textus) *capta fuit pars quod omnes partes quæ ponentur in majori Consilio, vel inter quadraginta occasione condemnandi Venetum vel Venetam, in persona, vel havere, ire debeant taliter in ipso Concilio circa, &c.* Gratiarum erogationes quod attinet, exemplum ejus suppeditent ex Frangipannorum gente Schinellæ Comes, & qui eum sunt insequuti. quorum in gratiam, Anno cIↄcc LX, IX Aprilis, *Capta fuit pars in majori Consilio, quod Comitatus Vegla dari debeat & concedi nobilibus viris, Comiti Schinella, & suis hæredibus, & filijs Comitis Guidonis, &c.* Eodem anno circa ordinem judiciorum factum decretum die Iunij mensis XV. *Capta fuit pars in majori Consilio, & ordinatum, quod quandocunq; aliqua quæstio sive petitio fuerit inter Venetum & Venetam, sive inter Venetum & Forastierum, & quæstio illa sive petitio ducta fuerit ad Majus Consilium, vel inter* XL, *sive in Consilio Rogatorum, parsque poneretur super ipsis factis,* &c. quæ transcribere non attinet, satis enim superque constat ex jam dictis etiam civilium judiciorum eam fuisse conditionem, ut nonnulla eorum ad majora comitia fuerint referenda. Anno insequenti (ut & ostendamus, jus ijs ac potestatem fuisse, ordinandi quæ ad commu-

communem Remp. spectare videbantur) factum ut Parentinæ civitatis incolæ se Reip. Venetæ subditos vellent, qua de re quid statutum sit ita decreti tenor nobis explicat. *Cum diceretur per Ambasciatores, quod potestas & homines Parentij, volebant præsentare, & dare civitatem Parentij in manibus & Fortia D. Ducis, & commune Venetiarum, secundum quod habent Gradum, Muranum & alias suas terras, & contratas, ponendo per se in dicta terra, volunt gentem volunt consulem, sicut & cum illo salario quod D. Duci & suo Consilio placuerit ordinare, secundum quod videbit, quod possint portare, habendo eam in sua potestate, sicut habeat alias suas terras, salvis rationibus D. Patriarchæ & per D. Ducem & Consiliarios poneretur pars, vultis eam accipere cum ea conditione, & cum illis melioramentis, quæ fieri poterunt vel non? & cum essent homines, 358 in consilio capta fuit pars per ducentos homines, minus, tribus, quod accipi debeat.* Tandemque ut ostendamus ea quæ vel ad summam Reip. faciebant à Comitiis majoribus, ordinata fuisse, videmus eadem illa pactas cum Orientis Imperatore Palæologo, inducias, confirmasse, de quo similiter decreti tenor. *Quod tregua firmata ac jurata per nobilem virum Marcum Bartholomini, nomine D. Ducis & communis Venetiarum, Imperatori Palæologo debeat sacramento firmari per D. Ducem nomine communis Venetiarum: sicut jurata est per eundem nobilem sine conditione. Erant in consilio 292 de quibus non sinceri 35 in partem 68 volebant habere consilium 40. voluerunt istam partem 149.* Ac novissime quo nec intactas relinquamus onerum tributorumque impositiones, certum est, annis CIↃ CC LXXXIII item LXXXVIII facta decreta super commodatis publicis (Veneti imprestita seu imprestitas vocant) quarum ea natura, ut necessitatibus publicis ita ferentibus quisque patriæ suæ mutua dare devinctus sit singula, bina, terna aut etiam plura quantum videbitur, instituta, ad centena quæ in bonis habet proportione, sic tamen ut quæ quisque credidit, eidem ac-

cepta referantur, subinde cum interusurio, atque ita semper ut sortem ipsam à Rep. consequantur. Decreta lector si desideret, eccum prius. *Quod fiat impræstidum de solidis decem pro centenario, occasione Guerræ Histriæ, ita quod non possit expendi in alio, per aliquem modum, vel ingenium nisi libras mille pro facto littoris.* Eccum & posterius. *Quod debeat fieri impræstitum pro exercitu ituro in Histria, de duabus pro centenario, tali conditione quod non possint expendi in alia aliqua re, nisi pro exercitu, & occasione exercitus aliqua conditione, modo, vel ingenio, & una dictarum duarum debeat esse excussa per totum mensem Januarij, & alia usque ad totum mensem Februarij.* Vt jam dixi, si vel centies millena istiusmodi exemplorum adducenda forent, nullo labore conquiri adducique possent. Allegata suffecerint.

Est & in illo multum manifestus error Iannotti, quod majora Comitia è toto civitatis corpore statuit eligi solita, id enim si credit, quod ex scriptis illius disertim elicit autor Scrutinij, nempe aditum ad ea fuisse cujuscumque demum sortis hominibus, idque promiscue atque indistincte, profecto errat. Sed enimvero quoniam hoc illud ipsum est, quod se demonstraturum promisit atque adeo in se recipit adversarius, rectà in illum ire placet quo vestigia illius premendo, esse quæ dicit in omnibus & per omnia multum falsa exhibeamus vel ad oculum, eodemque responso, utriusque argumenta diluamus. Sic ergo author Scrutinij *Reliquum est ut probemus antequam ea absoluta fuere*, (de Majoribus Comitijs agit) *civium omnibus & singulis, dum modo rite recteque essent allecti, aditum ad ea patuisse neque extitisse ullam omnino legem quæ id vetaret.* Merito addubitare liceat, absolvaturne uno contextu, quam ex adversario allegavimus periodus, an vero in duo membra dispescatur: ut nempe si bimembris dicenda sit, hoc velit, antequam colophon Comitijs istis esset impositus, omnibus quos elegi contigerat civibus, eo pervenire

venire

venire fuiſſe liberum, ac porro confirmationis loco ſubjungantur illa, *nullam interceſſiſſe legem, per quam minus* idipſum licuerit, ſin ex adverſo eſt ea μονόμερος, atque abſoluta, ſimplici quoque probatione ſatisfaciat. Poſterius ſi dicendum eſt ac habenda periodus illa pro unimembri, manifeſto particula illius poſterior, *nempe leges nullas obſtare, quo minus id ita ratum ſit firmumque*, ut probetur neceſſe eſt. Autor ſane Scrutinij toto ſuo tractatu neminem pro ſe adducit cujus ea mens ſit. Idipſum tamen factum oportuerat. Negativum ſcilicet illud lemma, inſtitutis legibuſque Reip. adſtrictum, inque fundamentum argumenti ſui ab ipſo adhibitum, neceſſario ipſi eſt adſtruendum. Fateantur omnes, id ipſum, ſi à conſuetudine longa, ac ſic à jure moribus utentium introducto comprobatoque deducitur, eſſe omnino facti; nec aliud dicendum, quam de illius veritate plurimorum teſtimonijs atque authoritatibus conſtare debere. Vtique in omnem eventum, aliter iſtiuſmodi negativas propoſitiones probari nec poſſe nec debere, nemo ſit qui neget. Verum ſi amamus, nulla unquam tanti momenti ſit ratio, quæ ſanæ mentis cuipiam perſuadeat, uni homini cuncta eſſe perſpecta ac non potius quod eſt in veriverbio, plus oculos quam oculum perſpicere. Vt quod ſentio dicam, cauſam non video cur negativam iſtiuſmodi pro ſe adverſarius adduxerit, niſi fortean illud egit, ut probabili aliqua ratione in medium adducta, probandi à ſe onus ciſmovere atque amoliri poſſet. Aſſertivè hic, ac θετικῶς dicere debuerat, legem aliquam dari quæ nullo diſcrimine cives ad unum omnes tales agnoſcat, ut eos majoribus Comitijs, admovere liceat: debuerat hic imitari Iannottum ſuum, qui cum ſciat, omnia, etiam minutiſſima quæque ad exactiſſimam amuſſim legum, in Venetorum Rep. examinari ſolere; ne nihil dicat, etiamnum hæſitabundus ceſpitanſque, tale quippiam tueri eſt auſus:

 ſus:

ſus: Cæterum, ſi quidem quæ ex Anonymo mox adduximus, partim ut affirment prolata ſint, partim ut probent; id quod aſſeritur probationem quidem aliquantillam habere videbitur, cæterum adeo (ne ridiculam aut ſequius quid dicam) evanidam, ut nemo ſanæ mentis ei fidendum ullatenus putet. Nemo tam eſt hebes, ut neſciat cuncta rationibus veris probari debere, aut authoritate ſcribentium defendi. Rationum pondera, quandoquidem ea contra adverſarium quaquaverſum militant, non eſt hoc loco ut exſpectemus. Authoritatem mutuari eum à ſemet ipſo videmus, perinde ac ſi lividus utut ſit malignuſque, ipſi attamen tanquam jurato teſti credendum ſit, idque in re quæ tot jam ſeculis priuſquam ille ea ſcriberet geſta fuit; perinde item ac ſi ſtatuendum mordicus foret quoniam αὐτὸς ἔφα, nullas interceſſiſſe leges, quominus omnes & ſinguli magnis Comitijs adhiberi potuerint, quoaduſque ea conſummare intraque numeros ſuos conſtringere viſum fuit. Tu vero mi homo, cum nec ratione tua tueri poſſis, aut authoritatibus communire,

Dic aliquem ſodes, dic Quintiliane colorem.

Ergone ne chartula quidem, vel ad patroclianas ſellas damnata, ſupereſt ex qua id te hauſiſſe dicere auſis? Sane qui ſemel impudens eſt, eum inſignite impudentem eſſe debere norunt ii, qui iram atque animos à crimine mutuari ſolent. Tam falſo effato cum temet implicare ſuſtinueris, cur non etiamnum dicis decreto id publico ſancitum fuiſſe, ſed interim cum ea quæ annum CIↃCCXXII præceſſerint hauſerit incendium, commune malum obſtare, quo minus tibi compertiſſima, lectori comprobes? ἰδοὺ ῥόδον ἰδοὺ πήδημα. ſi quid credi tibi poſtulabas, hoc loco credere quiſquam tibi ut poſſet efficiendum fuit, hæc ipſa ſi nullo autore commentus

us es, ut es ſane, merito faceſſas. Si quis tibi è Venetis ſcriptoribus tale quippiam ſuggeſſit næ & ille non explorata ſuggerendo, patriam ſuam male feriato prorſus zelo, tibi illius impotentiſſimo detractori, calumniandam deludendamque propinavit. Agamus remiſſius, ita eſto, ne fuerit lex ulla talis, non tamen ſequatur ex illo aditum ex æquo omnibus ad majora Comitia patuiſſe. Rogati olim Athenienſium legiſlator Solon, Laconum, Lycurgus, hic cur in parricidas, alter cur in adulteros legem nullam tuliſſent, reſpondiſſe dicuntur, neminem ſe credere eo prolapſurum, ut aut parricidio aut adulterio ſe contaminatum vellet. Idem tibi Anonyme regeram; Qui primi in æſtuaria maris Hadriatici ſe recepere, non plebs aliqua, non fæx, non colluvies hominum,

Non paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Homines fuere nobiles, illuſtres, potentes, qui ſua ut ſervarent eriperentque hoſtili furori, ab illo quam longiſſime ut abeſſent operam dedere, ſedes ſuas deſeruere, inque æſtuariis multoties nobis dictis larem fixere, ac fortunarum ſuarum ſedem. Hos ipſos tales tantoſque viros, pares æqualeſque ſibi, alter dum in alterum imperium non affectavit Populum Venetum vocare licuit, populare tribunorum nomen, popularia munia dixiſſe. Suffecerit ergo ſi dicamus, cum jam tum ab ipſis incunabulis, nobiles iſthic ſemper fuerint viri atque ut ut poſtmodum minorum gentium mortales iis ſeſe adjunxerint, ſive eorum jam ante clientes, ſive manuum opificio vitam ſuſtentantes, iidem tamen ipſi quos nominavi nobiles, uſque dum à plebe ſeparatiſſimos ſeſe geſſerint, Reipublicæ clvaum rexerint, cum & inſuper, qui de plebe erant nequidem per ſomnium ad obeunda publica munera adſpiraverint, utique opus non erat ulla lege, ad exclu-

 dendos

dendos illos, qui nunquam ad id dignitatis subvecti fuerant neque ut aliquando subveherentur, metuendum videbatur. Ac quantumvis ea quæ elicere aut deducere Anonymus studet, ex qualibuscumque alterationibus, quas decursu temporum obvenisse subinde causatur, per jam dicta satis superque refutata sint, luce tamen meridiana clarius, quæ asserimus commonstrare, ut pronum nobis ita forsan nec inconveniens erit, tanto. solidissimarum rationum, inconcussarumque authoritatum numero sese oggerente, idque jam tum vel à principio. Nos ea agedum saltim, ad annum CIƆCCXCVI, quo tempore absoluta fuere majora comitia lectori videnda atque dijudicanda præbeamus. Certum ergo est, ut sub hujus nostræ velitationis initium fusius prosequuti sumus, crebris Barbarorum in Italiam inundationibus, longe plurimos in lacunas atque æstuaria Hadriatici maris, convasatis quæcunque pretiosissima habebant, quæque hostico furori subducere poterant, sese recepisse, tanquam in gremium veræ Libertatis, ac invictæ securitatis asylum. Eos ipsos nobilissimos fuisse ac eminentissimos inter suos arguat impressus ille eorum animis tanquam character indelebilis, amor Libertatis, qui eos patriam cum vastis paludum uliginumque incommodis mutare jussit, impulitque. Quod utique eorum factum, aliter ut statuamus non sinit, quam eos pejus letho servitii jugum exosos (ut fere semper est in generosis pectoribus, majorum quidam tradux spiritus qui totis viribus, ad Libertatem ferri, anhelare atque erumpere solet) quo ne quid à Barbaris indignum se, indignum virtute majorum suorum aut facere cogerentur ait pati, habuisse potius, in ultimas maris oras, in margines littorum, in paludum extrema concedere, liberum saltim mediis in fluctibus sepulcrum habituros, quam vel ullatenus infamibus servitii scopulis virtutem suam allidere. Accedit quod ipse ille è patria

sua

ſua domibuſque ut ut fugæ non diſſimilis egreſſus, non alius fuiſſe potuit, quam eorum, qui arietantem in ſe fortunam ſuſtinere, crimina ſua ei donare, inſolentiam ridere, ſecundis adverſiſque rebus experiundo didicerunt. Portentoſas quoque illas medio in mari ſubſtractiones, illaſque tam multijugas, tam varias, tanta à ſe intercapedine diſterminatas hominum fuiſſe, manuum opera tenuem victum qui conquirerent nemo credat. Imo potius (ut revera ſeſe res habet) aſſeveret, viros fuiſſe, quos animi magnitudo, magnarum ſimul rerum capaces fecerat. Quos item neceſſariarum quas ſecum adduxerant rerum copia, egeſtatem aut inopiam reformidare non fineret: atque hinc ſecuros ſui, nec pro illis qui ſeſe ipſis in clientelam ac patrocinium erant addicturi, utpote quibus etiamnum à victu amictuque de facili proſpicere poſſent impenſe ſollicitos. Accedit quod arcta locorum quæ inſidendo ſua jam fecerant ſpatia, numeroſæ multitudinis capacia non erant. Illud autem ipſum non veroſimile modo ut judicemus, ſed pro veriſſimo ut habeamus, facit, maximam partem nobiles eo confluxiſſe, qui, cum plurimum in ſe humanarum rerum ludibriis, eo quod plura quæ amitterent poſſidebant, licere agnoſcerent, ſui, ſuarumque rerum conſervationi invigilare, inque illam intenti agere cœperunt. His accedit quod non unius duntaxat civitatis homines, non communi conſilio, non auſpiciis aut ductu cordati alicujus quem ſequerentur viri, in ea loca conceſſerint, ſed ex adverſo ſibi quiſque dux comeſque fuerit, ſuam privatim quiſque in conſilio fortunam habuerit, unde exinde factum ut alii ſimiliter ejuſdem conditionis homines, iiſdem calamitatibus obſepti, ſenſim ſeſe illis adjungere occæptarint, ac ſic denique temporum progreſſu ſtupendæ illius Reip. jacta ſint fundamenta. Quæ cuncta ſane Anonymus, ipſi Caſſiodoro ſcriptori utique, qui proxime ab illis temporibus claruit, probari,

cumque

eumque vel *quondam*, id est, jam tum à principio, quo habitari cæpere, Venetias nobilibus plenas, pronuntiasse, negare ausit; ut ut eum malignis interpretationibus quaquaversum distorquere, quam enixissime conetur. Bernardi insuper Iustiniani testimonium, quod toties in Venetos contorquere, cujus effatis tam frequenter causam Venetorum jugulare aggressus est adversarius, hac utique in re cur minus agnoscat causam non dixerit. Ait ille de profugis illis, de quibus sermo nobis in præsens est, *Cæterum in his erant qui pecunia pollerent quibusque erat usus ejus tractandæ.* Et paullo post. *Factum inde, Mercaturæ commerciorumque beneficio (quo quidem non conservari modo ne dilaberetur multitudo, sed & augeri non leviter contigit) ut quotidie nobiliores accederent ditioresque viri, iis quibus æquè à facultatibus prospectum haud esset futuri obsidio.* Hos ipsos idem Iustinianus ut quales quantique fuerint demonstret sic alibi locutos commemorat. *Quid majores nostros ad incolendas paludes coegit, quam ut nos liberi alta pace frui queamus, & neque regibus serviamus neque Imperatoribus.*

Tandem cum numero incolarum repleri indies augerique loca ista cœpissent, jamque & legibus opus esset, virisque qui jus insulanis redderent (absque eo enim, ut recte Tullius, non domus, non civitas stare aut punctum temporis se tueri possit) insularum istarum singulæ suum sibi quæque tribunum legere cœpere. (Iustinianus binos, ut dicemus, ait fuisse) sed nihil id rei veritatem mutat, aut ad institutum nostrum facit. Si quæ publicam omnium insularum utilitatem concernere videbantur, si quæ in commune profutura judicabantur, conveniebant inter se ex singulis insulis, singuli tribuni. De horum tribunorum creatione ita Dandulus. *Interea Venetia maritimalis regio, propter bellicas clades populis aucta, in qualibet insula Tribunos annales constituit, qui incolis justitiam exhiberent, facta vero in communi tangentia, ab omnibus com-*

provin-

provincialibus determinari conventum erat. Bernardus quoque Iustinianus, *Creabat una quæque insula, sive littori quod adjaceret oppidum, duos tribunos; ad rem vero publicam, ac si de re quapiam graviori conferenda essent consilia, omnium insularum littorumque conventus indicebantur, ac quo pari omnes gradu dignitateque & essent & haberentur, omnibusque ex æquo concordiæ constaret ratio singulis annis, alius atque alius ad conveniendum eligebatur locus.* Hic iterum eccui fides fiat, primos hosce tribunos, cum multi frequentesque ibi essent viri nobiles, plebeios potius fuisse, quam è numero nobilium? nemini certè, utique non audeat id adversarius, cui hoc ipso opere, familiæ nonnullæ haud alio nomine pro plebeis reputantur, quam quod ex illis tribunos electos haud constet, sic ut omnino ipsemet dicendus sit fateri, è patritijs, non autem de plebe Tribunos legi solitos. Demonstrat id ipsum quam disertissime Bernardus Iustinianus, qui postquam insulanos nonnullos de relinquendis novis sedibus ac repetenda postliminio patria consilia agitasse narravit, postquam ea Barbaris eam relinquentibus à calamitatibus suis respirare videbatur, subjungit tandem, *Virum ferunt ætate grandem & Nobilitate, meritis, ac sanctitate vitæ conspicuum ita ad eos locutum.* Ille ubi multo rationum pondere permanendum evicit, *valuisse ait ejus sententiam, iisque comprimis placuisse quorum in bonis essent littora, cumque ijs salinæ, ac piscationum commoda.* Quæ vero satis efficax sit ratio, ut in assensum sui quempiam rapiat ac cuiquam non verum modo, sed vel simile vero esse efficiat, illis qui ut magnorum Principum ac Dynastarum effugerent imperium, penito libertatis in sinu ac meditullio, infimæ abjectæque subesse voluisse plebeculæ, quam ipsimet usibus suis detinebant, eoque nomine, ipsi quoque alebant? Nulla sane, præsertim si Iornandi circa hæc quippiam deferimus, qui Attilam nobis depingit *Sontibus exorabilem, ac propitium semel in fide receptis.* Illo autore non tam ad

Fff Italiam

Italiam devastandã, quam imperio subjiciendam aspiraverit Attila; id ipsum quoque aperte eundem Attilam præ se tulisse evincant illa dicti nobis sæpicule Iustiniani, *Sontio transmisso caduceatorem seu fecialem, ad circumjacentes urbes dimisit* (Attila nempe) *non eam adventus sui causam, ut ipsos bello petat, aut damnum per injuriam det. Vrbem cui in omnia regimen, Imperij larem, Romam se pergere, imperium solum sibi haberi pro hoste, paratum sese ad obsequium paratis pacem largiri, armis contra decertare parantes, armis itidem cogendos sibi desumsisse.* Quin imo cum hæ conditiõnes placuissent non paucis, scribit idem author. *Mandat posteritati Cælius, è primoribus nobilioribusque civitatibus binas Tarvisium nempe & Veronam fecisse deditionem hanc Præsule Heloidio, ac principe civitatis Tempesta, illam Diacherico tradentibus.* Ab altera parte si ipsiusmet Iannotti verba superius aliquanto citata, ponderare, atque exactius paulo attendere lubet, ubi, inquit, locum in quem quotannis convenire solebant, de anno in annum, ab insula in insulam transferri solitum, ut omnium populorum dignitas servaretur cum pace & concordiâ. Vel inviti fateamur necesse est, ipsos minime fugisse in quo honoris apex consistat, simulque inferendum liquido, si minuta ista, inter quæ procul dubio annua ista loci mutatio censenda est, valida jam tum erant ad bene compositam inter ipsos pacem turbandam laxandamve, multo majoribus turbis occasionem daturum fuisse, si plebs in nobiles imperium sibi vindicare fuisset, aggressa. Omnis id evincat ratio, eos qui id unum ut scilicet inter æquales sarta tecta conservaretur æqualitas, tanta caverunt cura, majore etiamnum diligentia ooeram daturos fuisse, ut inter tam dispares, sua quoque disparitatis ratio constaret.

Mox iterum progressu temporum cum animadverterent quidam ex prudentioribus segnius injurias publicas vindicari ipsosque insulanos, intestinis inter se discordijs, non infrequenter

quenter

quenter collidi, Ducem eligi placuit qui Reip. quasi caput esset, ac princeps, remanente de cæteris, imperii vi ac jure apud eos, penes quos ab initio resederat. Ita conspirantibus omnium votis studiisq; electus in Ducem anno . DCXCVII. Paulucius Anafestus Heracleanus, de quo ita Dandulus in Chronicis. *His salubriter ordinatis, hunc civem Heracleanum sapientia præditum, & nobilitate conspicuum, ducem constituerunt.* E quibus verbis constat non solum *Nobilem* illum, verum etiam fuisse *Nobilitate conspicuum*. Confirmat id ipsum Bernardus Iustinianus. *Ergo è nobilitate Veneta Dux creatur Paulus Heraclea oriundus, inter suos virtute ac generis claritate facile princeps.* Petrus quoq; Iustinianus de eodem, *Paulutius Anafestus nobilitate virtuteque insignis, Dux primus in Heraclea creatus fuit.* Paulucio Marcellus successit, quem aut nascendi sorte aut animi dotibus inferiorem prædecessore suo fuisse, nemini hactenus notatum; Marcellum Ursus Urseolus excepit, de quo Dandulus: *Ursus Dux confirmatus est anno* DCCXXVII *Hic nobilis Heracleanus, &c.* Bernard. Iustinianus. *Denuo indicto ad Heracleam consilio, suffectus est Ursus, genere nobili, &c.* Petrus Iustinianus. *Huic Ursus vir acer, & genere clarus* suffectus est. His adjungi possit Breve illud Pontificis, Venetos ad Ravennam recuperandam cohortantis, in quo reperiuntur hæc verba, *Debeat nobilitas tua*, &c. nisi jam ante id à nobis allegatum fuisset. Cæterum, ut ad Ursum revertamur, fuit ille tandem ab Heracleanis & Equiliensibus, quorum discordias homo præferocis ingenij alere ac fovere credebatur, interfectus. Atque ex eo ipso pro nobis quoque argumentum non leve desumere liceat, nempe cum gens ipsa bellicosa satis esset, ac manu prompta, ac vel, in tantum ut ne ab ipsis quidem Ducibus abstinuerit, credibile non esse si præteritis temporibus honorum dignitatumque fuisset capax, æquo animo fuisse laturam, nulla sui ratione habita, Duces è Nobilibus continuo legi. Longe utique vero similius

milius sit, etiam ingratijs, ac contra nitentibus patricijs, eam id ab ipsis fuisse extorturum, vel per vim secessionesque simili exemplo, quo quondam Populus Romanus ut alter consulum è plebe legeretur crearenturque tribuni plebis patribus extorserat. Nec tamen hactenus Scriptor ullus repertus est, ut ut ex professo Venetis infestus, qui id unquam litteris mandare sit ausus. Ducibus equitum Magistri successere. Quales vero ipsi quoque extiterint, satis nos historiæ docent. Illud dixisse sufficiat, inter illos fuisse Deodatum Vrsi Ducis filium, alterum Iulianum Hypatum, de quo Dandulus. Hic ex munificentia imperiali Hypatus, id est, imperialis Consul, iam factus, vir nobilis, & virtute conspicuus, hunc honorem obtinere promeruit. E quo loco notandum, Iulianum tantum honorem visum mereri non eo minus nomine, quod nobilis esset, quam quod virtute conspicuus. De eodem ita Bernardus Iustinianus. *Addidit ille* (Iulianus nempe) *Consulatus decus quod ab Imperatore consecutus erat, ad eximias virtutes, nobilitatemque generis.* Ac quantumvis id ipsum non invenitur de omnibus ac singulis expressum semper, non alia id factum de causa dubio procul, quam quod in re omnibus notissima, ijs iteratis opus non fuit, nisi forte sicubi alia decora aut ornamenta, novam ea repetendi materiam præberent.

Annis post hæc non ita multis, nempe anno DCCXLII. Duces postliminio quasi creari cœpti. Primus eorum Deodatus fuit Vrsi Ducis filius, nec non equitum, ut jam diximus, non ita pridem magister. Andreas Dandulus caussam assignaturus, cur ille præ cæteris eximius habitus fuerit, dignusque visus in quem dignitas ista esset conferenda, hanc assignat, *Quia nobilis erat, imperialisque Hypati, id est consulis honore, fungebatur.* De Mauritio similiter quarto Venetorum Duce, (quarto nimirum à Theodoro) Anno DCCLXIV, ita Bernardus

nardus Iuſtinianus, *Eligitur apud Metamaucum dux Mauritius, oriundus Heracleâ, ſtemmate nobili, divitiis inſignis.* Mauritio ſucceſſor, ſociuſque fuit filius illius Ioannes, Ioanni Mauritius, ſimiliter illius filius, ac prioris Mauritii nepos, quem, patre è vivis ſublato, confeſtim quoque mutatum in pejus, annales narrant. Ille enim virtutum ſuarum præluſtri fama, ac pietate Equilienſium atque Heraclienſium diſſidia ſopiverat, alter vero data velut opera, ſopita multo flagrantius ut excandeſcerent, allaborarat. Pervicit interim Mauritii avi nomen, ob recens ab eo accepta beneficia longe gratiſſimum, ut ipſi filium dignitatis habere conſortem, ſociumque fuerit conceſſum; eo forte, quod ſpes Venetos teneret hoc illo pacto animum ſeſe protollentes patris ſpiritus, ac plus quam pro ratione temporum, ipſorumque conditione, feroces, coerceri & in orbitam rationis poſſe redigi. Cœterum fruſtra fuere: fefellit eos quam conceperant ſpes, illo non Ducem, ſed Tyrannum agente. Fas ſit in tranſcurſu notaſſe Iuſtiniani Hiſtorici verba. Sic ille: *Fœminis nobilioribus injuriam facere*, ut vel eo ſolo agnoſcamus, fuiſſe diſtinctos ordines. Sed interim redeamus in viam è diverticulo. Ioannes Gradenſis Patriarcha, ſenectute venerandus, vitæ ſanctimonia clarus, ac meritiſſima famà vir, dum ſubinde Ducibus minus recte ab ipſis geſta (ut obſequium amicos; veritas odium parit) ob oculos ponit, exoſiſſimum ſe iis reddiderat. Illum Mauritius, patre ita jubente, edita de turri præcipitatum necat. Ioanni Fortunatus illius nepos ſufficitur; qui injuriarum avunculi nimirum memor, dum cum Metamaucenſibus aliquot nobilibus adverſus Venetos Duces conſpirat; detecta conſpiratione, patriam exilio mutare, inque Galliam ſeſe recipere coactus eſt; Tauriſum conjurationis conſciis ſe conferentibus. Hi, cum partium in ſe prona ſtudia, cum favorem adeſſe animadverterent, Obelerium Metamaucenum, Du-

cem creant, Anno DCCC IV. Dandulum fodes audiamus. *Hic Patriarcha* (ait ille) *graviter dolens de occisione prædecessoris, patefacta conjuratione, qua adversus Duces egerat, de Venetiâ abiit: quem quidem Venetorum nobiles quibus patratum scelus displicuerat, secuti sunt, videlicet Obelerius Metamaucensis, Fælix tribunus, Demertius Martiomanus, Foscarus Georgius, & alij quamplurimi. Patriarcha igitur in Franciam ivit, Reliqui autem Tarvisium petiere, qui suasione illorum, qui in Venetiis morabantur, Obelerium tribunum Ducem elegerunt, quo Duces cognito, ducatum, patriamque reliquerunt.* Nobis hinc tria colligenda videntur, eaque multum notanda: Prius, fuisse absque omni dubio ipsum Ducem nobili stemmate progenitum. Alterum, Tribunos haud alios fuisse, quam item nobiles; ut quoque rem supra commonstrabamus. Tertium Obelerium fuisse creatum Venetorum Ducem, idque à nobilibus conjuratis, qui detecta conjuratione, id temporis Tarvisium sese receperunt. Quid hic æque clarum, quam nullas in eligendo Duce, populi fuisse partes? aliquæ si fuissent, utiq; eas nobilibus criminis manifestô reis aperta conjuratione profugis, extorribusque, tantum jus haudquaquam cessissent. Obelerius principem simulatque locum à se occupari vidit, eô sedulo conversus est, nequid adversum se, Duces expulsi moliri, aut attentare possent: ac quo ne Heracleensibus (ad quos originem suam illos reducere sciebat) propitiis sibi quandoque uterentur, Equilanos ilico in Heracleenses concitat; qui dum vicina sibi loca allegant ab Heracleensibus prærepta ad arma deventum est enatumque inde triste exordium quamplurimarum factionum, earumque non uno sanguinis profluvio infamium. Stabant ab Insulanis sive Equilejensibus Georgius Ioannides, ab Heracleensibus quinque numero fratres Gaulli, Galbæ Gaulli F. è quibus quatuor ista seditio hausit. Horum mors Duci occasionem dedit ut insulanos omnes

nes

nes Equilium convocarit; ubi post multa in rem præsentem, inque utramque partem quæ forent ventilata, tantum obtinuit, ut non Heraclea minus quam Equelio solo æquatis, alias in oras insularum illarum incolæ deducerentur; quod quidem Ducis consilium etsi multos habebat attonitos, subjungit Iustinianus amicos Obelerij, Metamaucenosque cæteros, quibus metus unus erat, ne civitas nobilium familijs refertissima, caput attolleret, ac ad reposcendam ducatus sedem denuo aspiraret, nullo negotio Equilanos in suam pertraxisse sententiam. Ait ille, *Æquilani igitur ex quo id ipsum quoque velle cœperunt, ea haud gravatim vicit sententia, quæ urbium utrique excidium tulit, quo ne unquam externis hostibus aut receptaculum forent, aut præsidio. Paucorum ea res dierum fuit. crescebat indies à Pipino metus, eoque, mirum qua celeritate, ex illustribus familiis complures, qua Metamaucum, qua Rivoaltum fuerint translatæ.* Id ipsum cum jam fœlici satis successu terminatum esset, reliquum erat, ut in communem hostem armarentur animarenturque impensius. Crebro igitur agitantur rumore, qualia sint, quantaque quæ adversum Dalmatas Pipinus designet, esse id unice in votis Duci, ut arctissimo nexu inter sese adversus hostem communem, omnes insulanos devinctos videat. Quod majus erat, inter cedebat pro duce ipse Gradensium Patriarcha Fortunatus. Erat interim deliberatio multum anceps ac perplexa, quæque hinc fidem Imperatori Orientis datam violatura citius, quam luxatura videretur, inde summam rerum in discrimen adductura, irritato, atque hostilem in modum exacerbato Pipino. Omnes ergo insulani adesse jubentur. Vt convenere deliberatio instituitur. Ab una parte Metamaucensis tribunus Honorius, nobilitate generis ac authoritate apud suos prævalidus, Francis æquior fuisse visus; ab altera Angelo Participatio, qui postmodum Dux fuit vir *divitijs & nobilitate* (verba sunt Bernardi Iustinia-

Iustiniani) *potens*, initum cum Græcis fœdus servandum monente. Hanc deliberationem excepit celebre illud prœlium adversus Pipinum, super cujus eventu jam ante disputatum nobis; utque constet & eo ipso tempore nobilitati Venetæ suus honos, notat idem Iustinianus contra Pipinum *Classi Venetæ præfectum fuisse Victorem nomine, nobilem Heracleanum eundemque maximi nominis.* Obelerio mortalitati exemto, ac Metamauco diruto facta Venetorum Ducum sedes Rivus altus, creatusque Dux Angelus Participatius Anno DCCCIX. Illi filius Iustinianus Participatius successor fuit Anno DCCCXXVIII. hunc ejusdem cognominis, Ioannes numerum anno DCCCXXIX, excepit. Referente Dandulo, eodem tempore (nempe quod jam diximus) Proceres Veneti quidam autore Caroso seu Carocio tribuno scelesta inita factione, Ducem à Patria expulerunt. Carocio, qui per vim Ducis titulum usurpasset, deprehenso à conspiratis oculi effossi. Revertitur Ioannes ac denuo ad Reipub. clavum admovetur, ad extremum tamen Mastelicorum nonnulli, qui ad Carociorum familiam originem referebant, Ducem è fano Divi Petri ad Castellum progredientem arripiunt, eumque capillis abrasis, Gradum in Monasterium detrudunt. Ioannem Petrus Tradonicus excepit anno DCCCXXXVI: qui similiter anno ducatus sui octavo supra vicesimum infoelicem sortitus est exitum, conspirantibus adversus illum non nullis, de qua conspiratione ita Manuscriptus quidam codex multum vetustus. *Factum ut Dux ille odium omnium in se concitaverit, dum nobiles plebemque nimirum duriter habet, ac nedum populum, verum ne ipsos quoque nobiles alloquio dignatur, nec alios sibi Comites habet quam servos suos, hinc factum ut ædes ejus obsepserint, &c.* Anno exinde DCCCLXIV, ejus in locum suffectus est Ursus Participatius qui filium Ioannem sibi habuit dignitatis consortem. Solus exinde Ioannes ab anno LXXX, usque ad annum

num LXXXVIII Dux fuit; mox cum ille dignitatem istam à se abdicasset, Petrus Candianus Dux creatur; sed hoc intra annum vertentem vitâ functo, assumtus denuo in Ducem Ioannes fuit, qui & ipse anno insequenti vivere desijt. Hunc Candiani nepos Petrus Tradonicus insequutus est. Illum; Vrsus ejus nominis secundus, è Participatiorum gente, prioris filius. Vrsum anno D CCCC XXXII. item nominis illius secundus Petrus Candianus. XXXIX. Illum, Petrus Badoarus (monuimus jam ante idem hoc esse nomen cum Participatijs) Vrsi filius: Hunc Petrus Candianus, secundi illius filius ac primi nepos, qui filium quoque sibi socium habuit imperi, ille vero patrem de solio per vim deturbare cum anniteretur, in exilium depulsus fuit; ast tandem denuo compositis rebus, anno D CCCC LIX, in patris locum suffectus est. Postmodum anno LXXVIII. Vitalis Candianus dux creatur, annoque sequenti Tribunus Memus. CXI, Petrus Vrseolus. CIↃ IX, Otho Vrseoli filius, qui jam ante ejusdem cum parente dignitatis fuerat consors, de quo multum antiquus manuscriptus quidam codex ita habet, *Petrus Flabanicus duci inimicissimus ad convivium nobilium Venetorum præcipuos vocat, ibi conclusum de expellendo Duce*, &c. Illum ergo captivum primo, mox abrasa barba in Græciam relegarunt, suffecto Petro Barbolano sive Centranico anno XXVI supra millesimum, post cujus è vivis excessum, servata fuit exuli Othoni Ducalis dignitas, medio tempore, Gradensi Patriarcha Iohanne, qui frater Othonis erat, res adgubernante: quoadusque perlato Venetias nuncio excessisse è vivis Othonem, Dominicus Vrseolus, anno supra millesimum tricesimo secundo, per vim rerum potitus est, sed eodem ipso die sede sua depulso illo, electus fuit Dominicus Flabanicus, quo Duce factum decretum ne cui Duci socium, aut dignitatis consortem fas esset adjungere. Anno XLIII, Do-

minicus Contarenus Dux creatur. Anno LXXI Dominicus Silvius. LXXXIV Vitalis Faledrius. LXC Vitalis Michael. MCII Ordelaphus Faledrius. MCXVII Dominicus Michael. MCXX Petrus Bolanus. MCXLVIII Dominicus Morosinus. LVI Vitalis Michael, secundus ejus nominis. LXXII Sebastianus Zianus, in cujus electione cum quædam observata fuerint, diversa ab eo quo cæteri Duces creati fuerant eligendi modo; subsistendum hic nobis paulisper, ad dicenda non nulla, non leviter ea quæ assertum imus firmatura. Non abs re tamen fuerit in antecessum ut præmittamus, Petro Vrseolo Duce, anno nimirum DCCCCXCI quantum ex mandatorum tabulis colligere est, Reipublicæ Venetæ nomine Dalmatiæ urbibus cum imperio præfuisse Vrsum Orseolum Ducis filium Hirminij, sive Ragusæ, Dominicum Bolanum Spalati, Ioannem Cornelium (hodie Cornari) Tragurij, Marinum Memum Albaniæ, quos omnes primariæ apud Venetos nobilitatis fuisse, nemo ignorat, ipseque etiamnum unde hæc petita sunt manuscriptus codex tali eos epiphonemate insignit, *Erant illi ex primoribus Venetis.* Est & alterum quoque Instrumentum manuscriptum anni insequentis, quo eodem Petro Vrseolo Duce, exorto forte fortuna tumultu in Ducali Palatio, Nobiles Veneti indistincte omnes promittunt, se in posteru acturos quietè & ab omni tumultu abstenturos, pœnamque secus facienti quinquaginta auri librarum aut mortis subeundam. Verba publici illius instrumenti sunt, *Decrevimus omnes Iudices à maximo usque ad minimum*, &c. Anno MCXCI Vitalis Faledrus cum Loreanum castrum nonnullis è nobilitatate concederet, hæc in instrumento concessionis verba leguntur. *Quocirca nos Vitalis Faledrus una cum Petro Badoario venerabili nostro Patriarcha Gradensi & cunctis nostris Episcopis & Iudicibus, nec non nobilibus principalibus nostris.* In archivis item

Castel-

Castellani Patriarchatus extat etiamnum decretum] Petri Bolani, anno M C X L I I circa quædam solemnia processionum festo purificationis Beatæ Virginis, cujus hæc verba. *Deinde Pontifex*(Patriarcham designat)*una cum cæteris prædictis Ecclesiasticis, ac sacris induti vestibus, debeant ascendere palatium, & inde cum Domino Duce & Capellanis, cum cætera virorum nobilium turba descendere cum processione debeat.*

Ex ijs quæ huc usque à nobis dicta sunt liquido constat, jam tum à primis urbis incunabulis usque in annum M C L X X I I nobiles à plebe fuisse distinctos. Tribunos primo, atque exinde Duces, nobilibus oriundos familijs. Nobilibus publica munera fuisse perpetuo demandata, sic ut ne ad ea quidem aspirare plebs unquam populusve præsumserit. Atque idcirco etiamsi omnino verum foret quod asserit adversarius, legem nullam dari, quæ quempiam à majoribus Comitijs ac sic à regimine Reip. abarceat, non sequatur tamen, plebem unquam publicorum munerum fuisse capacem: quin imo ex adverso, valide vel ex eo ipso concludendum, cum nec opus fuerit, plebem tali lege lata, aut excl. dere, aut refrenare, eam unicam fuisse caussam cur nulla talis lex unquam lata fuisse reperiatur.

CAP. XIX.

Appendix ad superiora, quæ ex ijs, quæ exinde gesta sunt, porro asseruntur. Quæ in electione Sebastiani Ziani obvenerint. Emanuelis Comeni bellum cum Siculis. Quis tunc temporis Venetorum status. Pestis classem Venetam infecit. Syllabus eorum, quibus facta potestas Ducem eligendi. Ab illis Zianus Dux creatus.

tus. Nulla hic plebis suffragia. Zianum Mastropetrus quomodo exceperit. Nomina eorum, qui eum elegere. Victricia Marci Danduli arma in Graecia. Nobilium Venetorum potentia, & virtus. Regnum Cretae Venetae Reipub. adjectum. Invidia Genuensium. Coloniae à Venetis in Graeciam deductae. Soli nobiles, quibus ad majora comitia tunc accedere licebat. Inter Venetos, & Genuenses ortum bellum. Victoria Venetorum. Tenui aerario maritimis rebus tributum impositum. Laurentius Theupolus Dux factus. Nullae hic populi partes. Petrus Gradonicus quo pacto Dux creatus. Penes solam nobilitatem in omnia regimen. Qui eligebant nobiles fuere. Varijs id Decretis publicis firmatum.

MVlto etiamnum manifestiora quae assertum ivimus evadent, si cui attendere atque examinare illa lubeat quae proximis exinde temporibus gesta sunt. Nos quo lectori nostro cumulatim satisfaciamus, agedum ea pressius aliquanto percenseamus; quaeque in eorum momentis ponderanda videbuntur, designemus. Quoniam vero quae in electione Sebastiani Siani obvenere, & numero, & authoritate reliquis potiora censeri queant, aliquanto altius ut exordiamur erit necesse, ac quae Vitalem Michaelem ejus nominis secundum, Ducem Venetum interimendi causa fuerit, ac quis porro circa ea tempora Venetarum rerum status extiterit ut expediamus, nec inutile fuerit, nec injucundum. Anno supra undecies centenum septuagesimo, Emanuel Comenus Orientis Imperator bello adversus Gulielmum II. Siculorum

culorum regem implicitus, à Venetis ut adverſus eundem auxilia mitterent, enixe petierat. Veneti Fœderum cum Siciliæ regibus initorum memores, atque inſuper revolventes apud ſe, quot inde in ditionis ſuæ incolas promanaſſent bona, quam luculenta immunitatum beneficia, quanta exemptionum commoda fœderum iſtorum beneficio eſſent conſecuti, quibus & illo ipſo tempore fruerentur pro libitu, hinc quidem auxilia imperatori denegant, ac Siculi partes manifeſto fovent, inde vero, quanta poſſunt celeritate, mercatores ſuos ad unum omnes, ac quotquot denique negotiorum cauſa iſtis in oris commorabantur, domum revocant, ſive quod ſua ſponte infeſto in Venetos animo Comenum ſcirent, ſive quod præſaga mali mens, præſcio velut dictamine, eas quæ mox ab illo in Rempub. incubuere calamitates, antecaperet. Ægre admodum denegata ſibi auxilia ferens Imperator, factâ cum Siculo pace, civitatum nonnullas, quas in Dalmatia Veneti poſſidebant, ad defectionem ſollicitat. Nec longo poſt tempore Spalatum, Tragurium, ac Raguſium occupat. Mox graviora Venetis parans, vi, quam jam nunc in illos diſtrinxerat, fraudem jungit, edicit velle ſe ut priſtina inter eos denuo interpolaretur atque coaleſceret amicitia, ei rei civitatum ſeſe, quas jam diximus, reſtitutionem offerre, Venetos mercatores acceptiſſimos poſthac ſibi fore, ac quam benigne excipiendos teſtatur. Qui de tota re cognoſcant, ac ad Senatum referant, miſſi Sebaſtianus Zianus, & Aurius Maſtropetrus, uterque poſtmodum à Venetis, Duces creati. Vt vero verbis Imperatorijs fides habita, ut facta volentibus copia pro beneplacito in Græciam navigandi, plus quam vicena hominum millia eo ſeſe cum navibus ſuis, immenſaque pecuniæ ac mercium vi contuliſſe fama eſt; cæterum cum ægre diem unum Biſantij ſubſtitiſſent, facta confeſtim in ipſos eorumque naves ac

merces manuum injectio, paucissimis admodum exceptis, quos navium pernix celeritas classi Imperatoriæ subduxit, Venetiis quæ in Græcia obvenerant, nuntiaturos. Veneti audito nuntio, centum longas naves, intra totidem dies ad bellum instruunt, super addita viginti navium classe. Illi Dux ipse præesse jussus. Ille ergo Dalmatiam haud segnis petit, ac castigatis quæ defecerant civitatibus, Euboea potitur. Quo animadverso Imperatorii præfecti, cum nec suffecturos se repellendis Venetorum copiis judicarent, injecta mentione pacis, eorumque quæ publice in custodia, attinebantur restitutionis. Legati ut Constantinopolin mittantur, à Duce Veneto impetrant. Missique ei fini, unà cum Equiliensium Episcopo Paschali, Manasses Badoarus; colloquio profectum nihil, ac justo pioque duello per injuriam erepta quæ sint repetenda docent. Dux itaque aliquot navibus, quæ nonnullas Ægæi maris insulas infestarent à se abdicatis, ipse cum tota Classe Chion insulam petit, eamque imperio suo subjicit, atque hic iterum injecta componendarum rerum mentione, factaque spe pacis, eosdem illos Legatos, addito eis comite, cui gentilitium cognomen Græco fuit, ad Imperatorem mittit. Nihil eos ubi agere compertũ, domum reversi sunt, revocante Duce, nec non adducto secum Imperatoris Legato, qui super eodem illo negotio Ducem compellare jussus ferebatur; cæterum sub ipsum exordium, patuit hominem sufficientibus ad fidem mandati tabulis haud esse instructum. Atque hinc tertio legatos mitti visum. Ergo qui cum ipso Commeno super toto negotio conferrent, Vitalis Dandulus, & quem dixi, Philippus Græcus missi. Dum commeant ultro citroque legati, pestis longe fœdissima in Venetam classem incubuit, haud aliunde, ut creditur enata, quam quod fontes fluminaque, unde aquam Veneti quotidie petebant, Imperator veneno curasset infectanda. Hinc Duci, relictâ

lictà Chio domum se ut reciperet, injecta necessitas. Ergo longarum navium numerus cum jam supra vicesimum quintumque haud excurreret, cœteris incendio, quo ne earum hostes potirentur, absumtis, classem tanta sui parte minorem, tantaque fœdatam strage, Venetias Dux, ac cum classe morbum pariter reducit. Ob id ipsum cum primo graves undecumque querimoniæ essent exortæ, eæque indies incrementum sumerent, in nervum procul dubio erupturæ, jamque ad seditionem res spectaret, haud multo post interfectus est Dux ipse, dum vitæ suæ consulturus, relicto Ducario, in locum securiorem se recipere conatur. Nimirum ille prope Divi Zachariæ fanum cuidam cui Carolo Verso nomen, forte obvius, lethale ab ipso vulnus tulit. Factum id vicesima octava mensis Maij, anno septuagesimo primo supra undecies centesimum. Ut quidam volunt, Dux quo jam diximus die, dum sacris operaturus, tumultu sedato prodit in publicum, præter omnem expectationem inopinò, dum nihil tale quid timendum sibi putat, à dicto nobis Marco fuerit trucidatus. Ut ut est, illo elato, finitisque solemnibus, certum est convenisse civitatis principes, cumque viderent nondum satis composita tranquillaque esse omnia, suppositosque vel etiamnum ab excessu Ducis cineres igni doloso, ne quid in presens Respub. detrimenti caperet neve in futurum pacata quandoque turbari tragicis istiusmodi motibus contingeret, solliciti, præ ertim, si quando in electione Ducum receptus in ea tempora procedendi modus esset observandus, *Per Scrutinium* (verba sunt antiqui MS. C.) *decernunt ut triginta & duo ex primoribus civitatis eligerentur, eisque etiamnum sorti denuo expositis, bisseni superarent, hisque sub jure jurandi religione ac vinculo in antecessum adstrictis; procul omni amore aut odio, quem optimum judicarent, Ducem eligendi publico nomine potestas esset, Duxque renunciaretur quem octo pro se habere suffragia*

fragia contingeret. Nomina quoque illorum quibus id publico è decreto negotij datum, subjiciam:

Dominicus Memus.

Marcus Bassegius.

Franciscus Vionus. [Esse desijt Viona gens anno M CCC XC IX. novissimus fuit Petrus Vionus Aulæ Germanicæ [Fonticum Veneti vocant] Prodominus.]

* *Vitalis Dandulus*, Iudicis dignitate prælustris annis M C LXII & IV.

* *Auria Mastropetrus*, ut jam vidimus ad Emanuelem Imp. Legatus.

[Gens Mastropetra amplius non est.]

Dominicus Sylvius. [Gens hæc extincta est in Marco Sylvio, Advenarum Advocato. Anno M IV C I]

* *Philippus Gracus* cum Mastropetro legatus, ut notavimus. [Gens nostro etiamnum sæculo clara, nec ita dudum extincta]

* *Leonardus Michael*, Produx, filius Vitalis Michaelis II.

Bernardus Centranicus. [De cujus gente notandum, durasse eam quantum ex notis monumentisque publicis animadvertere liceat, usque in annum M CCXL IX. Sunt qui statuant, Centranicam gentem eandem esse cum gente Salomonia : ajuntque Petri Centranici posteros Salomoniorum nomen, utpote quo delectarentur impensius, Centranicorum agnomine valere jusso, sibi assumsisse, quod Petrus ille Centranicus Venetorum Dux, cum singulari in gerendis rebus prudentia, omnes in stuporem daret, inque admirationem sui raperet, vivus etiamnum vidensque sapientissimo Regum Salomoni æquari meruerit; unde factum ut non Ducis magis, aut gentilitio, quam Salomonis nomine noscendus fuerit: Venetis,

co illi

co illi impoſito, ſummas in ſummo virorum dotes certatim devenerantibus.]

* *Erricus Naogeorgus*, ex conſilio Sapientum Annis M C IXII & IV.

[Extincta demum gens M CCCXX in D. Franciſco Naogeorgo.]

* *Reinerus Zanus*. Ex eodem Sapientum collegio, Anno M C LXVI.

Leonardus Fradellus, D. Marci procurator.

Erricus Doro, ſive *Aureus*, è Sapientum collegio, anno M C LXII.

[Extincta gens ut in Franciſco Doro, M CCCXXIX.]

Nicolaus Delphinus.

Ianus Contarinus.

* *Erricus Tolanus*.

Daniel Bragadinus.

Fantinus Zorſus.

* *Candianus Sanutus*.

Rogerius Permacinus.

Petrus Barozzius.

Petrus Cornelius, ſive *Cornarus*.

Otho Quirinus.

Manaſſes Badoarius, de cujus ad Emanuelem Commenum legatione ſupra meminimus.

Nicolaus Iuſtinianus. Hic, cum omnes Iuſtinianeæ gentis viri, lue illa, de qua item ſupra, eſſent abſumti, ſacris jam tum initiatus ad D. Nicolai in littore, è Monacho factus gener Vitalis Michaelis, reſtaurator fuit perilluſtris Iuſtinianeorum gentis.

Marinus Gradonicus, Admiralius ſive propræfectus L. roſtratarum navium.

Dominicus Bembus.

Nicolaus Fermus. Legatus Reip. ad Tarvisinos. Gens eorum extincta est ut in D. Marco.

Biazius Casolus. Periit similiter eorum gens in Marino Casolo, armamentarij præfecto. Anno MCCCLXI.

Vitalis Istricus, cujus item gens desijt Anno MCCCCLXXX. in D. Nicolao. Obijt is, in insula Creta, in quam ut Coloniam. S. P. Q. V. secesserat.

* *Dominicus Morosinus* L. Rostratarum præfectus, Dominici filius.

* *Vitalis Faledrius*, legatione functus ad Emanuelem Comenum.

Facta bissenorum, quos asterismo notavimus, sortitione, ijdem mox in æde D. Marci, publice omnibus inspectantibus Anno MCLXXII Sebastianum Cianum Ducem renunciarunt. Quæ cum ita sint ecquis triginta ac duorum nominum syllabo duntaxat lecto, negare ausit, thesin nostram solida veritate subniti? præsertim ubi viderit, eosdem illos summis in Rep. Veneta muneribus functos, ac totidem fere Iudices, Procuratores Divi Marci, è Sapientum collegio, Admiralios, Rostratarum Præfectos, Legatos, ac secundos à Duce, similesque, qui ut non æque præluſtribus admoti sint Reipub. munijs nobilibus tamen, ac quæ hodieque etiamnum temp. moderantur familiis erant oriundi. Ex adverso, si quandoque spectasset ad populum plebemve Reipub. regimen; utique non tulisset ille, illave, sese ab electione supremi in Repub. Magistratus arceri: tali præsertum tempore, quo novo Ducem eligendi modo adinvento, non aliam inire rationem poterant, quam sese jam tunc exclusos, in posterum exclusissimos fore Patrum Venetorum prudentiam si respicimus, intempestiva illa, ac nihil minus quam judicio percoctum fuisset futurum, qualecumque

cumque id demum erat, quod occœptabant, si quidem ipsi, quibus unum studium erat, ut turbas in electionibus Ducum suorum oboriri solitas, novo decreto radicitus extirparent, pristino more rituque valere jussis, novam ingressi essent viam. At qualem vero! qua nempe plebes Reipublicæ pars ut numero major, ita & viribus ferocior, & rectoribus suis fere semper adversa, facultate talem tantumque Magistratum eligendi orbaretur in perpetuum. Illa nimirum plebs, quæ in eadem urbe, eodem ipso loco, nullo fere intercurrente temporis spatio in ipsum Ducem, quem fati magis calamitas, quam culpa aliqua, quæ penes ipsum resideret, reum fecerat, armata manu insurrexerat, cujus jam tum furori Dux ipse tanquam piacularis victima ceciderat, quæque, rebus multum etiamnum ad hæc tumentibus, quiete actura, credi haud poterat. Utique non ea temporum conditio erat, non is rerum status, ut nullos ordo popularis habuerit viros prudentia, authoritate, ac meritis conspicuos, quos nobilibus eorumve asseclis potuisset opponere, viros inquam, quos latere non poterat, præjudicii (quod ipsis inflictum fuisse Anonymus velit) immensa magnitudo: quique & perspicere poterant, nullo prorsus negotio, citraque vim omnem ei occurrere se posse, præsertim cum esset ipsis non jam dicam in expedito, sed quam plenissime in manu ac potestate, quo conatus istos in herba, quod ajunt, opprimere potuissent remedium. Potuisset populus, (si quæ hic ipsius fuissent partes) instituto Scrutinio, ex suo ordine tot nominare quot placeret, ac ubi ad suffragia deventum esset, multitudine suffragiorum nunquam non efficere, ut aliquot è bissenis illis, essent de plebe, quin imo ut ad unum omnibus è populo creatis electoribus, tota penes populum, Ducis esset electio. Quod ipsum ita in se consideratum, etiamsi aliquid ex vero traherent nugamenta adversarii, eorumve qui

dum sive animi morbo sive errori nimium indulgent, nomini Veneto minus ob id æqui sunt, videri posset nec injustum nec male consentaneum: agebatur enim de electione Ducis, quæ (ita quidem illi delirant) non pro parte aliquantilla, sed tota, sex ex asse, spectabat ad populum. Sianum Aurius Mastropetrus excepit, Anno M I C L X X X V I I I Dux creatus. Operæ pretium laturus mihi videor, lectori si demonstravero ipsum quoque Mastropetrum perinde atque alter ille fuerat, ab iisdem nobilibus familiis, fuisse creatum, utut plures numero ad illius electionem convenisse edoceamur. Nempe afflicta Ducis valetudine, omnique salutis spe pene conclamata *Veneti* (ita in Chronicis suis Dandulus) *de convalescentia Ducis prorsus desperati, electionis processum, utilem sibi cognitum, subtilius elimantes, sanxerunt, ut quatuor viri providi eligendi* (fuere autem Marinus Polanus, Henricus Dandulus, Stephanus Vioni, Antonius Naogeorgius omnes nobiles, sed quarum gentium binæ duntaxat hoc tempore supersunt) *quadraginta alios nominarent, per quorum majorem partem electus Dux, ab omnibus haberetur.* E quibus postremis Danduli verbis, facile intelligere est, electione perfecta, ad obtinendam Ducis dignitatem aliis præterea solemnitatibus opus haud esse. X L Virorum quos I V Viri jam dicti iis temporibus nominarant, sequuntur nomina.

Petrus Cornelius.

Petrus Foscarius.

Henricus Dandulus, postmodum Dux Venetus.

Marinus Storladus, Extinctum nomen Anno M I V C L X X V I I I.

Regnerus Polanus.

Dominicus Silvius. Supra nomen gentis extinctum monuimus.

Ioannes Marosinus.

Iacomus

Iacomus Badoarius.
Antonius Viatus.
Nicolaus Firmus. Item & hanc gentem intercidisse, dictum ante.
Daniel Bragadinus.
Marinus Maurus.
Ioannes Gradensis.
Paulus Celsus.
Almaurus Iustus.
Nicolaus Gaussonus, hoc tempore Gussonus.
Ordelafus Faledrius.
Antonius Storidus. Gens ea intercidit.
Leonardus Malipetrus.
Ioannes Michaelius.
Otto Quirinus.
Leonardus Fradellus, procurator D. Marci.
Dominicus Memus.
Ioannes Mocœnicus.
Marcus Basegius.
Henricus Doro, sive *Aureus.* Esse desiit.
Rogerius Permacinus.
Petrus Barozsius.
Paulus Marcellus.
Stephanus Sianus. Extincta hæc gens Anno M CCC LXXV.
Franciscus Sorsus.
Nicolaus Iustinianus.
Nicolaus Dolfinus.
Franciscus Vionius. Periisse diximus.
Paulus Barbus.
Iacobus Viglaius. Et hæc familia intercidit.
Bernardus Centranicus.
Iacobus Molinus.

Conradus Betanus. Non sunt amplius ejus nominis.
Nicolaus Mastropetrus. Vt nec hujus.

Finita expeditione Bysantina cui, Duce Henrico Dandulo colophon impositus, eorum quæ belli jure sua fœderati fecerant, quartam partem, Balduinus è Flandriæ Comite factus Imperator, sibi habuit, quæ superfuere, inter Francos Venetosque divisa sunt: in medio relictæ quæ in Ægeo mari sunt insulæ, eæque ut occupanti cederent pactum conventum. Erant autem illæ ut plurimum piratarum latronumque receptacula, neque ullatenus aut Balduino, aut Theodoro Lascari, homini Græco, Imperatoriam sibi majestatem arrogare adgresso, obnoxias se ferebant. Ita res sese cum haberet, Veneti, Petro Siano Duce, (quod quidem in annum MCCV. incidit) assentiente etiamnum Imperatore, omnibus & singulis ditionis suæ hominibus, copiam fecere, dictas nobis insulas occupandi, idque marte proprio, easque pro arbitrio in futurum administrandi. Id ubi ita publice indictum, Marcus Sanutus (fuit hic Henrici Danduli Ducis, ex sorore nepos) victricia illis in oris arma circumferens Ionii Ægeique Ducem se tulit,& exemplo suo nonnullos è nobilibus urbis Venetæ, nec non & extraneos nonnullos excitavit, eadem in cæteras insulas ut designarent. Ita de hoc illius facto in Chronicis suis Andreas Dandulus. *Plerique nobiles, Græciæ oppida audacter invadere statuunt, & segregatim navigantes, Marcus Sanutus cum suis sequacibus, insulas Ischiæ, Parii, Milei, & Sancti Hermi, adeptus est, Marinus Dandulo, Andron, Ravanus quoque de Carceribus, & ejus nepotes Euripum sive Negropontem accipiunt, similiter Andreas & Jeremias Giffo, Thinas, Mironas, Schiron, Scopulum, & Stramathos. Thilocalus Navigagioro Stalimenen obtinens, imperiali privilegio, imperij efficitur Mega Duca.* Præter hos, ajunt quidam, Marcum Dandulum,

dulum, & Iacobum Viarum, Andriaca, sive Gatapoli potitos. Vt concludam, eccui ad fidem facile videatur, nobilitate præsignes viros, qui proprijs facultatibus armare naves ad bellum poterant, qui sua modo virtute subnixi, suis auspicijs, suo ductu, foris arma circumferre, urbeis occupare, ditiones suo privatim imperio norant subjicere, qui denique extra patriam, nihil præter imperium, ac in omnia regimen, juxta & spirabant & exercebant, in ipsa patria sua adeo demisse acturos fuisse, ut rerum sibi summam, cum populo, nedum cum infima plebe, ex æquo communem esse passuri fuerint, seve aliquatenus ei obnoxios profiteri? Ex adverso, si cum adversario sentimus, eccui verosimile fiat, Populum Venetum, omnium tanta talique in Repub. dignitatum, functionum, munerumque participem, & mercaturæ beneficio, opulentum ac locupletem, cuique vel ad invidiam omnia, quibus bonorum nomen mortalitas dedit, adessent, adeo alienum fuisse ab omni se suaque promovendi protollendique desiderio, ut non & ipse in partes venturus fuerit, sibique ea in Ægæo Ionioque pro rata saltim vindicaturus, quæ solos nobiles occupando sua fecisse jam recensuimus? Nemini certè, qui modo consideret omnino id faciundum fuisse populo, idque, si non alteri bono, utique, quo ne in nimias vires ordo Nobilium succresceret, unde quid aliud expectandum, quam ut viribus, authoritate, atque opibus potiores, Rempub. premerent, oppressoque populo, plebem sibi haberent vectigalem, cuncta denique pro libitu, agerent, ferrentque. Progredior. Ipsa illa Bysantina expeditio, quæ tam luculenta in fœderatos commoda congessit, inter cœtera, ut Reip. Venetæ regnum Cretæ sit adjectum, effecit: ac quandoquidem Imperator Græcus Cretam Bonifacio Montisferrati Marchioni habendam déderat, quo dotem uxori dictam, ex eâ, ita opus si foret, consequi

consequi nanciscique possit, Resp. Veneta persolutis viginti millibus argenti marchis, (ea nempe dotis erat summa) possessionem illius apprehendit. Cæterum Genuenses, qui tantos vicinorum suorum successus minus æquis oculis aspiciebant, eorum in Græcia progressus indies augeri cum viderent; etsi jam nunc irrito conatu novas istas accessiones à Rep. divellere studuissent, haud cessandum sibi rati, sub prætextu ferendi suppetias Henrico Piscatori Melitensium Comiti, in arma adversum Rempublicam sumsere, factumque, ut Henricus ille, cui cum plurimis Cræte incolis privatim notitia intercedebat, ijs adnitentibus, magnam insulæ illius partem invaserit. Veneti eorum quæ facta dicebantur, facti certiores, triginta confestim longas sive rostratas naves, & onerarias octo, ducibus Regnero Dandulo ac Regnero Quirino, ad amissa recuperanda dimittunt. Hi eas in oras, sub initium anni M CCVIII delati, per vim, ablata sibi recipiunt, cæterisque, quæ occupata aut intercepta haud fuerant, constanter in obsequio permanentibus, ad sua retro gradiuntur, arce sed interim Lysimachiâ, in ditionem Reipub. redacta: unde factum ut Ligures omni spe regni Cretici potiundi exciderint. Vtque provincias retinere, minoris haud est curæ, quam facere, Veneti tutando conservandoque isti regno dum agunt intenti, visum Patribus è Repub. fore, coloniam in eas oras deduci, publicæ quietis stabilmentum; idque ea lege, ut qui eò se conferrent, rebellium Græcorum bona, fisco addicta, hinc sibi vindicarent, illinc militarem aliquam manum in expedito haberent, cumque iis militibus, (quorum numerum patres præfinirent) gentes in officio continerent. Placuit, ut essent centeni ac triginta duo equites, pedites quadraginta octo. De hac Coloniæ deductione ita Sabell. lib. 8. Decadis primæ. *Ex patritio ordine equites, ex plebeio pedites missi dicuntur.* Et Andreas Dandulus in Chro-

Chronicus, *Anno ducis septimo decretum est transmittere ad Insulam Cretæ nobiles equites, & plebeos pedites pro feudis eorum.*

Ab anno MCCXI, usque ad annum MCCLII, diversis temporibus, tres etiamnum alteræ coloniæ deductæ sunt, eæque ab iisdem; occasione, causisque, similiter iisdem. Hinc ita inferendum, eos qui Cretam ut in coloniam missi sunt partim nobiles fuisse, partim de plebe. Ast vero annales nos docent & monumenta archivaque, in quæ nomina eorum relata sunt, testatum faciunt, ad unum omnes, ejusdem in coloniis illis fuisse conditionis, nec hunc illumve si privilegia, si immunitatum jura, si functionum debita, attendimus, præ altero habitum fuisse præcipuum. Nihilo tamen secius etiamnum hoc ipso tempore, si forte quis ex nobilibus illis in patriam retrovertatur, sive ut ibi larem figat, sive negotii duntaxat causa, ac legitimis docere testimoniis possit avitam se conservasse nobilitatem, neque etiam matrimonijs nisi nobilium feminarum seue majoresve suos fuisse innexos, neque fecisse quippiam seve suove genere munus indignum, utique ille, perinde atque alii, qui extra Venetam urbem ne pedem quidem extulere, majorum comitiorum capax est, ad eaque postliminio, & quidem, jure suo, revertitur. Contra vero si quis populari ex ordine relicta colonia in urbem commigrat, neque ipsi, neque filiis ejus, nepotibusve, unquam ad majora comitia accessus patuit, ut neque in hunc diem etiamnum, patet: neque sane posteri Andreæ Sacci, Ioannis Viviani, Simonis Cintiliani, Angeli Bonicoli, aliorumque, ad majora comitia ut admitterentur unquam aspirarunt. E quibus omnibus manifestissimum evadit, solos fuisse nobiles, qui istis temporibus, (nec hoc ipso quoque tempore alia eorum conditio) comitiis majoribus, id est publico regimini, aut clavo quod ajunt Reipub. admoverentur. Anno MCCXLIX, cum Iaderani quintum rebellassent, es-

Iii festque

ſetque poſt aliquot velitationes prœliaque, bimeſtrem poſt obſidionem eorum urbs à Reinero Ieno Proviſore (ut vocant) exercitus, Venetæ ditioni reſtituta, dedit ea res occaſionem deducendi coloniam, adeoque ex ipſa urbe Veneta. Ita hac de re Dandulus, *Non abſque notabili cæde die v Iulij Iaderam obtinent, quod cum Duci relatum foret gaudio repleto, Michaelem Mauroceno Comitem fecit, & multis nobilibus popularibuſque Venetis, divisis inter illos civium bonis, Iaderam cuſtodiendam tradidit.* Probet nunc Anonymus velim, quod ſi theſi ſuæ robur conſtare deſiderat, ante omnia faciendum eſt ipſi, probet ſodes, ullos ex popularibus iſtis, ſi quando in patriam eos redire contigerit, ad majora comitia admotos fuiſſe. Vtique multum ſuſpicienda ac deveneranda venit hac in parte Venetorum patrum qua Prudentia longe maxima, qua Iuſtitia ſingularis. Imperium eorum ut a nobilibus erectum fuerat, ita & penes nobiles aſſiduo manſit, cæterum urbes ditioneſque, & plura victoribus conferre victoria ſolet, utpote ſudore popularium non minus quam nobilium parta ac ſanguine, ut ut eſſet aliqua inter ordines differentia, utrique habuere ex æquo: reducibus interim è coloniis in urbem, quem ante diſceſſum tenuerant, nullo diſcrimine, locum denuo tenentibus, tuentibuſque. Anno MCCLII inter Venetos ac Genuenſes ortum bellum, utraque gente monaſterium S. Sabæ prope urbem Acyrin, quod erat utriuſque ditioni conterminum, ſibi vendicante. Hinc injuriæ primum, odiaque & æmulationes, ac injuriarum occaſione manifeſto à Genuenſium Duce Salviano Grimoaldo ruptum fœdus. Ac Venetorum qua rebus, qua navibus datum damnum. Veneti Duce Laurentio Theupolo Ioannis Veneti Ducis filio, ſubito claſſem adornant, injurias illatas ſtrenue ulciſcuntur, Genuenſium claſſe prope Ptolemaidem disjecta, diſrupta, ac magnam partem mari depreſſa monaſterio

Sancti

Sancti Sabæ recepto, dirutisque mercatorum Genuensium horreis, ac Venetias transmissis in victoriæ signum lapidibus majoribus dirutarum ædium monumentum, quorum nonnulli etiamnum visuntur, qua ex aula ducarii dextram versus patet exitus, uni portarum Ecclesiæ divi Marci ex opposito respondens. Missa itidem magna columnæ prophyritidis parte, quæ similiter in Area divi Marci erecta, eadem ipsa est, quam præco, (Veneti Commandadorem vocant) inscendit, edicta Reip. publicaturus. Hac tam præluſtri victoria, ut hinc quidem longe lateque diditus erat Veneti nominis honor, ita & illinc quoque, illorum ærarium, belli sumtibus multum tenue erat, ac tantum non exhaustum. Ergo publicis necessitatibus occurrere dum student, ad extrema (ut talibus in rebus faciundum nonnunquam) consilia deveniunt, imposito maritimis rebus tributo, *Populus* (ita MS. Codex) *tributorum ante eum diem immunis, ob insolita fremens ac frendens impetu globatim in ædes nobilium, qui istiusmodi decreti fuerant autores, facto, eos inde exturbat. Paulo post tumultu utcumque sedato, Nicolaus Bocus, Ioannes Cretensis, unusque item & alter è maxime promptis capti primum, moxque eis, more majorum, gulæ laqueo fractæ.* Super hac ipsa re, ita Dandulus. *Fama in populo divulgata est, quod de solutione marinarum ageretur tunc populari vociferatione, plebes ad palatium venit, & erga Ducem, eos ad quietem suadentem, lapides projiciunt, & postea domos aliquot nobilium invadentes, depredati sunt; cessante vero tumultu, Dux authores sceleris in platea suspendi fecit.* Anthonius item Sabellicus decad. 1. lib. 10. *Diuturni belli onera, ærarium ita exhaustum ad eum diem reddiderant, ut cogerentur patres*, &c & mox, *Seditionis capita, nová via ad grassandum ingressa, aliquot nobilium domos, facto impetu, diripuere.* Vtique si vera esset Anonymi thesis, nullum prorsus nobilibus Venetis ab istiusmodi tumultibus pertimescendum fuisset periculum. Namque di-

ctum jam nunc decretum, aut displicebat populo, aut placebat, sin prius dixeris, (stante illius thesi) antiquari poterat, si posterius, non erat quod in nobiles ferretur agitareturve plebes, cui proprio assensui potius, quam nobilium jussui quicquid id esse incommodi adscribendum imputandumque veniebat. Ipsa quoque plebes, si quidem ullum impediendi intercedendive jus penes ipsam resedisset, in tumultus authores, ac proinde criminis ex æquo socios, (facinus.e. ut ait ille, quos inquinat æquat) animadverti passa haud fuisset. Quis non videt multo prius, quicquid peccatum fuerat, quicquid commissum bono pro republica zelo, activе ad tuendam populi authoritatem exercito, longe prius quam seditioni, tumultuive deputandum fuisse? Anno exinde duodecies centeno sexagesimo octavo è Senatoribus *Nicolaus Michael, Philippus Belegnus, Ioannes Ferrus, Pangatius Barbus, Ioannes Dandulus, ac Petrus Totulus* (cujus gens anno milleno tercentesimo octogesimo tertio intercidit) simulque è XL viris primores, *Antonius Zoranzius, Petrus Barbadicus, & Marinus Iustinianus* multa circa futuri Ducis electionem variaque proposuere, quæ communi postmodo eorum qui consiliis intererant calculo probata cum forent, id ipsum quoque, quod in electione præmortui Ducis Zeni placuerat, iterato in deliberationem venit, nempe quod *Benedictus Gastaldio* (talia enim sunt, quæ illis in archivis publicis, in quibus quæ Ducum creationem concernunt asservantur, verbotenus dicuntur) *Iurare debeat super animabus omnium, habendi in Ducem, Dominum, & rectorem Venetiarum, illam personam, quam electores Quadraginta & unus denuntiaverint, se Ducem Venetiarum elegisse.* Et paulo post. *Ipse Benedictus Gastaldio habita à populo licentia sic jurandi in animabus eorum tactis sacris ad sancta Evangelia Dei juravit, &c. unde post hæc nobilis Vir Iacobus Bareglo, qui fuit unus ex electoribus, de voluntate sociorum suorum pro se, & aliis sociis suis, ibidem existentibus denuntiavit*

navit populo, elegisse in Ducem D. Laurentium Theupolo. Eat nunc cui lubet, dicatque Populum in Rep. Veneta regiminis publici fuisse participem. Vt videmus Consiliarii ac primores quadraginta viralis collegii proponunt, ad unum omnes ex ordine nobilium, Collegia deinde sive consilia, quæ perinde quoque ex illo ordine tota constant, proposita assensu firmant, ac rata esse jubent, mandantque ut populi Gastaldus obedientiam eligendo etiamnum, ac sic futuro Duci, juret, petit veniam jurandi à populo Gastaldus, illiusq; obsequium jure jurando firmat. Sed nec lector meus existimet velim Gastaldum illum eximia dignitate præditum fuisse talemve magistratum, quales erant olim apud Romanos Tribuni plebis, sibive præfiguret Gastaldi ut dignitatem ita & nomen quoque decursu temporis intercedisse, nihil minus gestat ille etiamnum, qua jam tum à priscis temporibus indutus fuit, vestem coloris varii, iisdem quibus semper ab initio gavisus est, prærogativis gaudet. Creari solet ex eorum numero Gastaldus qui regionem D. Nicolai inhabitant. Prerogativæ quas intemeratas illum retinere diximus, in eo potissimum consistunt, quod ipse publicis nonnullis actubus functionibusque Duci inserviat, quodque à sui ordinis hominibus, qui ut plurimum piscatores sunt, perexigua quædam emolumenta exigere ei licitum sit, vulgus regalia appellat. Si vero in electione novi Ducis vel aliquantillæ saltim populi fuissent partes, plane isto juramento opus non erat, utpote superfluo. Nempe metus haud erat, ei dicto haud obedientem fore populum, quem met ipse confirmasset, cujusque & ratam & gratam habuisset electionem, quem ex adverso si nollent ipsis invitis ac dissentientibus facta electio, erat in nihilum recasura ac sic quoque nullo opus erat jure jurando.

His addamus, futurum fuisse id institutum (propostam

vocari diximus) periculosæ plenum opus aleæ: utpote quod non alioversum collineabat, quam ut Imperii summa, populo-plebique in perpetuum & esset & remaneret adempta: neque eum abs se quispiam, ut credat impetret, eo se demissurum fuisse ordinem illum, ut passurus fuerit motuum evitandorum obtextu sumto, ac quo ne tumultns aliquis in publicatione novi Ducis exoriretur, nobiles ad se cuncta ut pro arbitrio traherent raperentque, idque sibi ademptum irent, quod (modo ejus in antecessum compotes aliquando fuissent, ut sane nunquam fuerant) ipsorum ordini non ornamentum duntaxat prælustre collaturum, sed ut authoritatem longe maximam circumdaturum esset. Hæc ipsa si cui libet iis adjungere, quæ modo circa Auriæ Mastropetri Ducis creationem, memoravimus, animadvertet, ut reor, multum inde thesi nostræ roboris accedere.

Accedit, quod & insuper quo tempore Venetorum Dux creatus fuit Petrus Gradenicus, anno nempe CIↃCC LXXXIX casus obvenerit multum notabilis, comprimisque ad ea quæ assertum imus firmanda, valiturus. Peractis ad Divorum Ioannis ac Pauli ex equiis Ioannis Danduli Venetorum Ducis, quibus infinita quoque populi multitudo interfuerat, factum, ut sub ipso egressu templi confestim, sublato clamore, populus Ducem creari postularit Ioannem Teupolum, virum prælustrem, ac multis nominibus plebi gratissimum: quumque non leviter intenderetur, ac de momento in momentum accresceret impensissimum illud populi desiderium, eoque jam nunc res spectare videretur ut aut populi habenda esset ratio, aut cavendum ne quid insuper habitis illius ordinis postulatis, sequius Reipub. obveniret; nihilo secius tamen, XL & unus viri, quorum erat novum Ducem eligere, conventu pro more ad id instituto, ut ut populi studia quam perspectissima haberent, ut ut nec

ipsos

ipsos fugerent eximiæ virtutes meritaque Iacobi Theupoli, (qui met ipse, ne præsentiâ suâ populum acrius animaret, rus concesserat) Petrum Gradenicum Ducem crearunt idque, (quod miremur) votis suffragiisque conspirantibus, quodque magis miremur absentem etiamnum Reip. causa, ac Iustinopoli cum imperio præfectum. Roget me quis cur id ita factum electores voluerint? respondebit pro me annalium scriptor, ut ne inposterum aliquando simili exemplo nominare populus in animum induceret. Ita super hoc ipso negotio *Raphael Caresinus* dum viveret, apud Venetos magni Cancellarij dignitate functus, in suo ad Andreæ Danduli Chronicon supplemento. *Post ejus obitum magnus tumultus in populo factus est, volebant enim Dn. Iacobum Theupolo præter electionis modum ad ducalem præeminentiam sublimare, sed ipse nolens ad id prabere consensum, de Venetiis recessit, & ivit ad castrum Marochij, ubi mansit, donec de creatione Ducis certificatus est*, &c. *Marcus* item *Antonius Sabellicus Decad.* 1. *lib.* 10. *Vbi post exequiarum pompam magnus tumultus ortus dicitur, ac cum trepidatione undique eo concursum, voces amarissimas & invidiæ plenas in Patritios jactatas, nominatim Iacobum Theupolum Ducem populus postulabat*, &c. Et paullo post. *Tamdiu latuit, donec sedatò tumultu, Petrus Gradenicus ex Patritij ordinis sententiâ Dux esset declaratus.* Durat etiamnum hodieque mos ille, ut quem maxime Ducem habere desideret populo designare liberum sit. Non eo tamen minus ij, quos diximus, IX & I Viri eum eligunt quem judicant esse quam maxime è communi bono ut Dux creetur. Vnde colligo, non amplius olim in creando Duce, authoritatis habuisse populum, quam nunc habet.

Epimetri loco, jam dictis quæ sequuntur adjungere lubet. Non solum multis ab hinc annis sæculisque, ac sic ab omni antiquitate, verum semper, haud interrupta serie, observatum fuisse, institutumque, ut esset penes solam Nobilita-
tem

tem in omnia regimen, ac sic quoque Patricios, ita ferentibus rebus, semper ac disertim citatos fuisse, ad formanda firmandaque Decreta Publica. Vestigium videas Anno cIↄ cc LXXXVIII, quo nempe circa officium aut munus eorum qui *Iudices petitionum* indigitantur nonnulla despicienda statuendaque veniebant. Verba decreti sunt, *Quod illi tres Nobiles, qui de cætero erunt judices petitionum*, &c. Anno insequenti circa munus aut officium aquaticum, ita conceptum decretum legimus, *Quod Nobiles viri qui præsunt in officio supra Canale.* In præfatione statuti, circa illius editionem vocatum videas *Pantaleonem Baulum nobilem Venetum*, aliosque ejus ordinis complures. Anno cIↄ cc LII. Vbi de exercitu nautico instruendo, sic decretum: *Hæc sunt statuta & ordinamenta super navibus & aliis lignis, quæ de mandato D. Rhainerij Zeno Dei Gratia incljti Ducis Venetiarum, & sui consilij reformata, composita, & acta fuere per Viros nobiles Nicolaum Quirinum*, &c. Anno cIↄ cc LXVIII. *Quod nobilis vir Leonardus Quirino, procurator Sancti Marci, sit absolutus de primo capitulari*, &c. Anno cIↄ cc LXXVII *Quod debeant eligi tres nobiles super factis Anconæ.* Consueta quoque his ipsis temporibus formula, secundum quam firmari ratæque haberi electiones solent, ita concipitur, *faciundum decretum, ut eligatur, eliganturve, unus aut plures ex honoratissimis nobilibus cum titulo*, &c. Quin imo anno cIↄ cc LXXXII factum decretum, Aprilis secundo die; *Quod electores anni debeant scribere quando eligunt aliquem ad suam vocem, ita quod sciatur, quis acceperit eum*, &c. Vnde factum ut cum ad majora Comitia nonnulli venirent eligendi non solum electi nomen, verum etiam nomen electoris quoque publicari cœperit. Formulam siquis requirit, sic archiva.

Anno cIↄ cc LXXXII. *ultimo Septembris.*

Isti sunt de Majori Consilio à Sancto Michaele in antea.

Ad vo-

Ad vocem Nobilis viri Vitalis Zoranzo,
Angelus Zanudo, Leonardus Minio, &c.
Ad vocem Nobilis viri Leonardi Bembo,
Petrus Mauroceno, Saladinus Permancino, &c.
Ad vocem Nobilis viri Marini Gradoneco,
Rhainerius Venerio, Nicolaus de Canale, &c.

Quæ cuncta si cum jam dictis copulentur, largam, ni fallor, fecerint fidem, rerum summæ quaquaversum qui præfuerint, nobiles fuisse, quod ipsum quoque & hac insuper ratione sese nobis probaverit, quod constet, illos quorum eligendi partes erant, ipsosmet fuisse nobiles, ut evincunt verba superius citata, *Ad vocem nobilis viri*, &c. Quæ quidem nemo sanæ mentis unquam in dubium revocet, afferatve ijs haud probari quam plenissime, illos penes quos ad majora Comitia alios item allegendi jus erat, fuisse revera pro Nobilibus habitos. Est autem comprimis consentaneum vero, non alios ab illis electos quam similes sibi æqualesque; eoque magis quod magnus ubique nobilium se numerus offerret, eædemque familiæ, è quibus ad majora Comitia eligi solebant, eodem semper manserint statu, in quo etiamnum & ipso hoc tempore perstant, sicut nihil hic mutatum novatumque dicere possit quispiam, dummodo in earum quæ esse desierunt locum, illas sufficiat, quæ vetro ab anno CIↃ CC XCVI ut jam ante commonuimus, prædictis Comitijs majoribus adhibitæ, ac velut insitæ fuere. Idem quod hoc, de quo verba fecimus, anno obvenit, & altero qui eum excepit ita obtinuisse notatum, nec non & sequentibus. Insimul quoque, anno CIↃ CC LXXXI placuit Patribus *Quod eligantur* (verba sunt decreti) *tres nobiles Viri, qui debeant cercare & inquirere de contrabandis*, &c. Anno CIↃ CC LXXXV

Octobris die decimo octavo quod factum fuit decretum, inter cætera, & hæc verba continet, *cum nobilis vir Andreas Horlato Elector medij anni comprobet*, &c. Anni similiter cIↃ cc LXXXIX decretum ita infit *Quod fiat transmutatio de Bajulatu Jaciæ, ad quem est electus nobilis vir Ioannes de Canale, in nobilem Virum Marcum Signolum electum Potestatem Parentij, & è converso.* eodem anno. *Quod eligantur per majus Consilium octo nobiles, qui teneantur eligere omnes officiales de palatio*, &c. Item ejusdem anni quarto Novembris die. *Quod eligantur quinque Nobiles Venetiarum qui sint ad providendum super capitulare D. Ducis venturi.* Anno cIↃ cc xc cum nonnullæ Dalmatiæ urbes à Venetis descivissent, inque Aquilegiensis Patriarchæ clientelam concessissent, qui socia cum Garnici Iulij comite, Tergestinisque arma circumferens, id unice agebat, ut quaquaversum Venetos infestaret, die Decembris tertia & decima, decretum, *Quod sicut factum guerræ commissum est triginta quinque, ita à Kalendis Januarij in antea committatur decem nobilibus, de decem parentelis, qui teneantur per sacramentum invenire, & tractare malum & detrimentum Patriarchæ, Comitis Goritiæ, & illorum de Tergeste*, &c. ac paulo post, *Electio autem prædictorum fuit per majus Consilium.* Anno insequenti cum circa initium Octobris pacis inter eosdem esset injecta mentio decretum fuit. *Quod debeant eligi in majori Consilio viginti nobiles de viginti parentelis, & approbati ad unum ad unum, qui debeant esse cum D. Duce & Consiliarijs, & decem ad faciendum & expediendum negotia concordiæ de guerra præsenti.* Ex adverso, si ad expedienda quæ sese obtulerant negotia, aliqui eligendi forent, qui non essent è nobilium numero, alijs longe verbis usos constat, aliaque eligendi formâ. Sic cum anno cIↃ cc xc III armamentario de canabi prospiciendum esset, factum fuit decretum. *Quod eligantur tres boni homines qui non sint ex arte canapi, sed bene instructi ad hoc*, &c. Quæ quidem id temporis electio tardiuscule cum procederet, additum decreto

decreto, *Quod eligi debeant per illum modum, per quem eliguntur Massarij monetæ, inter quadraginta.* Estque hoc loco notandum, tales à Majoribus Comitijs minime fuisse legi solitos, eum ad modum, ut cæteri de quibus huc usque locuti sumus Magistratus, qui ex asse ad Nobilium ordinem spectabant. Ratio forsitan diversitatis illa fuerit quod istiusmodi functiones, cum ministerium magis quam dignitatem aliquam saperent, essent tamen privatim eas obeuntibus utiles. Hujus generis infinitæ etiamnum alteræ supersunt; exempli gratia amanuensium puta ac notariorum, quas decemvirale consilium fere semper tenuioris sortis ac conditionis hominibus elargiri solet, eo nomine quod ijs lucelli quippiam ex illis sperare liceat. Retrogrediamur unde digressi sumus, ea porro demonstraturi, quæ candidis ingenuisque mortalibus jam nunc plus satis probata, penitius ostendi docerique possint. Anno cIↃ cc xciv Reipub. nomine ad præfectum Summuranum literæ in hæc verba datæ reperiuntur, *Cum per nos & per nostrum Consilium minus, & xxx virale sit ordinatum quod debeat fieri partitio hominum Venetiarum, per duodenas, & nos fecerimus eligi capita contratarum de Nobilioribus & melioribus de contratâ,* &c. Decretum anni cIↃ cc xcv Aprilis die vicesima & prima factum ita habet, *Cum vir Nobilis Ioannes Superantio fuerit factus Ambassator Jaderæ*, &c. item alterum mense Decembri ejusdem anni, *Quod Nobilis vir Marinus de Curzole sit de Majori Consilio semper quando veniet Venetias*, &c. Sed quid multis, cum vel millena, vel infinita istiusmodi exempla in medium queamus adducere? Ego sane pluribus conquirendis memorandisque lectorem meum, meve ipsum ut fatigem, operæ haud duco, quandoquidem vel ipsemet adversarius, hoc ipso Scrutinij sui capite 5° quod nos refutamus in præsens, & cognoscit, & confitetur distinctos in urbe Veneta Patriciorum Plebeiorumque ordines extitisse

tisse; ut ut postmodum eorundem functiones confundere annitatur. Anno tandem cIɔ cc xcvi Februarij supremo die norma illa formaque electionibus majorum Comitiorum præstituta præscriptaque fuit, quam rerum Venetarum minus gnari qui sunt, aut cum vulgo loquuturi, Comitiorum majorum inter suum numerum coercitionem indigetant. Atque hoc demum illud tempus fuit, quo primum adversarius velit, populum plebemque ad honores dignitatesque in repub. consequendas admissum haud ultra fuisse; sed nos ea de re uberiorem in modum, suo mox loco dicturi, quod præ manibus est, absolvamus. Videat ex illis, quæ hactenus à nobis allata fuere non iniquus Lector, verane sint nec ne quæ de summa imperij, ex æquo hinc ad Patres, inde ad Populum spectantis dixit adversarius, videat ex adverso, continuata solidissimarum (nisi omnia me fallunt) rationum argumentorumque serie, thesin adversarij confossam à nobis esse jugulatamque, videat item à nobis quam manifestissimo probatam theseos illius, quam adversarius astruendam sibi desumsit, antithesin, nempe nullas unquam in administranda Republica Veneta plebis fuisse partes; ac ne plebem quidem eo adspirasse ut ea in re aliqua ordinis sui ratio haberetur: ex adverso, functiones omnes, honores, dignitates, Magistratus, Reip. munia item omnia, ac ut verbo absolvam, summam rerum, fuisse semper, idque ex asse, penes solos nobiles, atque hanc esse rationem cur nullâ lege lata opus fuerit ad excludendos cæteros, quin imo etsi dicendum foret nunquam istiusmodi aliquam legem apud Venetos fuisse latam, ut minus verò Lectori adversarius persuadere conatur, non tamen ex illo confieri posse, plebem Majorum Comitiorum, id est tractandæ Reipublicæ fuisse capacem. Scire desiderem quid repositurus nobis sit Anonymus, si legem quam omnino necessariam haud fuisse hug

se huc usque commonstravimus, insuper quoque monstremus futuram fuisse superfluam, innato nimirum omnibus qui Remp. regunt, præsentem statum (quod boni civis esse edocti sumus) tuendi desiderio, innato inquam congenitoque, dum qualem quis Reipub. formam à majoribus accepit, talem quoque post se venturis relinquere ac velut resignare, & de manu in manum tradere pro se quisque totis animi viribus, ut plurimum, adnititur. Nihil certius, quam mortalium prudentissimos habuisse quam perspectissimum, qualia quantaque beneficio mercaturæ temporum successu compendia urbis illius incolas manerent, ac vix aliter fieri posse, quam ut locupletes facti, ad reip. regimen essent adspiraturi seque nobilibus, quos claritate generis æquare non possent, divitijs impotentes facti etiamnum, qua daretur, antelaturi. Certum est, eosdem multum caute, ac quam prudenter considerasse, aliter fieri non posse, quam si tales etiamnum majoribus comitijs admoverentur, homines scilicet novi, ac de plebe, magnum inde animorum morumque divortium Reip. metuendum ut esset, dumque in contraria difficissi studia, remp: qua premunt, qua distrahunt, cuncta dissidijs, cuncta factionibus implent, suis eam ipsam viribus (quod Deus avertat) ruituram. Certum denique patres, qui majora illa comitia scirent esse libertatis suæ Palladium, unicum reipub. suæ fundamentum, columen, præsidiumque, sanctissimo, eodemq; in omne tempus saluberrimo consilio, voluisse non alios ijsdem comitijs admotos, quam viros prælustri generis nobilitate conspicuos. Dicendum quoque (si veritati locum facimus) institutum illud esse non antiquissimum modo, sed ipsi quoque Reip. congenitum. Si quidem enim dicenda est plebes, jam tum ab incunabilis Reip. summæ rerum admota fuisse, ut sane verum non est, quis eam credat, adulta Rep. & in justum robur subvecta, passuram fuisse,

aditu se ad illam prohiberi. Præsertim cum suffragiorum numero patricios longè anteverteret, ac sic quoque, nullo negotio impedire posset, nequid tale Patricij unquam aut designarent, aut molirentur. Obstat hic nobis quidem, quo minus ipsum Decretum adducamus, ejusque antiquitatem probemus, luctuosum, cujus jam ante meminimus, incendium, quod plurima etiam archiva male perdidit: annitar tamen, ut ex ijs quæ jam jam dicturus sum sequenti capite, plenissima fides fiat, quam religiosissime semper, ac quam exactissime id observatum, atque exsecutioni mandatum fuisse, quo nimirum & IC^ti modo, ex actuum frequentia, consuetudinem, ex observantia legem ac juxta legis quoque vigorem & dimetiuntur & probant:

CAP. XX.

Soli Patricii apud Venetos cæteris præfuere. Plebeios eligere non licebat. Id decreto publico institutum. Filiis nobilium illegitimis ad majora comitia aditus præclusus. Militia navalis magni à Venetis facta. Qui ea inclaruissent quomodo ad majora comitia admoti. Decretum, quod majoribus comitiis absolvendis supremam manum imposuit, productum. Summam rerum ad plebem nunquam spectasse concluditur, & simul insignis circa hoc Anonymi error exploditur.

QVod in diverbio est, ubi flamma, ibi fumus, & hic usurpare liceat. Vidimus huc usque, Patricios omnibus usquequaque functionibus admotos, muneribus ornatos, ac dignitatibus illustres fuisse. Nisi in communem sensum

peccare

peccare lubet, non est aliter quispiam ut statuat, quam solos fuisse Patricios, qui cæteris præessent. Notum est, oriri jus ex facto, notum, posito uno, tolli alterum, sicubi præsertim de illis quæstio est, in quibus medium non datur. Non erat, ut Patricii tale quippiam, nullo jure, nullo facto majorum, nullo titulo præviis sibi arrogarent. Facti quæstionem si movemus, exclusam hoc ipso, & quidem tacito, plebem fateamur necesse est. Si juris; est ipsa pro titulo patientia. Absit interim, ubi rationi locus patet, facti quæ sunt, transversos nos agant. Illud dico, si plebis exclusio Patribus accepta ferenda est, (ut Anonymus vult); ea exclusio, si tum demum originem habuit, cum fuit modus majoribus in Comitiis præstitutus electionibus, si populus iisdem Comitiis admotus fuit verosimile non videri populum sicubi cognosset (ignorare autem, Anonymum si sequamur, non poterat) talia â nobilibus agitari, assensum fuisse præbiturum ullis omnino deliberationibus, nedum decretis, cum præjudicio totius ordinis conjunctis. Constat porro, quarto & vicesimo mensis Maji, qui fuit anni CIↃCCLXVII, decretum fuisse. *Quod in facto electionum, quæ de cætero fient, hic ordo debeat observari. Quod postquam janua clausa erit pro electione facienda, nihil possit dici contra dictam electionem vel electiones, sed sint firmæ sicut factæ erunt per electores, & si error fuerit de una vel duabus ballottis non possint propterea impediri, salvo, si eligerent talem vel tales qui certis occasionibus quas haberent in suas personas, esse non possent, aut per consilia ordinata* &c. Quæ novissima decreti verba si recte attendimus, videmus, non solum homines plebei ordinis eligi non potuisse, atque etiamnum, si forte electi fuissent, intercedi, atque istiusmodi electiones impediri potuisse, (huc enim spectant illa decreti verba, *Salvo si eligerent talem vel tales, qui certis occasionibus, quas haberent in suas personas esse non possent,*) verum etiam, per legem non licuisse plebeios eligere

gere, ut manifesto colligere est ex verbis, *per consilia ordinata.* Iam ante diximus, decreto quod in quintum Octobris anni cIↃ cc LXXVII incidit, fuisse statutum, *ne ad majora comitia Bastardos admovese liberum sit.* Quod si verum, ut certe verissimum est, ipsa enim suo loco decreti verba citavimus, si filiis etiam nobilium, qui non erant ex justis nuptiis, thoroq; legitimo procreati, ad majora Comitia prçclusus fuit adytus, ecquis sanæ mentis adseverare audeat, indistincte prorsus atque promiscue cuivis de plebe aditum ad illa patuisse! ut reor nemo, modo attendat plebeiorum natales ut plurimum ignobiles obscurosque, vix esse ut justis probationibus, quibus eos esse legitimos, ac sic quoque gradus illius capaces evincatur, locum admittant. Amplius dicam. Anno cIↃ cc LXXXIX cum mortalitatem posuisset Ioannes Dandulus Venetorum Dux, ac sic de novo Duce creando despiciendum esset, multa variaque, quæ circa novi Ducis electionem consideranda videbantur, majoribus in Comitiis ventilata atque agitata fuere; inter cætera vellentne ac juberent disquisitum, *Quod omnia consilia quæ fient de factis pertinentibus ad electionem Ducis venturi, & ad correctionem capitularis ejus, seu ad illa facta, debeant & teneantur venisse omnes officiales, qui sunt de majori Consilio, & vicedomini Fontici & Salinarii maris, & illi qui sunt super frumento, justitiarij novi & veteres, & illi qui sunt super Datio vini, & illi qui sunt super pannis ad aurum & illi qui sunt super Rivo alto, & illi de moneta, & æstimatores auri.* Verum pars hæc (ita Venetis decreta Comitiorum vocari monuimus) nullatenus admissa, nedum assensu firmata fuit, aut stabilita. Nam cum verba illa generalia, *Omnes officiales, qui sunt de majori consilio,* omnes includerent, quos aut nascendi sors, aut lex majorum Comitiorum capaces reddiderat; offendiculo erat particularis illa cæterorum illorum magistratum minorum enumeratio, eo quod ipsorum functiones essent non ita magni momenti

menti, magisque in eo occuparentur, ut salubriter constituta observari atque exsequtioni mandari curarent, quam ut de iis, quæ observanda aut exsequtioni tradenda viderentur, ipsi deliberarent, qui quidem minores magistratus cum & insuper privatim ea cognoscere ac perquirere deberent, quæ infra dignitatem Patriciorum longe futura judicabantur, atque hinc multoties eos qui obirent, homines essent è populo, perspiciebant hoc pacto futurum ut in majora comitia introducerentur tales, quos introduci per legem, quique legis est loco, receptum morem, fas non erat. Antiquata ergo pars illa fuit, nec unquam perlata Verum cum postmodum immediate adjecta fuissent verba limitantia, quæ jam ponam, nempe *Præter illos de dictis officiis* (Notentur illa verba) *qui non possent eligi per electores anni de majori consilio* placuit, estque communibus votis suffragiisque firmata. Quis hic non videt legem aliquam fuisse, quæ electoribus, indistincte quoslibet, etiam ex iis, quos subinde (ut mox exemplo decretoque firmaturus sum) ad functiones aliquas quæ majoris essent Consilii promoveri contingeret, ad majora Comitia adlegere haud permiserit? At vero unde id impedimentum? anne ex eo, quod jam tum magistratum gererent? minime. vidimus enim non semel, magistratum qui gererent vocari solitos. An quod in reatu essent, aut alicui sive mulctæ sive supplicio privatim obnoxii? nec hoc quidem. reatus enim eos & à gerendo magistratu, & à frequentandis exclusisset comitiis, idque per se, ita ut lege lata opus futurum haud fuerit. An quod in ære essent Reipub.? multo minus. Publicos si quidem debitores allegere fas non erat, quin adeo jam nunc electi, eo nomine, ac quidem ipso jure, privabantur honore in ipsos collato; neque dicta nobis Comitia adire ultra, aut frequentare poterant. Dicendum quod res est, non alia impedimenti caussa, quàm quod

LII nobili

nobili stirpe editi haud forent; tales enim, ut videmus, quo minus majoribus Comitiis admoverentur, lex intercedebat. Potiora etiamnum atque his majora, quæque efficacius legentibus sese probatura sint adducturi pergamus. Multa semper magnoque in æstimio apud Venetos fuit militia navalis sive maritima; hac qui clarus evadebat, qui cæteros anteibat, deque patria bene merebatur, luculentissima præmia honoresque longe maximos referre consueverat: quin & honores illi vel eousq, subinde exporrigebantur, ut privatæ sortis conditionem superegressi ad summa dignitatum fastigia, pro magnitudine benemeritorum haud rarenter spectarent. Interim tamen, cum fuisset anno CIↃCXCI lata lex, ut qui decem aut pluribus navibus rostratis cum imperio præfuisset, talis in urbem ubi esset reversus, magnorum Comitiorum pars foret, quo ne tamen incommodi quippiam enasci inde posset, eo, quod & præter nobiles, alios etiamnum functionibus istiusmodi admoveri contingere posset, salubri temperamento adjunctum fuit, *Quod ille qui non posset esse secundum formam consilii* (quæ vero ea forma, si lex nulla, nullum decretum, nulla regula, nullus in antecessum ordo fuit?) *de majori Consilio; non intelligatur quod propter Capitaniam galearum debeat esse de majori Consilio.* Si quod res est fatemur, his manifestiora qui petat, aut ex professo malignus sit oportet, aut ad mediam lucem cæcus. Sermo modo nobis fuit de tribus illis ad quos Canabis cura spectaret; diximus vocatos fuisse tres viros bonos, qui non sint de &c. at quo ne quispiam bonos illos viros cum nobilibus confundat, aut è Patritiorum ordine arcessitos putet, subjungitur disertis verbis, *Ut non sint de majori Consilio.* Sed nec quis mihi hic dicat, id ea de caussa fuisse decretum, quod jam ante publico muneri admoti, plura uno eodemque tempore minus essent accuraturi, nam ut jam ante vidimus, omnes omnino Magistratus, modo Comitio-

mitiorum Majorum capaces forent, ut ut publico aliquo munere fungerentur, dictorum nihilo fecius Comitiorum fuere participes. Quod majus est, cum placuisset anno cIↄ ccxcvi ut è Patricijs quoque subinde aliqui, quodcumque id muneris fuit in se susciperent, anno cIↄ cc xcix, decretum, *Quod illi de Canapi qui sunt & erunt, sint de Majori Consilio diebus festivis & solemnibus, si erunt tales quod possint eligi de majore Consilio.* Viden Anonyme ut hæc belle inter se conveniant! ut quæ de rostratarum præfectis dicta sunt & hic habeant locum? Sed nec hoc omittendum. Cum præviderent Patres, evenire posse, ut temporum decursu, modo hoc, modo illud, è majoribus, aut dignitate cæteras quæ anteirent functionibus, forte fortuna ad aliquos è plebe devolveretur, anno cIↄ ccc viii solenni decreto ei occurrendum censuere. Decreti verba sunt, *Quod si aliquis electus sit ad aliquod officium quod esset de Majori Consilio, non sit per hoc de majori Consilio, nisi esset talis, quod eligi posset de majori Consilio.* Dicendum ergo statuendumque, quod cum deliberationes illæ ac decreta, quibus plebs ab imperij summa cis movetur, ita bene composita sint atque conspirantia, ut non minus ante, quam post præstitutam majoribus Comitijs formam, quæ & in hunc diem stata perseverat, eadem quaquaversum fuisse deprehendantur, ipsam quoque plebem, & hoc & illo tempore, ab administratione Reipub. egisse quam remotissimam. Denique quæ huc usque demonstravimus incunctabili auctoramento firmantur decreto multum notabili, quod in anni cIↄ cc xcvi novissimum Februarij diem incidit, quod, ut diximus non semel, supremam manum majoribus Comitijs absolvendis imposuisse fatendum est. Eccum ipsa decreti verba.

Capta fuit pars quod electio Majoris Consilij, quæ fiet à modo usque ad S. Michaelem, & inde ad annum unum, fiet hoc modo. Quod omnes illi qui fuerunt de Majori Consilio, à quatuor annis infra, ponantur

nantur in Quarantia ad unum ad unum, & quicumque habuerit duodecim balotas & ab inde supra, sit de majori Consilio, usque ad festum S. Michaelis, & à festo S. Michaelis ad unum annum, approbando eos ad unum ad unum, in dicto festo S. Michaelis per modum dictum. Et si aliquis perderet Consilium, pro exire extra terram, quando redibit, possit requirere capita de Quarantia, utrum videatur quod debeat esse de Majori Consilio vel non, & capita de Quarantia teneantur ponere ipsam partem, & si habebit duodecim balotas & inde supra, sit de Majori Consilio. Et insuper eligant tres Electores qui possint eligere de alijs, qui non fuissent de Majori Consilio, sicut per D. Ducem, & ejus consilium erit eis impositum, ita quod illi quos ipsi elegerint ponantur inter Quarantiam ad unum ad unum, & quicumque habuerit duodecim balotas & ab inde supra, sit de Majori Consilio. Et prædicti tres Electores, sint de Majori Consilio usque ad festum Sancti Michaëlis, & alij tres qui eligentur in festo Sancti Michaelis, debeant esse per annum unum, & sint de majori Consilio & hoc non possit revocari, nisi per quinque Consiliarios, & viginti quinque de Quarantia, & duas partes Majoris Consilij. Et in capite anni per quindecim dies ante ponatur ad Majus Consilium, utrum videatur, quod hæc pars debeat amplius durare vel non, & sicut captum erit in Majori Consilio sic debeat esse firmum. Et injungatur in Capitulari Consiliariorum, quod ipsam partem debeant ponere ad Majus Consilium, ut prædictum est, sub pœna librarum decem pro quolibet, & Advocati Communis teneantur excutere dictam pœnam. Et non intelligatur per hoc, quod debeant esse de Majori Consilio illi qui sunt prohibiti per Consilia ordinata. Et injungatur capitibus de Quarantia, quod debebunt probari aliquot de Majori Consilio, debeant id notificare ante Quarantia per tres dies ante & quod non faciant approbationem aliquam de Majori Consilio, nisi fuerint congregati viginti de Quarantia, vel inde supra, & hoc addatur in Capitulari, & si consilium vel Capitulare est contra, sit revocatum per de Quarantia.

Anno item CIↃ CCXCVIII novissimo Septembris decretum,

cretum, *Quod dictum Consilium super electione Majoris Consilij, debeat adhuc durare sicut ipsum continet. Item, quod omnes illi qui sunt electi tam de Consilio Rogatorum, quam de Majori Consilio, debeant ire in unum in Consilio de Quarantia, ad unum ad unum, & illi qui habebunt majorem partem dicti Consilij sint firmi, & alij qui non habebunt majorem partem dicti Consilij debeant esse cassi.* Huc usque Decreta. Videat hinc observetque benignus Lector, omnes illos qui jam tum quatuor annorum spatio majoribus Comitijs interfuerant, quo tempore Decretum illud conceptum firmatumque fuit, ijsdem Comitijs fuisse in futurum destinatos, ex quo Quadraginta Virali suffragio approbari meruerant. Videt, ut ijs qui sive Reip. causa, sive privatis impediti negotijs ab urbe ac sic à Comitijs abfuerant, ad eadem postliminio regressus patuerit. Videt quoque ut tres Electores fuerint creati, quibus in annum sequentem eos adlegendi ad Majora Comitia facultas data sit, qui ad ea præteritis temporibus nondum fuerant allecti. Quoniam vero nimis late patere ipsorum authoritas prudentioribus visa, utpote, quæ etiam talibus quos lex nataliumve obscuritas Comitijs distinebat exclusos, viam ad illa sternere posse videbatur, videt denique, ut statim subjungantur citata jam nobis decreti verba, *Et non intelligatur per hoc quod habeant esse de Majori Consilio illi, qui prohibiti sunt per Consilia Ordinata*, agnoscatque, ut spero, vel quivis, non modo extitisse aliquam legem talem, qualem adversarius in rerum natura fuisse negat, sed vel plures quoque, ut verba illa *per ordinata consilia* plurali numero concepta, disertim testantur, easque multum vetustas. Ac licet eas ipsas, incendium, ut geminato jam diximus, hauserit, constat tamen ex antecedentibus, ipsas multotiens deliberationibus posteriorum temporum medias intervenisse, habitasque pro normâ. Concludo. Quandoquidem constat, penes nobiles semper fuisse summam rerum, nec ul-

latenus eam ullo unquam tempore ad populum, nedum ad plebem spectasse, mirum haud esse, si lex nulla talis fuerit, utpote, quæ non potuerit non esse supervacua; ac nec sic quoque subsistere posse adversarij thesin, quæ nec stringit quicquam, neque etiam necessario concludit, cum enim cuncta ad patres spectarent, errat qui plebem imperij hoc nomine capacem velit, quod nulla in contrarium lex inventa sit, quæ eam à Reipub. regimine abarceat. Contra vero, cum, ut majorem ad cautelam demonstravimus, omnino prorsus lex talis extiterit, eaque etiam num comprimis antiqua, necesse est, ut habeatur quam falsissimum, penitusque corruat erroneum adversarij effatum, cui, modo ligitima præcessisset electio, nulla lex intercessisse adsertum mordicus, quo minus apud Venetos, indistincte ac promiscue, vel quilibet, majoribus Comitijs adhiberi potuerit.

CAP. XXI.

Theupolitanæ conjurationis historia propius examinata. Suspecta & dubia Anonymi in adducendis auctorum locis fides. Bajamontis Theupoli ætas. Decretum de Bajamonte è medio tollendo. De reformandis comitijs consultum. Error Bodini. Non totæ familiæ, sed quidam à comitijs aliquando exclusi, aliquando admissi. Varia de Comitijs instituta. Nobilitatis consequendæ modus. Nanorum familia comitiorum capax. Anno CIↃ CC XCVII *Festo divi Michaelis in suffragia itum non fuit. Rejectio à majoribus comitijs castigationis loco. Varia Venetorum de comitijs decreta.*

Probæ

Probæ, ut vocant, aureæ usus quando cœperit. Conspiratio Bajomontana in quem annum inciderit. Qui conscij conspirationis. Conjurationis progressus & eventus. Injurius in Nobilitatem Venetã Anonymus. Primi Venetæ urbis auctores nobilissimi viri fuere.

ET sic quidem jugulata adversarii thesi, quam sibi lemmatis loco probandam assumserat, & ante præstitutam Comitiis majoribus eligendi formam omnes ex æquo cives Venetos, eorundem Comitiorum capaces pronuntiaverat, demonstratoque esse oppido quam falsissima, quæ ex Ianotto desumenda sibi duxit; tempus est, ut accingamur ad Theupolitanæ conjurationis historiam, eamque penitius aliquando introspiciendam atque excutiendam lectori præbeamus, liberumque pariter ei relinquamus judicium. Adfert adversarius, ut quidem ipse inquit, *Bajamontis Theupoli qui circa illa tempora vixit, historiam, multa cura ac fide manu scriptam.* Despiciendum igitur, eane contrarium & ab ijs quæ attulimus diversum quippiam probet, an vero potius illa nostra talia sint, ut etiamnum illis quæ in adminiculum ad theseos suæ firmamentum ab adversario allata sunt, refutandis sufficiant; suffectura, (nisi quid hic mihi tribuo aut fallor) facile crediderim, eo quod plurima illorum temporum cum videre contigerit, idque sedulo sim annixus, ut nihil esset quod aut sedulitatem nostram effugeret aut curam, neutiquam reperire quæ ille allegat potuerim. Fateor ægre id mihi comprimis obvenisse, qui cum sciam pro more adversarium hoc habere, ut mutila, trunca, laceraque authorum loca citet, hic demum neque vola relinquatur neque vestigium ipsam rerum gestarum veritatem eruendi, inque lucem protrahendi. Ferendum est, quod ut mutari ne posset, adver-

adversarius egisse videtur. Dico interim, ut ut hic multa magnaque elargiri Anonymo velim, laborare tamen non leviter, eorum quæ ab ipso adducuntur, fidem. Vixit Bajamons usque ad annnum cIↄ ccc xxviii, omnemq; quo ad vixit lapidem movit, ut quovis modo in patriam redire posset. Anno cIↄ ccc xix sub initium mensis Ianuarij, ventilata illius causa fuit, electique bini fuere *pro factis* (verba sunt decreti) *Bajamontis & Petri Quirino & comitatus ejus, quod procurent solicite & attente mortem & desolationem Bajamontis & Petri Quirino*, data insuper ad id electis potestas, quo propositi compotes fieri possint, pecunias aliquas erogandi, nomina electorum scire si quis cupit, fuere ij *Andreas Michael* & *Marinus Falerius*, quod quidem tanto post tempore à Patribus decretum neutiquam fuisset, nisi nova aliqua, aut ex insperato emergens causa, ei occasionem præbuisset. Anno item cIↄ ccc xxviii, Decemvirale consilium censuit, dandam Francisco Dandulo, id temporis Venetorum Duci, potestatem quam plenissimam, ut tractaret, promitteret, pecunias erogaret, ac nihil intactum relinqueret, quo Bajamontem de medio tollendum curaret. Factum id ea de caussa, quod Nicolaus Barozius, cui Macri impositum agnomen, una cum fratribus quos binos habebat, de mutando Reipub. statu scelesta inijsset consilia, cœterum detecta conspiratione, bini ultimo supplicio affecti sunt, tertius, cui Cataldo nomen, aut corrupta voce Coltano, perpetuis carceribus mancipatus. Author utique ille, ex quo sua compilavit adversarius, dum de verbo ad verbum quæ inter conjuratos dicta facta sunt referre conatur, haud leviter suspectus est, quod earumdem cum conjuratis partium fuerit, eaque memoriæ tradiderit quæ instituto suo magis quam veritati gestarum rerum forent consentanea. Habet interim sese illud quam optime, quod vel invito ipso, adeoq;

ex ip-

ex ipsismet illius verbis, quid de tota re statuendum sit, liquido desumere, atque colligere liceat. Ita textus. *Fuisse Petro Gradenico sub initium ducatus sui in animo reformare Majora Comitia, eaque non pœnitendo numero familiarum aliquot, quæ pro nobilibus habebantur, alijsque æquales haud obscurè erant, ampliare quò ne paucæ duntaxat familiæ civitatis principes existerent, ac cœteris honoratiores, sublato interim modo per quem Cives ac de populo homines ad majora comitia evadere ac pervenire possent.* Notatum id (ut & hoc in transcursu lectorem moneam) ante me, ab ijs, quibus major exactiorque peritia idiomatis istis temporibus usitati, Anno cIↃ ccc x aliter istorum temporum homines loqui solitos, minus nimirum tersè, quam hic author, cujus nos verba ab Anonymi citata Latinitate donavimus: utque è scriptis, qua privatis qua publicis videre est, scatebant ea Græcis ut plurimum vocabulis, ijsque non minus corruptis, quam corrupte scriptis juxta prolatisque. Vnde nec immerito addubitare liceat vixeritne author jam dictus ijsdem, quibus quæ commemora, gesta fuere temporibus, pariterque sitne hac in re fides adversario, qui id ita se habere nobis persuasum velit, deferenda. In rem præsentem quo veniamus, notandum primo, quod ubi quid in animo Duci fuerit, author ille edisserit, non de intercludendis, verum de reformandis comitijs, sermonem instituat. quæ duo quantum inter sese discrepent, vel me tacente, quivis animadvertat. Ita sese res habet. Decreto illo, quod in novissimum Februarij diem anni cIↃ cc xcvi incidisse diximus, mutatus aliquantum est modus in electionibus, aut, rectius ut loquar, in adlectionibus ad Majora Comitia, ante ea tempora observari solitus; de intercludendis comitijs, aut excludendis nonnullis, ne verbum quidem factum est; nisi fortassis eos excipiendos quis dicat, qui pauciora duodenis à Quadragintavirali collegio suffragia

retulerant; quod ipſum quidem, non minus ſubinde per eos qui eligerentur, multis varijſque de cauſis, quam per eos quorum erat electio, dum ſecundum legum præſcripta minus exacte ſe componunt, ſtare poterat. Fidem ejus rei ipſemet ille author nobis facit dum ait, *Voluiſſe Ducem non pœnitendo nobilium familiarum aliquot numero, quæ pro nobilibus habebantur, altjſque æquales haud obſcure erant, ampliare Majora Comitia.* Vbi met ipſe de admittendis ait, non autem de excludendis. Aſſerere adverſarius tentavit ante annum cIↄccxcvI omnibus ex æquo acceſſum patuiſſe ad Majora Comitia, idq; etiamnum hoc authoris ſui loco adſtruere annititur, qui ſane cõtrarium potius evincit, aitque, ampliare voluiſſe Ducem jam dicta Comitia: quod nulla ratione cum adverſarii aſſertionibus conciliari poteſt. Omnibus ex æquo illa ſi patuere, fruſtra fuit Dux, qui plures ad ea intromitti voluit, pluribus tum demum intromittendis locus ſi fuit, nequaquam ea omnibus ex æquo patuiſſe dixerimus. Certum eſt, juriſque minime dubii, quæ pro ſe quiſque in judicio inſtrumenta profert, ea ſi adverſus proferentem militare deprehendantur, longe validiſſima adverſus ipſum proferentem, & eſſe, & reputari. Gradonicus ergo complures familias nobilibus accenſeri dum cupit, dum penes pauciores urbis regimen, rerumque ſummam ſtare omnino non vult, non de intercludendis ſed de reſerandis patefaciendiſque majoribus Comitiis egiſſe dicendus eſt; ac ſi quid actum ſit inveſtigamus, dicendum eſt contrarium ab eo quod Bodinus nugatur, dum *ab omnibus ad paucos tranſiviſſe Rempub.* eſt author; illa nimirum, à paucis potius ad plures, imo à pluribus ad omnes tranſeunte; haud alio tamen intellectu, quam quo ubi de adminiſtranda Repub. paſſim hoc opere ſermo nobis fuit, modo populi, modo omnium nomine, ſolos nobiles, (utpote qui ſoli rerum ſummæ præfuere ſemper) deſignavimus. Et quoque hic nobis

bis detegendus error multum insignis, qui non modo hunc authorem, verum scriptorum etiamnum quamplurimos tenuit, tenetque, qui sicubi de exclusione hujus aut illius familiæ loquuntur, aut etiam de earum ad Majora Comitia admissione, ita sese componunt ac si de totis familiis in concreto locum id habuerit, cum tamen ex adverso, ad singulos id demum homines, singulaque spectarit individua; ac proinde non nisi in abstracto considerari debeat. Quam sint vera quæ dico ex iis quæ huc usque adduxi constare potest, ac disertim ex iis, quæ de numero eorum qui electi fuere, disserui. Indices quoque, quos in Ducario asservari & de facili volentibus exhiberi commonui, faciant id ipsum quam testatissimum. Ast nec multis hic opus, verissima esse quæ dixi fatetur adversarius, ac quidem, quod palmarium nobis, etiamnum ore ipsius Iannotti, cum primum quadringentos quinquaginta, mox quadringentos septuaginta, electos commemorat. Id enim si de familiis verum fuisset, ac non de hominibus singulis, ut hoc omittam, factu quam difficil imum id fuisse futurum, debuerat non de singulis loqui sed de familiis. Idem, si familias inter certum præfinitumque numerum coercere studet, ac (ut est annixus) quatuor aut quinque homines ex hac illave familia, totius familiæ nomine venire asseverat, errat certe, estque superius suo loco monstratum nobis, tam falsum id esse, quam quod falsissimum. Addamus, quod &, quisquis ille tandem fuit, author Bajamontanæ historiæ nunquam de familiis sermonem instituat, verum de singulis duntaxat hominibus, ut patet ex verbis, *omnes illi qui ante quatuor annos majoribus Comitiis interfuerant*, &c. & nos è vestigio clarum faciemus, manifestumque. Novissimum quod ex illo adversarius urgere videatur posse, est quod ait agitasse hæc Ducem, *Sublato interim modo, per quem cives ac de populo homines, ad majora comitia evadere ac pervenire possent.* Dixit

 adver-

adversarius, distinctionem hanc inter cives, & homines de populo, sive, ut ille vocat, populares, demum repertam post interclusa Comitia majora, ita, ut ipso authore, cives sint, qui nobiles cum non sint, dignitatis authoritatisve aut splendoris quippiam habent, quod eos à plebe secernat; quod & Iannotti verbis probari posse contendit. Sed enimvero ita si sese res habet, si primitus à conclusis, aut interclusis comitiis Majoribus civium aut petendum nomen, aut arcessenda qualitas, quomodo id accidit, ut interclusa quo tempore fuere Comitia, ipsi quoque sint exclusi? Amplius dicam. Secundum decretum anni CIↃ CC XCVI, Quadragintavirali in collegio eundum erat in suffragia, ut qui bissena retulissent suffragia, ad majora exinde admitterentur Comitia. Vtique si cives, si plebei ordinis homines id temporis extitissent, eorumque habenda fuisset ratio, ut excluderentur caussa non erat futura, sed ita ferente illius decreti tenore, erat omnino necessarium, ut & ipsi admitterentur. Cur autem exclusi fuerint, non alia ratio assignari queat, aut caussa, quam quod non extiterint. Neque est quod aut decretum, aut legem, aut aliquod factum, quà comitiorum, quà Ducis, intervenisse dicamus; sola hic, atque unica ratio suffecerit, admitti non potuisse quos nosset nemo, quosve in rerum natura existere, sciret item nemo. Falsum ergo & hoc quod dicitur, de sublato aut ademto civibus, aut de populo hominibus, modo, quo illi ad majora Comitia sese penetrare, inque ea evadere potuissent. Rem ipsam penitius introspectanti, nullo negotio, contrarium sese probabit. Nempe mortalium prudentissimi omnes totis animæ viribus ad res præclaras gerendas, deque patria quam optimè merendum ut contenderent, unicè cum vellent, insimul de patria bene merentibus aditum ad nobilitatem patere voluerunt:

luerint: adque id ipsum, primo quidem gratiæ suæ beneficioque acceptum ferri, mox vero, cum & hic nonnullla sese offerrent incommoda, suffragiis id omne permittendum censuere. Huc spectat decretum ejusdem anni, *Quod D. Dux & Consiliarii non dent hominem novum ad Consilium, nisi captum esset in Quarantia.* Anno itidem cIↃ CCCXXX. Martii die secundo supra vicesimum, *Quod injungatur in capitulari Consiliariorum, quod de cætero non debeant dare aliquem hominem novum, ad faciendum ipsum eligi de majori Consilio, nisi primum captum fuerit per majorem partem de Quarantia, existentibus quadraginta congregatis à viginti sursum.* Annis deinde sequentibus, eo redacta res, ut penes quinque Consiliarios, penes tria Quadragintaviralis consilii capita, duas tertias ejusdem consilii partes, easque ad tricenum numerum reductas, ac duas item tertias majorum Comitiorum, steterit. Atque hic quidem nobilitatem consequendi modus etiam anno cIↃ CCCVII tricesimo Augusti die observatus legitur, quo nimirum tempore, multi eo cum aspirarent, Ioannes Nanus nobilitate fuit donatus, atque exinde etiamnum alter quidam. Quod ipsum quæ statim dicebamus de admissis ad majora Comitia hominibus singulis, non autem familiis integris, insignite firmat. Nanorum siquidem familia illis temporibus majorum Comitiorum capax erat. In indicibus mentionem factam invenio Dni. Thomæ Nani ad D. Iustinam, idque anno cIↃ CCLXXX qui quinque post annis, quæstor publicus fuit, cuique etiamnum, ipsi qui in regione Canaregii habitant, Nani, origine debent. Anno cIↃ CCXCVII mentionem fieri Dominorum Marci & Nicolai Nanorum, qui prope D. Ioannis (quem novum Veneti indigetant) fanum id temporis habitabant, quos omnino ante prestitutum ad dicta multoties Comitia eligendi modum, ad illa aditum habuisse necesse est. Atque hi sunt illi Nani, ad quos originem suam referunt Illustris-

ſimi Eminentiſſimique D^ni. Ioannes ac Baptiſta Nani, multa virtutum meritorumque laude etiamnum inter Patricios ac Senatores Venetos conſpicui. Anno ergo, ut dictum, cIↄ ccc vi, Ioannes Nanus nobilitatis ſuæ novum decus, in eximiorum erga patriam meritorum redhoſtimentum, tulit, cjuſque tandem ſtirps deſijt in Aloiſio Nano, b: m: Conſtantij f. qui anno cIↄ Iↄ LXVII è vivis exceſſit. Tres hic Lector Nanorum ſtirpes videt, binas illas priores, majoribus Comitijs naſcendi ſorte admotas, de poſteriore Ioanne n, ac principem quidem, ob bene merita ad idem faſtigium dignitatis ſubvectum. Suffecerint, ut ſpero, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, ad ea quæ adſerimus probanda; ea vero ut porro quoque ad altera duo loca, quæ ex oratione à conſpiratoribus habita citat adverſarius, benignus Lector applicare ut ne gravetur, etiam atque etiam rogo. Quin & illud peto, ut hoc quoque loco, paucis reſpondere liceat ad ejuſdem authoris locum, ſimiliter ab adverſario ut ut inſequenti capite, citatum. Ille ubi de componendis ſive ordinandis majoribus comitijs verba facit, licet minus plene ait, *Feſto D. Michaelis anni* cIↄ cc xcvii *ordinem ſupradictum in ſuffragiis fuiſſe ſervatum, non tamen citra contentionem aut confuſionem.* Primo enim, feſto d. Divi anno cIↄ cc xcvii in ſuffragia itum haud fuit, verum menſe demum Martio inſequenti, quod diſertim evincit decretum anni cIↄ cc xcvi menſe Februario, cujus hæc verba. *Quod electio Majoris conſilij quæ fiet modo uſque ad S. Michaelem, & inde ad annum unum.* Si ad annum unum, manifeſte falſum eſt quod allegatur, namque cum Veneti à Kalendis Martijs annum auſpicentur, non in menſem Septemb. verum in menſem Martium neceſſario id ipſum inciderit. Fateor equidem, ignorare me, à quo, aut unde ipſe hauſerit quæ de contentionibus, deque confuſione commemorat, cum, quos hactenus mihi videre

con-

contigit, authorum nullus sive maniscriptus ille sive impressus, ne verbum quidem unicum faciat, unde tale quippiam colligere liceat. Cumque ex adverso tam certum sit, quam quod certissimum, ejus quod ipse lubens nobis obtruserit, contrarium obtinuisse. Nempe ultimo mensis Septembris cIↄ cc xcviii minime, verum secundo die illius mensis & anni decretum, non *quod in futurum Majora Comitia continuarentur utque eadem forma perseverarent, quali tunc erant, id est, ut omnes familiæ quæ id temporis ad Majora Comitia erant admissæ, etiam absque eo quod ad D. Michaelis recepto more circa hoc in suffragia iretur perseverarent*, quæ authoris illius sunt verba, verum, quæ decreti sunt verba, *Quod ipsum consilium super electione Majoris consilii debeat adhuc durare sicut ipsum continet.* Utque clarius apertiusque de intentione constaret ac mente, additum etiamnum. *Item quod omnes illi qui sunt electi, tam de Consilio Rogatorum, quam de Maiori Consilio debeant ire in Consilio de Quarantia, ad unum ad unum, & illi qui habebunt maiorem partem dicti Consilii sint firmi, & illi qui non habebunt majorem partem dicti Consilij debeant esse cassi.* Estque notandum, illam ipsam quæ à majoribus comitijs usurpari solita erat rejectionem (ita loqui fas sit) pœnæ aut castigationis loco fuisse, adversus eos, à quibus forte nonnulla fuerant privatim gesta, quæ publice minus placerent, id enim si natalium vitio, aut nobilitatis defectui imputandum quis existimet, omnino fallitur, si quis enim minus nobilis ingerere sese, atque introtrudere dictis comitijs fuisset annisus, utique statutam legibus pœnam, evadere nullus potuisset, recepto jam tum more ut ex albo quadragintavirali nomen illius eraderetur: ut factum anno cIↄ ccc xxxviii in Grabriele Delfino, ad D. Cantianum, supra cujus nomen inducta linea, cum subscriptione. *Non fuit de legitimo Matrimonio.* Quam sint ergo aliena à vero, super quibus adversarius anno cIↄ cc xviii vult

delibera-

deliberatum fuisse, jam dicta decreta satis superque commonstrant; ac vel ills tacentibus ipsa id naturalis evincit ratio, cum videamus ea haud aliter loqui quam de singulis hominibus in individuo, non vero de ipsorum posteris, aut nepotibus; Dicendum ergo haud fuisse id temporis Reipub. prospectum de perpetuo aut non intermorituro regimine, sed præstitutam duntaxat comitijs formam, vel ad pauculos annos, si mortalitatis rationem habemus, duraturam; eoque impensius, quod per decretum illud anni cIↄ cc xcv i antiquatum fuit, quod prius observatum fuerat institutum ut absentium ab urbe, defunctorumque loco alij sufficerentur. Faciunt insuper pro nobis indices sive regesta publica, in quibus de anno in annum, usque ad annum cIↄ ccc l i (ulteriora enim haud extant) ita scriptum, *In nomine Dei æterni Amen. Anno ab incarnatione Dn. nostri Iesu Christi* m ccc xxiv. iv *Mensis Septembris, indictione* viii *approbati de Majore Consilio inter* xl. Extat quoque ea ipsa tempore prior, anno nempe proxime præcedenti, quædam annotatio, cujus hæc verba, *Isti infra scripti sunt qui ceciderunt ad probam de Majori Consilio* cIↄ ccc xxiii *Mensis Septembris die vicesima & vicesima prima, indictione septima, quæ proba facta fuit secundum formam Consilij, & secundum modum & consuetudinem patriæ*, fueruntque ij, quorum ibi mentio fit, numero septem & viginti. Neque dixerit quispiam hanc illam fuisse, quam globuli deaurati probam Veneti vocant, cujus & his temporibus suus est usus, introducta primitus anno cIↄ ccc xix, quoniam videmus hæc facta mense Septembri, illa vero proba (recepto, ut ut minus Latino vocabulo, uti liceat) haud alias unquam instituta, quam mense Decembri ut non uno Decreto, nullo negotio probari posset. Ita & alibi in Decreto, ubi dictum fuit quod qui globulum auratum uerit sortitus, pro electo sit habendus, adjunctum videas,

Sed

Sed illi qui sic electi erunt approbabuntur inter Quarantiam secundum usum illorum, qui eliguntur per Electores, atque alii qui vicesimum & quintum ætatis annum compleverint, ad Majora Comitra admittantur, *Facta prius probatione de eo inter Quarantiam, sicut solitum est fieri de aliis qui eliguntur.* Quæ cuncta valide firmant, quæ hactenus adduximus.

Supersunt interim nonnulla etiamnum de Bajamontana conspiratione, super qua jam nunc vidimus, dicenda, quo ne quispiam existimet adversarium per illam probare posse, id quod asserit; perinde ac si conspirationi caussam id ali- aliquatenus dedisse statuendum sit, quod Majora comitia forent interclusa. Temporis computum si inimus, fuit illa conspiratio totis duodecim annis tempore posterior; utpote quæ in annum CIↃCCCX incidit, intra quod sane spatium suppressa indignatio jam dudum eruptura fuisse non immerito credi queat, si qua fuisset modo, maximè si ad plebem Venetam, ac illius sæculi mores, oculos convertimus; nec non si attendimus eam, quam Marinus Bocconus, (de quo mox, ubi eo nos ordo perduxerit, verba facturi sumus) occasionem suggesserat. Quod olim ad milites suos tumultuantes Cæsar,

Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio,

& hic usu veniat. quod non eruperit in seditionem, quam nobis adversarius præfigurat indignatio, argumento est aut nullam fuisse, aut leviculam, si leviculam dicere lubet, utique sufficerit decennij cursus ad eam ex animis hominum vel stirpitus radicitusque evellendam. Caussa conjurandi fuit, non amor in patriam, cui (si diis placet) ob interclusa comitia, grave vulnus inflictum, neque enim tanti temporis inter-

ſtitio erat opus ad occurrendum tanto malo, verum ſimultates, indignationes, odiaq; privatim cōcepta à nonnullis è Quirinorum, Theupolorum, ac Badoariorum familiis, eorumque ſequacibus; ac tamen nec hoc ipſo quidem caſu, omnes iſtarum familiarum qui eſſent, huic ſeſe conjurationi immiſcuere, ut ex eo colligere eſt, quod anno qui conjurationem jam dictam excepit, Badoarium Baccam agnomine ad S. Salvatoris, majoribus Comitiis adſcriptum videamus, atque alterum item cui prænomen Marci, ex eadem familia, prope D. Virginis: item prope S. Salvatoris D. Stephanum Quirini ad S. Baſſi, D. Nicolaum Badoarium ad S. Paterniani, D. Ianinum Badoarium ad S^ti. Marini; Nicoletum Quirinum ad S. Mariæ formoſæ, Franciſcum Quirinum ad S. Hermagoræ, Nicolaum Theupolum ad S. Apoſtoli, Ioannem Theupolum ad S. Pauli, Iacobum Theupolum; ac Paulum item Quirinum, ad D. Thomæ, qui omnes ſi conjurationis illius conſortes extitiſſent, acti fuiſſent omni dubio procul cum cæteris in exillium, nedum ut in urbe verſari, liberum ipſis futurum fuerit, aut, quod longe majus, ad majora comitia fuerint admittendi. Iacobus quoque Quirinus Marci frater, vulgo dictus de Gente aut familia majore, cujus etiamnum filij conjurationis participes erant, ut ut quid præ manibus eſſet. haberet ille quam compertiſſimum, omni tamen ope ac ſtudio conjuratos ab inſtituto deterruiſſe fertur, tantum abeſt ut ejus particeps aut ſocius eſſe voluerit. Autor hujus hiſtoriæ, qui eam de verbo ad verbum (ut ut ab aliis ea longe aliter tradatur) perſcribere velle profitetur, ita tandem ſubjungit. *Filii, fratres, cæterique neceſſarii, quotquot iſthuc loci convenerant, una cum Iacobo Quirino qua minis, qua blanditiis, qua rationibus, ac quocumque potuerunt modo, conjuratos ab incœpto retrahere conabantur. Quin imò Jacobus Quirinus legationi ad Imperatorem Græcum deſtinatum ſeſe cum videret iſthoc tempore, legationem recuſa-*

recusavit, metuens ne forte filij sui in conjuratorum partes se absente pertracti statum Reipub. turbarent; postmodum tamen, cum illi promisissent nihil sese molituros adversum patriam, turbaturosve, fide data ad id receptaque, legationis munus sibi impositum ultra haud abnuit, estque profectus Constantinopolin. Post discessum Iacobi Quirini, &c. Evincit etiam id quod dicimus, quod illis quos diximus Quirinis Theupolisque injunctum fuit, ut gentilitia insignia commutarent; siquidem enim ipsi conspirationis illius fuissent consortes, si quidem hoc nomine ipsis patria erat interdictum, cui bono futura fuisse cuiquam videbitur, ista gentilitiorum insignium Reip. nomine imperata permutatio, quæ alias in urbe Veneta conspici erat nefas? Eadem quoque de caussa omnino superfluum futurum erat, quod a Quirinorum nonnullis, dum hoc modo immunes sese ac conjurationis minime participes antestatum cupiunt, factum constat, nempe quod insignibus suis literam B. interseruerint; ac si dicerent, ut ut scelestam ex eorum gente nonnulli contra patriam iniissent conjurationem, se tamen patriæ amantes, legum patriarum observantes remansisse, ac, quod prima verbi nota designare voluerunt, BONOS CIVES. Veram conjurandi caussam haud aliam temere quis dixerit, quam quod omnes ex æquo Petrum Gradonicum Venetorum Ducem odio haberent, utpote fautorem protectoremque Dandulorum, quibuscum ipsi privatim simultates exercebant, tum quod quoque illo in Ducem electo, insignem Iacobo Theupolo, quem populus acclamationibus suis Ducem creari magno studio ac zelo voluerat, injuriam factam existimarent, (erat autem Bajamontis frater, Iacobus Theupolus) ac denique quod crederent, Ducem authorem fuisse suasoremque belli Ferrariensis, quod ipsi comprimis detestabantur, ac minime è Republica esse prædicabant. Marco quoque, quem de gente seu familia majore vocatum diximus, ablata erat navis

rostrata longa, cui cum imperio præfuerat, ipsomet etiamnum Venetias ad reddendas rationes ablegato. Nimirum ille comitari jussus tutarique mercatorum classem, (Caravana vulgo) quæ Græciam Asiamque erat petitura, conspectis decem rostratis Genuensium, eam prope Methonem deseruerat, Genuenses qui prope Tænariam mare infestabant pulsurus; Cæterum dum Genuenses Oenussas insulas prætervecti, extima legunt, ipse vero nimium ad interiora deflectit, factum, ut & ex oculis inimicum, & simul classem curæ suæ demandatam, quaque etiamnum petiti Genuenses erant, amiserit. Gravis præterea eundem Quirinum premebat infamia, utpote qui eo nomine audiret quam pessime, quod bello Ferrariensi, sive per socordiam ac metum, sive quod ipsi cum Hugone Ducis Ferrariensis filio, secreto conveniret, caussam acceptæ ad Padum cladis diceretur dedisse, quodque castrum Thealdi, quo mox potitus sit Legatus Pontificis, esset amissum. Obvenerat & hoc, quod cum Venetijs Consiliarius esset creandus, eo nomine minus contenti fuerint, quod id honoris obvenisset Doimo è Canalium Familia, Vegliæ Comite, cui ipsi, quique eorum sequebantur partes, omni ope ac modo restiterant, quod id ita interpretarentur, ista electione Marco Quirino, velut in os exprobratam culpam, subvecto ad id fastigium Doimo, qui Ferrariensi bello fortiter & præclarè fecerat, assumto tamen resistendi prætextu, quod dicerent non posse dignitatem illam in Doimum cadere, eo quod lex ipsa intercederet, quoniam ex Histriæ comitibus Doimus erat. Ex adverso stabat pro comite, Iustinianorum ac Michaeliorum gens, nec erat ut intra verba res consisteret, prope ad verbera deventura, unde summa irarum indignandique enata occasio. Accedebat quoque quod Petrus Quirinus cui cognomen Pissagallo, & Petrus Quirinus, dictus de majori familia, sese

ſeſe condemnatos quiritarentur, hic nempe in mulctam quinquaginta librarum, (moneta Veneta quingentos Ducatos dixeris) eo quod, dum ad Euboeam ſive Chalcidem Baili (magiſtratus id nomen) dignitate fungitur, filius illius Iudæum quendam offendiſſet, aut, ut quidam volunt, interemiſſet. Alter quadragintaviralis collegij ſententia damnatus fuerat, quod per vim Marco Moroſino præfecto nocturno, ſeu præfecto Vigilum reſtitiſſet; qui pro demandato ſibi munere, explorare voluerat anne armatus incederet. Ipſe quoque Baiamons Theupolus reus peractus, quod plus quam per leges licebat, pro præfecto arcis Methonenſis exegiſſet, Sportularum nomine, ac publico decreto ad indebite exacta ac percepta reſtituenda, fuerat condemnatus, quorum ſumma ſi ad hodiernam monetam comparatio inſtituatur (erant enim duo millia ducenta viginti duorum yſparvieriorum, tale ei monetæ nomen) ad noſtri temporis Ducatos trecentos ſupra millenos aſſurgebat. Quæ cuncta ſi jungantur profundæ ac impotenti ambitioni Quirini, ad ea quoque præferox, ac vaſta & immoderata appetens Theupoli ingenium, ſuperaddere ſicui lubet, næ longe ei quærenda haud erit conſpirationis illius cauſſa: qui quidem ipſi, quo ſtudia ad ſe favoremque aliorum adtraherent, ſi ſpecioſum circumdare publici boni titulum (ut fere Libertatem everſuri Libertatem præ ſe ferunt) voluere, nemini præter fidem veri, aut etiam mirum videbitur, quod forte multis demonſtrare ſint aggreſſi, ac miſerari etiamnum patriæ vicem, perinde ac ſi ea, ſic diſpoſita comitiorum electione, multum mali paſſura, ac multum detrimenti captura foret, atque ob ſecluſam à majoribus comitijs plebem cæteroſque cives, damna ac calamitates longe maximæ reipub. impenderent. Sciviſſe tamen illos non modo veritatem ab alteris partibus ſtare, nec quid magis eſſe è publico

Peraganos ſibi villicos adſciviſſe ſimiliter, qui ad primum occurſum, fuſi fugatique, locum quo ſe reciperent haud invenere. ut ut jam ante gravia Reip. inflixiſſent vulnera, præſertim circa Præfectos annonæ, ac Quæſtores Communis, cuncta rapinis ac vi fœdantes, laceratis inſuper libris, quos pacis publicæ indigetant, in quibus continebantur infinitæ delationes, inſcriptiones, ac querelæ contra maleficos, utpote qui hinc prædæ dulcedine, inde propoſita impunitatis ſpe omnes ad ſe pellicere eſſent conati, qui ſalva Repub. ſalvi privatim eſſe haud poterant, idque propter rerum novarum avidi, publica ruina quam ſua obteri malebant. Atque hæc quidem de Bajamontana conjuratione dicta ſufficiant.

Liceat porro, ut ut in tranſcurſu quoque verbo uno aut altero notaſſe, quæ adverſum nobilitatem Venetam allegationibus ſuis, non citra livoris ac malignitatis notam, adverſarius intermiſcet. Quod ipſe ignorare ſeſe, male, ac contra veri fidem diſſimulat, nos jam ante oſtendimus, nempe primos urbis Venetæ authores, qui ſeſe in æſtuaria ac lacunas Hadriatici maris recepere, nobilitatem, eamque multum claram, utpote congenitum ſibi ac gentilitium decus, una ſecum tuliſſe, relictis ſedibus patrijs, in quibus jam ante principes ipſi fuiſſent, ac rerum domini, ac ſic quoque eos haud eo demum nomine nobiles fuiſſe dictos, aut pro nobilibus habitos, quod penes illos eſſent dignitates magiſtratuum, ac præcipuæ in repub. functiones, verum eo quod ipſi nobiles eſſent, ea penes ipſos reſediſſe; ac ſi non omnes ex æquo ad dignitates aut gerendos promoti fuerint, id ipſum haud ea de cauſa factum, quod hi minus nobiles eſſent, aut illi nobilitate ſuperiores, ſed quod rebus gerendis magis eſſent idonei, & authoritate non minus, quam rerum uſu priores. cæteris interim extruendis ædibus, procurandiſque quæ publice privatimque ad parandam rerum neceſſariarum

rum sufficientiam facerent, intentis. Atque hic quidem non inhumanus modo, sed & barbarus est adversarius, qui hanc priscorum Venetorum æquabilitatem, moderationem ac continentiam proscindere sustinet, non modo ut ignobilem, humilemve, verum sordidam quoq;, ac vilem, abjectamque; quod ut probet manuscriptum illud modo hominis ignoti profert, quod jam nos ostendimus non suspectum modo, sed & manifestè falsum, utque tale nullam prorsus fidem mereri. Hujus authoritate, si Dis placet, fabros, piscatores, nautas ac mercenarios sibi figurat eos fuisse, qui dubio procul mercenarijs operariisq; sunt usi ad extruendas naves qua piscationibus aptas, qua maris patientes ad commercia, nec non & alia cuncta, quæ ipsis in rem tum temporis præsentem videbantur necessaria, & fallendo quoque temporis tædio, inter quæ avium pisciumque capturam pono, idonea. Hanc quoque capturam si sordidam Anonymus putat, fateor me non videre, quam ut eadem ratione, Reges, Principes, dynastasque quoslibet, ut sordidos proscindamus, qui in sua ditione venatui indulgent, cujus loco Venetis, cum medio maris sinu habitarent & continentem haud haberent, avium ea pisciumque captura successit. Neque sane est, ut abjectorum hominum id quispiam putet, cum videamus, hoc ipso tempore, nobilissimos atque illustrissimo genere oriundos eo non modo impense delectari, sed & magnis sumptibus, extructis ad id navigijs, locata ad id non unius opera, qui ea accurent, asservent dirigantque, quæ pro re, proque percipienda ex istiusmodi exercitio necessaria sunt, aut requisita; idque Attalicum in modum, quod utique si unquam hominum fuisset de plebe ac sordidorum, suas ut sibi sordes haberent permisissent dubio procul, neque sese unquam ijs collutulare (ut infra ipsos quæ essent, ac ipsis indigna) sustinuissent. Fateor non visum hactenus mihi manuscri-

nuscriptum aliquod exemplar, quod Venetæ urbis primos authores sordidos fuisse, aut viles dicat: unum interim visum mihi, idque qua singulari antiquitate, qua simplici dictionis ac styli genere, præ cæteris eximium, in quo & earum familiarum, quæ jam tum ab urbis exordio nobiles ac illustres fuere nomina percensentur, ubi hęc inveni. *Antequam de Ducibus, & rebus quas gessere, verba faciamus, ac quibus temporibus & quam diu vixerint, recensebimus omnes nobiles, qui in has lacunas habitatum concessere, unde ipsi venerint, & quid ipsi illis temporibus fieri jusserint.* Et paulo post. *Inferius notabantur omnes familiæ quæ fuere à principio urbis Venetæ usque ad annum* CIↃ IↃ CCCC XL. *tam quæ in hunc diem perstant, quam quæ præteritis fuere temporibus, quæque esse desierunt.* Notentur modo verba. *Quid illis temporibus ipsi fieri jusserint*, ac patebit uti spero, ut sub quavis petra scorpius, ita & ex detorto verborum depravatoque sensu adversarium ea arcessere, quibus Venetos convulnerare annititur. Quæ de familijs priscis quæque de novis adfert anonymus ea commentitia puto simpliciter, & in suo nobilitatis fundamento primo consistentia si proferre mens ipsi fuit. Neque alia sane esse possunt si quæ largiter huc usque adduximus recte riteque ponderamus, si sanctissima Reipub. Venetæ intuemur instituta, si fundamentum illorum libertatis nobis ob oculos ponimus, ac denique eorum qui de rebus Venetis scripsere monumenta, cum attentione & curâ revolvimus. Feci quod in me fuit, ac quæ perquisitissimo studio, ac sedulitate pervestigare datum fuit, rimatus sum, nihil tamen istiusmodi hactenus liquet, imo contrarium semper affirmatum mihi ab ijs, quos non patriarum modo rerum multum gnaros, sed & extra illas doctissimos versatissimosque, ac quorumlibet Regnorum ac Rerump. statum quam perspectissimum habere expertus sum; eosque ipsos ad eum dignitatis gradum qua virtute sua, qua nascendi

forte provectos, ut mihi de fide eorum vel tantillum addubitare sacrilegium videatur nefastumque. Quod ergo Anonymus argumenta emendicat à secretis instructionibus, quæ huic aut illi Legato sint datæ, frivolum est omnino: nam cum secretas dicit, ostendit, ut opinor, satis, nec visas ulli, nec temere videndas. Hic largus ipsi fingendi campus, nec est ut timeat repertum iri quempiam, qui eum inani loquij, aut ψευδολογίας redarguat. Quid vero iniquius, quam veram priscæ Venetorum nobilitatis ac (ita ut loquar) essentialem probationem, externi alicujus principis instructioni aut mandati tabulis, quæ clam habere jubentur legati, velle delatam? Ea ipsa si exhiberi possent, dubio procul etiam manifestum facerent, cui fini, cuive bono data forent istius generis mandata, eo, si quid recte judicamus, collimantia ut disrupto æqualitatis vinculo suspicionum divisionumq; semina in animos nobilium conijciantur. Est & hoc nomine minus bonæ fidei, ac, ut quod res est dicam, ex professo dolosus adversarius, qui ita sese componit ac omnino unquam aut hoc etiam tempore fuissent existantve familiæ nobiles, è quibus Ducem legere licitum non sit. Testatur usus, testantur annales, testatur omnis ævi experientia, ex æquo Duces ex omnibus familijs nobilibus, ita ferentibus rebus, eorumque virtute, ac meritis electos fuisse nullumque hic præ cæteris eximium fuisse, præterquam quem spectata in Remp. fides, in patriam merita, privatim virtus, in publicum gloria, & ex rebus præclare gestis quæsitum decus præ cæteris illustrem fecissent eximiumque.

CAP. XXI.

Majora comitia non mutata penitus, sed aliquando refor-

reformatâ. Errat Ianctius, dum bina tantum Quadragintaviralis collegii capita ponit. Tria fuere. Index eorum, qui anno CIↃCCXCVI *in Quadragintavirali Consilio fuere. Qui fiat, quod hæc aut illa familia majora comitia aliquando non frequentarit. De Dentatorum stirpe propius actum. Varia, quæ majorum comitiorum formam spectant, discussa. Nonnulli digni judicati, qui majoribus comitiis adhiberentur. Anni* CIↃCCCLXXIX *decreto triginta viri in majora comitia adlecti, & quare. Fallit Anonymus, dum sordidæ eos conditionis existimat.*

QVæ novissimo Scrutinii sui capite pertractat adversarius, prope est, ut esse dicamus eadem cum illis, quæ quinto capite tractavit, aut saltim ab illis haud multum diversa, & nos quoque, per ea, quæ huc usque à nobis allata sunt, abunde ea confutasse, ni fallor, videri possimus. Dubium non est, quin si lectori fidem facere potuimus jam nunc, penes solos nobiles in omnia regimen fuisse, ipsa per se adversarii thesis corruat, quam prædicto capite tractandam desumit stabiliendamque, Nempe *Libertatem Venetam eorum in manus devenisse, qui publicæ rei habenas moderantur, cæteris ab omni imperio quam longissimè semotis, eumque esse hodiernum illius Reipub. statum* Quo tamen ne vel umbræ somnium apud aliquem resideat, ullatenusve Venetam Libertatem non modo læsura, sed vel libatura leviter, animo cujuspiam suspicio inhæreat, etiam minutissima excutere animus est, & in illis ipsis etiamnum ostendere, quam non candide Anonymus agat. Ac primo quidem, quod adfert de conclusis sive inter-

terclusis majoribus Comitiis, qua de re tamen quam parcissime annales quippiam memoriæ proditum reliquere, nec rotundo, quod dicimus, ore quippiam effari sunt ausi, res ipsa loquitur, non fuisse eam insignem aliquam ordinis jam dudum quam firmatissimi, immutationem, nedum inversionem, sed reformationem verius aliquantillam, utique nullatenus tantam, ut per eam quippiam ex iis quæ τὴν ἄκραν ἐξουσίαν concernerent, aut novari potuerit, aut immutari. Utique si quid tale tunc introductum fuit; tam alto omnium silentio, aut cæcos fuisse oportet annalium scriptores, aut supine negligentes, quique ad aureum veritatis jubar oculorum aciem applicare non sint ausi, aut denique quibus per leges liberum non fuerit, nudam rerum gestarum veritatem ad posteros transmittere. Cur pro negligentibus, pro cæcis, aut ad veritatis Solem caligantibus eos habere velimus, caussam non video; decreta hic patrum aut ullas omnino leges intervenisse, ne Anonymus quidem dixerit. At quoniam decretum sibi aliquod præfiguravit ille, judicent omnes, quam futurum fuerit (posito fuisse, non tamen concesso) decretum istiusmodi periculi plenissimum, utpote quod non potuisset non quam disertissime populo ob oculos ponere, quo loco excidissent, ac proinde dissidiis intestinis fenestram aperire multum largam, cujus & insuper omnino inutilis erat in posterum, ac rebus minus integris futura retrectatio, tot consciis præsertim, qui dubio procul id ipsum posteritati tradere haud omisissent. Quæ dicimus, multum comprobat ingenua ipsius Donati Ianotti confessio; nempe, ut ait ille, quæ illius generis plura sunt, non tam apud annalium scriptores reperire est, quam in commentariis privatorum; ac sic quoque, non obscure subindicasse dicendus est, minutula ista, ac ad historicam gravitatem neutiquam assurgentia, ab annalium scriptoribus prætermitti solere

lere, ac talia potius esse, ut diaria magis ac privatas hominum privatorum observationes, quam ad Annalium monumenta referri mereantur. Sed & nos adseverare fide quam optima queamus, publicis illis quæ dicimus archivis, ea contineri, atque intactà quoque & illæsa, nec ulla sui parte mutila, quibus, ut jam dicere aggredior, quæ libro suo infarcire adversario collibitum est, quam planissime redarguantur, confundanturque. Ita Ianottus, & ex illo auctor Scrutinii, *Quantum ego ex commentariis rerum nostrarum observare potui, erant illis temporibus capita quadragintaviralis consilii Leonardus Bembus, & Marcus Badoarus. Illi*, &c. Idem porro quod in novissimum Februarii diem, anno CIↃ CC XCVI decretum factum fuit, enarrat, idque bifariam, prout jam ante id à Ianotto fuerat narratum, nec non, prout illius author ille, qui Bajamontanam conjurationem scripto complexus est, memoriæ proditum reliquerat. Veritas, ut novimus, non est nisi una sola, quæ si varie tradatur narreturque, idque præsertim iis in rebus quæ per se totam gestarum rerum faciem intervertere queant, dubium non est, quin talia qui narrant, quam longissime alter ab altero recedant, idque necessariò. Si cui hic lubet, citra præjudicium, quæ gesta sunt istis temporibus inter se componere, ipsaque decreta Patrum, rebus aptare, aut res decretis, videbit, non illud minus quod à Ianotto allatum est, quam & alterum illud, quod ex dicta multoties historia citat, falsi vitio laborare; idque illis in articulis, qui ad quam penitissime perspiciendam ac dijudicandam ipsarum rerum veritatem, faciunt quam maximè. Error est in eo, quod duo solummodo capita fuisse vult quadragintaviralis Consilii, cum tamen semper tria fuerint. Id ita verum esse superius jam vidimus, cum decretum anni CIↃ CC LXVIII adduximus, cujus authoritate, jam nunc probatum nobis, in ea usque tempora eorundem haud alium fuisse numerum;

ut & esse illos eodem numero hoc ipso, dum hæc scribimus, momento quam exploratissimum est, neque ullam omnino circa hæc, (qui alter etiamnum Ianotti est error) mutationem obtigisse quispiam commonstret. Notandum denique quod neque Marcus Badoarius, neque Leonardus Bembus, novissimo Februarii, anni CIↃ CC XCVII, quadragintavirali collegio interfuerint; verum Ioannes Bembus ac Badoarus Badoarius, ut ex indice decretorum prædicti quadraginta viralis collegii observare atque desumere est. Sed nos qui toties ex archivis publicis nostra roboravimus, & hic lectori satisfaciamus. Ita Index Anno CIↃ CC XCVI Indictione X. (notetur secundum Venetorum morem indictionem decimam incidisse anno prædicto in mensem Septembrem, postquam tamen ille jam plus dimidio effluxerat) *Isti sunt de consilio de Quarantia à Ianuario in antea,*

De Tribu Sancti MARCI.

Iacobus Bragadeno.
* *Joannes Bembo.*
Joannes Superantio.
Andreas Daurio.
Paulus Michael.
Rainerus Venerio.
* *Gabriel Marcello.*
Marcus Antolinus.
* *Joannes Acotanto.*
* *Orius Pasqualico.*
Petrus Cavio.

Henricus

Henricus Minio.
Andreas Susenulo.
Nicolaus Viadro.
* *Iacobus Polini.*
Gabriel Vero.
Philippus Corasius.
* *Marinus Russini.*
Petrus Faletro.
Iacobus Vitalis.
* *Andreas Maripetro.*
Marinus Gradenico.
Marinus Businago.
Nicolaus Secrero.
* *Ioannes Orio.*
* *Ioannes de Canali.*
Thomas Trano.
* *Severinus Babylonio.*
Petrus Gansoni.
Iacobus Zorsi.
Ioannes Marignoni.

De tribu CANAREGII.

* *Vitalis Cornario.*
Zaneolus de Multo.
Joannes. Delphino.

Ioannes

Ioannes Ghili.
Iacobus Baseglo.
Marcus Lauredano.
Petrus Baldus.
Andreas Zeno.
Nicolaus de Canali.
Bocassius de Priolis.
Nicolaus Pissamanus.

De tribu D. PAVLI.

Andreas Sanudo.
Gabriel Dandulo.
Marcus Quirino.
Joannes Foscareno.

De tribu DORSI DVRI.

Petrus Manulesso.
Andreas Mauroceno.

De tribu Sanctæ CRVCIS.

Franciscus Contareno.
Badoarus Badoario.
Andreas de Molino.
Flabianus Nicola.

Iacobus

Jacobus Megliani. Angelus de Pescaro.
Marcus de Scala. Nicolaus Menotto.

Quos asterismo notavimus, ij id temporis è Quadragintavirali consilio dimissi fuere, inque aliorum magistratuum locum suffecti, qui id temporis aut ab urbe aberant, aut vitam cum morte commutarant: atque eum ad modum, in hodierum usque diem in omnibus omnino quadragintaviralis consilij indicibus nomina eorum perscripta conspicere est. Cæteri quorum nomina signata non sunt, numero sunt triginta & novem, factumque forte, ut quia vergebat ad finem præstitutum isti consilio tempus, ut in eorum qui deessent locum alii tum temporis haud fuerint electi. Sintque interim, qui quadragenarium numerum excedunt substituti in absentum locum. Quod ipsum evidenti argumento evincat illud, quod videamus Ioanni de Canali, cujus nomen inter illa est quod signavimus, substitutum fuisse Nicolaum de Canali; cum tamen ex eadem familia binos ad quadragintavirale collegium eodem tempore admittere non liceret per leges. Nec obstat quippiam, quod eum quadragesimo numero adscriptum videamus illi collegio; fieri enim de facili potuit, ut prior ille antequam cæteri comprobati forent, collegio egressus fuerit, recepto ut jam ante notavimus, ac decreto anni CIↃ CC LXXXVIII firmavimus, more, ut approbatio ista diversis vicibus ac temporibus fieret. Adversarium nos interim sequamur. *Narrationem*, inquit ille, *eccum multum imperfectam quæque quamplurimis dubitandi rationibus minime sit satisfactura*, &c. Certe si quas habere sese simulat dubitandi rationes adducere voluisset, ut Venetos sciens omittam, me sane hominem Batavum invenisset, ad eas ipsius animo eximendas quam paratissimum: suppressisse interim eas credo, quod per se videre potuerit, nullas eas aut leves nimium futuras. Quod tamen aculeum aliquem legenti in

cogitationibus hoc nomine infigere cõnatur, ut aliud nihil dicam, est, ut ait ille, nigræ succus lolliginis, & ærugo mera. Atque hæc quidem adversario refutando suffectura videantur. Cœterum, nec inutile sit nec inconveniens, uti nonnulla insuper tractemus, ac lectori ob oculos ponamus, è quibus & quam planissime constare possit, quam subdole, quam perverse maligneque, ille agat, ac quàm ne eorum quidem, quæ pro Sybillæ folijs nobis obtrudere satagit, satis fuerit gnarus.

Vtique mirum haud foret, si post legem anno cIↃ cc xcvi latam, hæc aut illa reperta fuisset familia, e qua nemo majora Comitia frequentaverit, puta eo quod ad paucos esset redacta, quod, si qui ex illa essent, publico privatove nomine urbe abessent, infantes item essent, aut ob senium depontani; ac postmodum tamen, si quando eos qui abfuerant reverti contingeret, infantes quoque ubi ad legitimam ætatem pervenissent, ilico dictis Comitijs, ad quæ nascendi sors, atque inde quæsitum jus, manu velut ducebat, fuerint admoti. Ita factum observamus in familia Dentatorum (Di Dente Venetis) quæ una ex ijs est, quas adversarius nominatim citat, eorum nomen in indice Majorum Comitiorum perscriptum, jam ante prædictum annum cIↃ cc xcvi reperitur, ab illo vero anno, usque in annum cIↃ ccc xi, nullus est index, qui alicujus ex ista domo habeat nomen; atque illo demum ipso videas Thomam ac Nicolaum Dentatos nominari, ac anno postmodum cIↃ ccc xvi præter jam dictos Petrum, Albertinum, eorumque filios Naufrium ac Marcum Dentatos. Neque est, ut quispiam sibi imaginetur, eorum ante illa tempora, quadragintavirali in consilio, in suffragia itum cum foret, habitam haud fuisse rationem, ac sic neque approbari meruisse, quoniam id verum si foret, relatum procul dubio foret in acta publica, ut obvenisse videmus

mus anno cIↄ ccc xxxi Paullo Griglioni cuidam, de quo sic in actis *Cecidit ad probam*, & anno cIↄ ccc xxxvi similiter cuidam Natali Mauro, ac multis alijs, verum annis similiter diversis, quale quid in hac Dentatorum gente, locum habuisse, aut reperiri, nemo est qui dicturus sit. *Simon Verardus* anno cIↄ ccc xii ad majora comitia admotus legitur, eo nomine, quod Bajamontana, cujus præcedenti capite meminimus, conjuratione, quam optime de Repub. meritus esset: verum id singulari deputatum beneficio; quale quidem in ipsum conferri Quadragintavirali collegio placuit mense Decembri illius anni, die, ni fallor, tertia supra vicesimam; ac simul quoque Majoribus Comitijs mensis Februarij die sexta. Atque id ipsum est in quo aut fallitur, aut fallere nos vult adversarius, dum eum postlimino Comitijs redditum putat, qui tum primo ad ea fuit admissus. Defecit in illo Verardorum gens, ac sic quoque decretum cessavit, cujus beneficio, prædictorum Comitiorum jus obtinuerat. *Ballochinorum Bendelottorum Betengliorum Trunsanorumq*, (istas enim gentes adversarius enumerat) nomina, in dictis libris scripta non inveniuntur, nec aliud dicendum quam quoad ipsorum aut à Comitijs exclusionem, aut restitutionem, quidquid adversarius commemorat, fictitium esse, nec aliunde probari posse, quam sola ipsius assertione, nullo authore qui idem tradat, firmatâ. Nobis quoque ex ipsis adversarij narratis haud immerito, aut male, ita argumentari liceat. Si nobiles quarundam familiarum viri, quorum anno cIↄ cc xcvi ratio habita haud fuerat, quive, ut ipse vult, exclusi fuerant, postmodum ad ea sequentibus annis admissi fuere, omnino dicendum, factum id ideo fuisse quod essent revera nobiles, atque eo nomine Majorum Comitiorum capaces: si ex adverso locum id nullum habuit in universa plebe, aut privatim in aliquo plebei ordinis, nisi speciali

 ciali

ciali indulto gratia ac concessione prævijs, ut jam ante vidimus, dicendum omnino quod res est, plebem nempe imperij paricipē haud fuisse, ac proinde quoque falsissimū esse quod ab illo demum tempore Reip. moderamen, ab omnibus indistincte, ad solos nobiles translatum sit, utpote qui sine ulla intercalatione jam tum à principio rerū summæ præfuissent.

Ipsa porro divisio, quæ ex eadem stirpe nobiles recenset & ignobiles, unde ortum ducat, notatu difficile haud est, cum multoties obvenire videamus ut è duobus fratribus, hic legitimam prolem post se relinquat, alter non nisi liberos naturales; neque dubium, quin ex priore illo progeniti dignitatum capaces nobilesque sint futuri, cæteris exclusis, utpote quos nascendi sors isto jure privaverit.

Equidem quid referat, cuive bono, adversarius scire velit quo numero Majora Comitia absoluta fuerint, causam non video: cœterum tamen quoniam & hac in parte ejus desiderio satisfiat, sciat ipse anno c I ɔ c c c x I, id est, anno proximo à Bajamontana conspiratione, eos qui majoribus Comitijs interfuerint, mille ac septendecim numero fuisse.

Post Bajamontanam illam conspirationem, speciali indulto ac gratia, quinque viri, non vero quinque familiæ, judicati sunt digni, qui prædictis Comitijs adhiberentur, utpote qui suis in Rempublicam meritis, id essent consequuti, ut dignitatis illius capaces Patres agnoverint. Anno c I ɔ c c c x I, novissimo Aprilis quadragintavirale Consilium ac capita quadragintaviralis Consilij (qui duo Magistratus conjunctim ubi quid delib erant, Comitia Minora vocari solent) decrevere, *Quod Nicoletus Papacisa possit eligi de Majori Consilio;* Paucis post diebus idem in *Quarantia* (noto hic ac recepto vocabulo uti liceat) firmatum, inque Majoribus Comitijs, die tertia & decima mensis Iunij. Eodem anno, similiter mense Iunio, minus Consilium idem de Marco

Donato.

Donato decrevit, firmavit Minoris Consilij decretum quadragintavirale collegium, cujus Majoribus Comitijs die nono ac vicesimo mensis Iulij, probatum placitum. Idem in Ianino Papacisa observatum, quem primo consilium minus, mensis Septembris die primo, vicesimo sexto Decembris quadragintavirale Collegium, ac mox Ianuario insequenti, Majora Comitia, eadem dignitatis prerogativa ornatum voluere. Idem per eosdem tramites & gradus eodem anno Mathæo Stornello honoris collatum. De Simone Verardo jam ante diximus. Atque hi illi quinque fuere, quos singulatim (neque enim id ad eorum familias extendi aut posse aut debere jam ante luculenter ostendi) majoribus Comitiis admotos, archiva testantur. Quod adversarius ait quindedecim una eademque vice ad majora comitia admissas fuisse familias, ego falsissimum esse affirmo, ac ut dicti sui justas probationes adferat, quæve fuerint, ac quando introductæ, quave de causa, ut demonstret, peto. Ab anno CIↃ CCC XII usque ad annum CIↃ CCC XXXVII, majoribus Comitijs admissos ullos haud invenio, præter paucos Nobiles Venetos, qui Acirensium oppido in Reip. ditionem redacto, postliminio in patriam erant reversi. Pauci etiamnum bene de Repub. meriti, bello quod inter Genuenses Venetosque ac nonnullos Italiæ ac Dalmatiæ regulos, (tales eos non male dixerimus) exarserat, eo sese subvectos videre, sed non jure suo sibive quæsito, ut nobiles, verum singulari beneficio atque indulto, ut cæteros illos, de quibus verba jam feci, eo penetrasse notatum. Anno deinde CIↃ CCC LXXIX cum belli quod ad Edronem sive Fossam Claudiam vario successu Respub. id temporis gerebat, magnitudo, ærarium non leviter attenuasset quo promtiores paratioresque ad succurrendum illius necessitatibus cives redderentur, lata lex in Consilio Sapientum Belli (ita eos Veneti vocant)

 primo,

primo Decembris die, cujus hæc verba. *Vadit pars ad honorem Dei, & gloriosæ virginis Mariæ, & Protectoris nostri Sancti Marci, & totius curiæ cœlestis, ut sua pietate dent nobis contra inimicos nostros victoriam & honorem, quod ex nunc sit captum, quod veniente tempore pacis, & factâ pace cum inimicis nostris, Consiliarii nostri Venetiarum, & capita de Quarantia qui se reperient, sub pœna Ducatorum mille pro quolibet, teneantur infra quindecim dies facere vocare, sub pœna solidorum centum, & facere congregari Consilium Rogatorum, cum additione, & Consilium sapientum Guerræ, quod tunc erit, & ipsis congregatis fiat Scrutinium, secundum unum in dicto consilio, ita quod quilibet de dicto Consilio possit accipere unum qui sibi placuerit de nostro Majori Consilio, & facto Scrutinio, probentur omnes electi, ad unum ad unum in dicto Consilio & illi triginta qui habebunt plures Ballottas alijs, sint firmi de nostro Majori Consilio cum suis hæredibus, licet non transierent medietatem consilij, per illum modum, & cum illis conditionibus, ut sunt alij nostri nobiles.* Eodem insuper die, idem Consilium censuit, ut inter illos qui de Rep. illa occasione essent benemeriti, tria ducatorum millia annua quoad viverent dispartirentur, adjectâ legi clausulâ, *Quid nullus nobilis Venetiarum possit ullo modo habere aliquid de pecunia supra dicta.* Porro ut & exteris rerum bene gestarum non ratio minus, quam gratia constaret, placuit ut exteros, qui ea occasione, fortiter pro Repub. fecissent, in civium numerum adsciscere liceret, ipsique quibus cives immunitatibus ac privilegijs fruerentur. Ejus quod jam recensuimus decreti vi, itum in suffragia, ac e multis tandem triginta (de hominibus non de familijs, ut non semel dictum, sermo hic nobis) ad Majora Comitia admissi fuere. Nomina eorum, ut ut ea recitare possem, superfluum sit molestumque hic referre, quod eorum qui admissi fuere, aliorum, super quibus similiter deliberatum, sed qui suffragiorum numero destituti, eam dignitatem obtinere haud potuerunt, nominibus permixta sint: cum alias quot unus-

unusquisque pro se suffragia habuerit etiamnum memorare possim. Suffecerit, ex omnium numero remansisse triginta, inque Majora Comitia allectos fuisse. Remansisse cum dico, quivis ut opinor capiat, me non de familijs verum de singulis individuis verba facere, alias enim publicatione nominum eorum qui remansissent, eaque separata, atque ad singulos repetita, opus minime fuisset. Ut videmus inter illos triginta, quos remansisse diximus, fratres fuere Polus & Iacomellus Trevisanus, Ioannes & Nicolaus Garsonus item fratres, Petrus & Marcus Zaccharia, Antonius & Ioannes Arduce, si enim tota eorum allecta fuisset familia, dubium non est, quin uno remanente, aut vocato, cæteri quoque remansissent, aut forent vocati. Accedit, quod & illa quoque eorum qui remansissent publicatio, non potuisset non esse cœteris, qui se exclusus viderent, in opprobrium. Quod in illorum electione, *ratio nobilitatis aut antiquitatis stirpis*, ut adversarius vult, habita non fuerit, fieri fortasse potuit, siquidem enim illi genere nobiles fuissent, super ijs in suffragia ut iretur, omnino opus haud erat: fuissent enim, ut vidimus, in se considerati, jam tum Majorum Comitiorum capaces: quod tamen abjectos omnino aut sordidos fuisse adversarius vult, id vero falsissimum est. Fidem fecerit, quod inter ipsos illos qui suffragiorum numero destituti, pro rejectis (ita Veneti vocant) habiti fuere, Biasius Moecoenicus reperiatur, cujus nomini additum in Archivis, vitæ quod elegerat genus, ac pannis coemendis vendendisque vacasse demonstrat. Quod sane vitæ genus cum nihil minus sit quam abjectum & sordidum, unusque Moecoenicus sit, cujus nomini adjunctum sit, eum pannorum exercuisse mercaturam, neque male ex eo ipso colligere liceat, haud alio quam ibi expresso nomine minus placuisse, aut ad Majora Comitia admotum haud fuisse. Quid de sordidis atque abjectioris

vitæ

vitæ ac professionis hominibus facturos fuisse statuendum sit, vel me tacente quivis colligat. Quinimo, si, ut adversarius vult, post interclusa Majora Comitia, ij qui nobiles haud erant distincti fuere in cives, id est, lautioris conditionis ac fortunæ homines, & artifices, id est, prioribus illis inferiores minoresque, quæ hic veri similitudo, quod nempe priores illi, quorum maxime intererat patriam esse salvam, qui sua bona cum Rep. communia quodammodo habebant, qui non alibi tranquillius suaviusque aut magis etiam in luce hominum vivere possent, quam in urbe Veneta, non Italiæ sed Europæ, sed orbis ocello, adeo male animati in patriam fuerint, adeo sui officij immemores, adeo consequendæ quam amplissimæ dignitatis parum cupidi, ut hic sese à plebeis superari passi sint? Quis hic item credat, homines de plebe, viles sordidos, abjectos, qui ægre vitam sustentarint manuum suarum ope, quidquid corradere, quidquid in victum & amictum conquirere potuerint, profundere voluisse, ac tanta quanta nec unquam possedissent, nec possessuros unquam se vel spe præsumere ut auderent, ulla erat ratio, Reip. impendere voluisse, ut eo modo ad nobilitatis apicem aliquando subvehi possent? Vtique nemo. Cum ergo huc usque visum nobis sit, triginta illos, non simpliciter, sed per suffragia ac proposito æque grandi numero electos cæterisq; antelatos fuisse: cumque & ex ipsa electionis illius tabula constet inter cæteros electum fuisse Caresinum quendam, qui magni Cancellarii dignitate id temporis fungebatur; ecquis adeo impudens sit, ac perfrictæ frontis ut aliter vel suspicari audeat, quam fuisse illos melioris conditionis ac notæ mortales, qui tum ad majora comitia electi fuere. Vtique electores ipsos circumspecte hic & cum delectu egisse, evidenti argumento sit, quod cum meritorum in Remp. rationem unice sibi habendam scirent nec in honorem

norem eorum, in quorum consortium illos erant allecturi, peccare voluerint, nec in virtutes eorum, quos de patriâ bene meritos agnoscerent. Omne ergo punctum tulisse sunt dicendi dum hinc eos ad majora comitia eligunt, qui dignatione, authoritate, atque opibus, ad nobiles quam proximè accederent, illinc, novenis Ducatorum millibus, ad vitam in cæteros annuatim erogatis, patriæ in fortes bonosque cives affectum prolixum, luculentamque testantur humanitatem.

CAPUT. XXIII.

Valeriorum gens ad majora comitia admissa: Circa hæc hallucinatio Anonymi. Jannotti, & Justiniani fides elevatur in historia conspirationis Marini Bocconis. Locus Iustiniani sub examen vocatus. Vera ac genuina caussa Bocconianæ conjurationis. Author historiæ conspirationis, & Justinianus hic sibi adversantur. Caresini auctoritate omnia firmata. Populus Bocconianæ conjurationi se non immiscuit. Mens & ratio legis anno CIↃCCXCVI *latæ. Anonymus gladio suo jugulatur.*

VIdimus huc usque errare adversarium ac falli, quod ob interclusa Comitia, si quid ipsi credendum, quam plurima eaq; gravissima incommoda Reip. statum afflixerint. Atque hoc quidem à nobis præstitum si fuit (ut abundè præstitum putamus) res ipsa loquatur vel me tacente, cum quidem nulli mortalium, cui quidem ad illa jam tum antea aditus patuerat, interclusus fuerit accessus, caussam subesse

haud potuisse, ut exclusum sese quisquam doleret, ac minus etiamnum uti sollicitos ipsum patres haberet, quo pacto eorum animi placari possent, qui sese Comitiis prohibitos ægre ferrent. Quoniam tamen ipsi etiamnum ad privata descendere visum, ac Chronici, nescio cujus, authoritate sese tueri; operæ sit, ut & illa silentio ne premam, quæ de Valeriâ gente, Majorum Comitiorum Regesta, sive indices, ad posteros transmittunt. Faxo ut hic ex ungue leonem omnes agnoscant, ac, quod est apud Poëtam, crimine ab uno discant universa. Verba sunt adversarii. *Disertim de Valeriorum gente Chronicon ait, illam ad majora Comitia non fuisse admissam, quod tamen sublatum postea metu seditionis, eo quod gens illa multum esset unita.* Constet vel hinc, esse comprimis magnum robur Veritatis: ea ut ne quid ab eo, quod Anonymus statuit, diversum statuamus aut statuendum putemus vel nolentes cogat. Non unita modo illis temporibus, anno nempe MCCXCVI erat gens Valeriorum, verum (fas ita sit loqui) unitissima: quin imo nisi unum ex illa mortalem superfuisse confitemur, necesse est dicamus totam è medio fuisse sublatam. Unus ille primus supremusque Valeriæ gentis Nicolaus fuit Valerius, quem dicti mox indices ajunt fuisse è tribu sive regione Dorsi duri, Hic novissimo Septembris die anno MCCXCIII electus fuisse deprehenditur Anno insequenti, die septimo supra vicesimum mensis Octobris, nec non Anno MCCXCV nulla ipsius sit mentio. Idem tamen exinde, ac quidem tribus annis continuis, pars fuisse Majorum Comitiorum deprehenditur, neque alius quispiam, qui ei cognominis fuerit, inventus huc usque; aut ejusdem quoque tribus. Constat nempe sibi consueta designatio, quæ fuisse eum *De tribu Dorsi duri*, legentibus exhibeat: ac nec designatio duntaxat, verum rubrica quoque, cujus ipsissima verba; *Isti sunt de Majori Consilio, qui approbati fuere*

fuere inter XL. Vel adversarius agnoscat, directè hæc contraria atque adversa esse iis, quæ ab ipso traduntur. Subjungit porro idem noster adversarius, id ipsum, tot tantique placandis neutiquam par fuisse. Dicendum hic denuo, mirum haud esse in errores innumeros si quidem incurrat, qui erroneo in principio fundamentum ac basin ejus, de quo verba facturus est, locare contendit. Omnino etenim impossibile est, ut cum quæ de Valeriorum gente præcessere, falsitatis quam manifestò redarguantur, cætera porro, quæ ex istiusmodi præmissis inferuntur, solidâ veritate se aut probare aut tueri posse, quisquam credat; ut ut ea talia sint, quibus aliquam veri fidem circumdare ac conciliare posse videatur Marini Bocconis contra Reipubl. statum conspiratio, ipsis Petro Iustiniano ac (qui adversario pro oraculo est) Donato Iannotto narrata. Ostensum jam ante nobis, quibus authoribus sua tueatur è duobus illis postremus, ac proinde quoque quantum ipsius scriptis deferendum sit fidei, pensiculatim despeximus. Ipsum quoque Iustinianum errare si potuisse dicamus nemo sit qui nos redarguat; Nam quod ille hanc conspirandi fuisse caussam innuere ac præ se ferre videtur, quod non omnibus ex æquo accessus ad Majora Comitia patuerit, utique toto sesqui sæculo illius natales præcessit. Hic quid mirum si aut perperam tradita, aut perperam credita, & in omnem eventum nihil minus quam vera, posteris commendarit pro veris aut certis? Nunquam aut hujus, aut quæ præcessere sæculorum, fœlicitas tanta fuit, ut non subinde multis aut rumorum aut male acceptorum, ac pejus etiamnum transmissorum sub involucris laborarit fides veri, quam tamen æternum premi, ut ut mortalium industria defecerit nec tempus sinat. Si debitam tantis rebus vigilantiam ac curam adhibuisset autor ille, si quâ par erat, sollicitudine pervestigasset quæ posteros nescire

voluit, aliter utique scripsisset, neque tam à vero aliena chartis suis illevisset, quidquid est, neutiquam commisisset ut illâ temeritate suâ, si quæ unquam fuit, inconsultâ, imprudentiaque, malum sibi, malum ingens suo fœtui ipsemet arcesseret, Censoriam scilicet istiusmodi notam, quæ etiamnum in archivis inter Patrum decreta adservatur, quamque, dum hęc scribo, teneo manu. Inserendam operi putarem nisi accommodandam erroribus aliorum veniam scirem, idq; ei comprimis, qui errare ac labi, inter humana putat. Non peccabo in defuncti memoriam aut manes: quæ dixi, necessitas extorsit. Sed & unicè cavendum duco, ne per alicujus latus petatur, convellaturve rerum gestarum non temeranda veritas. Ut tamen interim Iustiniano fidem constare posse clarum fiat, ac falsa nihilominus esse ac commentitia, quæ ex illo nobis Adversarius obtrudit, ita Iustinianus, *Ad id prorupisse nefas ferebatur, ut injuriam vir nequam ulcisceretur, quâ affectus est, ut ipse existimavit, ab eâ die, quâ Comitiis occlusis Gradonico Principe authore, Patritiæ dignitatis, repulso Plebeio ordine, ratio habita est.* In quo loco nonnulla merentur observari. Ac primo sane verbum illud *ferebatur* satis evincit, ne Iustinianum quidem, pro irrefragabiliter veris, ea quæ scribat, haberi velle. quorsum enim verbum illud, dubiis aliorum narratis ac nihil ex certo trahentibus relationibus accommodum, utique veritati quæ semet ipsa contenta, rumorum ambigua deridiculo habet, nequaquam conveniens? Ponderanda quoq; hic verba quę parenthesi inclusa historicus voluit, hæc nimirum [*ut ipse existimavit*] quę quisquis è propinquo intueri volet, quidquid id injuriæ fuisse dicendum est, non id ipsum in eo constitisse, quod revera comitiorum interclusio in ullius injuriam, damnum, contumeliamve vergeret, sed quod id ita interpretaretur ille mortalis. Agnoscenda itidē hic nobis candida ac simplex veritatis in illo scriptore simplicitas, qui dum vulgato re-

cepto-

ceptoque loquendi modo de interclusis comitiis (nequis & nobis vitio vertat vulgato hac in materiâ sermone usos, aut à nobis dicta in diversam à mente nostrâ ac veritate sententiâ distorqueat) loquitur non ait *expulso plebeio ordine*, verum *repulso*. Ut Iustiniano conveniat cum adversario, *expulsum* fuisse ordinem plebeium, dicere debuerat, non *repulsum*. Eorum quæ extra nos posita desideramus compotes fieri aut evadere si non potuimus, repulsam tulisse dicimur, at vero, cum iis deturbamur quæ nostra sunt, cum è possessione depellimur, orbamur jure, si quando nobis usus privilegiorum nostrorum, ac eorum potissimum quibus aut legum vis est aut contractuum, interdicitur, nemo sit qui repulsos hic potius, quam expulsos, deturbatos ac spoliatos dicat. At quid in verbis hæremus? autor ipsemet ita cum dicit, *Dignitatis Patritiæ ratio habita est*, *repulso Plebeio ordine*, satis ostendit, non id actum fuisse ut plebs è Comitiis expelleretur, sed ut prohibitâ à jam dictis Comitiis atque abarcitâ plebe, incontaminata atque sincera patriciis sua dignitas constaret. Est & in transcursu notandum, manifesto hic diffidere à Iustiniano Iannottum, à quo tanquam à teste jurato veritatem Anonymus deducere videri vult. Iannottus anno MCCXCVI latam de intercludendis Comitiis legem dicit, Iustinianus id factum tradit *Gradonico principe authore*. Sed nec primus hic est aut unicus error, cui se involvit. Illud probare annititur, idque authoritate Iustiniani, ac sic porro ex ipsâmet historiâ, quæ conjurationem illam Bocconis descripsit, caussam dedisse isti conjurationi, quod interclusa forent Majora Comitia; victus interim veritatis vi diffiteri minime ausit eodem ipso contextu conjurationis illius exordia ad privatas injurias referri. Ita conjurationis illius Historia, cujus nos verba in eorum gratiam, qui Italicam linguam non callent, in Latinum Sermonem convertimus. *Qui-*

dam Marinus Bocconus, extitit, qui cum aliquot sociis suis cum jam occlusa forent comitia tanto impetu fores pulsavit, ut Dux metuens ne sequius quippiam obveniret, dissimulato metu eos intro ad se accedere jusserit. Cæterum ei quique eum sequuti fuerant laqueo cervices fracta inter duas columnas, non obstante eo, quod Bocconus ille jam tum ante conquestus esset intolerabile sibi videri à XLI *Viris, quorum nemo esset de populo, prout deliberatum fuerat Duces legi. Altera querelarum ei causa, quod Dux creatus esset Petrus Gradonicus; ac disertim antestabatur alios ipso Sapientiores ac mentis potiores viros nobiles ista electione fuisse præteritos, qualis erat procul dubio Iacobus Theupolus, quem omnis populus Ducem acclamasset. Atque hinc conspirationem exorsus est, quo Duce de medio sublato Reip. de altero Duce prospiceretur, qui magis è publico bono foret. Cæterum detecto illius molimine, &c.* Iustinianus ex adverso super hoc ipso facto, sic disertim, *Publicæ igitur libertati Bochonius insidiatus, principem Senatumque obtruncare statuerat, adjuvabaturque ab hominibus suæ factionis, quos ad id præmiis ingentibus pellectos, sceleris sui socios habebat, Sed in tanto rerum discrimine, divinâ favente Clementiâ, conjuratio patefacta est*, Et paullo post; *Ad conjuratos opprimendos viri fortissimi mittuntur, qui parvo negotio Bocchonium & socios sceleris, improviso in propriis ædibus interceptos, in suamad unum redigunt potestatem. Flagitii convicti omnes, ad geminas columnas laqueo publicè necati sunt.* Hactenus ille. Nos si inter se utrimque narrata quæ sunt componere velimus, nullo negotio deprehendemus ea ipsa, quodque palmarium, in summa rei sibi invicem esse contraria. Historia illa ne verbo quidem ullo, quod adversarius lectori persuasum velit, innuit, caussam conjurandi inde enatam, quod interclusa forent Comitia Majora. Iustinianus non meminit impetus illius qui in ostium aut valvas, quo loci Comitia habebantur, factus fuisse narratur Idem Iustin. propriis in ædibus interceptos ait conjuratione detectâ, quod haud leviter facit ut illa quæ de illo im-

impetu allata sunt minus credibilia videantur. Historia nobis multoties jam dicta non meminit aliquatenus, conjuratos in ædibus propriis aut interceptos aut adservatos fuisse. Iustinianus conjurandi caussam fuisse ait, quod injuria sese affectũ Bocchonius existimaret, ob interclusa Comitia. Historia dicit, id ea de caussa factum, quod intra XL & unum viros nulli essent ex ordine populari: item, quod posthabito Iacobo Theupolo Petrus Gradonicus electus esset Venetorum Dux. Quid hic dicemus, nisi authoritates illas inter se contrarias ultro citroque alteram alteri fidem derogare? ac ut ex ipsis manifesto liquet minus sibi comperta, ac opinionum diversarum tenebris implicita quidem illos scripsisse, ita nec minus evidens, comprimis malignè hic agere Anonymum. In eo conveniunt conjurationis scopum fuisse ac finem, Veneti Ducis necem, cæterum Historiæ illius author, alterum quoque assignat, nempe ut sublato è vivis Duce Reipub. de altero prospici posset, qui magis è publico bono foret. Ast vero quod notandum, altum utrique silentium de abrogandâ, quæ populum à Comitiis arceret, lege, aut de plebe velut postliminio Majoribus Comitiis reddendâ; qui sane proprius & verus conjurationis finis erat futurus, si quidem vera propriaque conjurandi fuisset caussa, quod consilio sive decreto Patrum plebs à majoribus Comitiis exclusam se doleret. Quod porro, casu prorsus ac per accidens habet historiæ illius contextus deliberatum fuisse ut inter XL & unum viros, ad quos Ducis spectabat electio populares sive homines de populo forent, ex iis quæ jam ante adduximus monumentis falsissimum esse evincitur. Quo tamen, quam maxime fieri potest, in apertum gestarum rerum veritas deducatur ac posteri disertim sciant qualiter tota res gesta fuerit, audiamus agedum Rafarinum sive Rafaëlem Caresinum, quem cum magnum Venetiis Cancella-

cella-

cellarium fuisse diximus, vel eo solo commemorato, eorum quæ alias secretiora sunt, nec in propatulo habentur omnibus obvia, participem fuisse, quilibet credat. ita ille. *Quidam Marinus Bocchonius cum certis suis consortibus ordinaverat & tractaverat versus Dominum Ducem proditionem, & principaliter in destructione suæ personæ. Propter quod sciens Magnificus Dux hoc, Marinum patefactum cum aliquibus aliis fecit capi & detineri, nec non inter duas columnas marmoreas, quæ sunt propter januam Palatii magnam, eos, ut decebat, fecit turpissime suspendi.* Notet hic benevolus lector, illa Caresini verba *Principaliter in destructione suæ personæ.* Nec, ut reor, ultra verbis opus erit, in re clarâ minimeque dubiâ. Premamus interim Adversarii vestigia, sunt hæc illius verba. *Populum comprimis urebat istiusmodi exclusio, quod videret eo pacto spes omnes ut Reipublicæ quandoque & ipse admoveri posset, sibi præcisas. Nobilibus haud minus ægre erat, eo modo factas Majorum Comitiorum capaces tot numero familias; quas, ut ut dignitate longe inferiores essent, ista Comitiorum nova forma, pari secum gradu habendas reddiderat ac vel antiquissimis æquandas.* Davus sum non Ædipus. quid sibi noster mortalis velit, non assequor. Pugnantia hic inter se video, nec non & falsa. Nihil quod stringat invenio, atque adeo videor mihi totum hunc locum, ut nostræ thesi nec hilum obfuturum, intactum relinquere ac præterire posse. quo tamen nihil à me quispiam merito jure desideret, dicam paucis, ad illa verba. *Populum comprimis urebat istiusmodi exclusio*, in contrarium, ex iis quæ jam ante dicta sunt, argumentum tale formari posse. Si populus ante latam legem anni MCCXCVI eo erat loco, ut ad ipsum quoque in omnia regimen spectaret, utique lex illa eundem populum neutiquam loco movit; si vero cura Reipub. id temporis minime ad populum spectabat, ut certe non spectabat, caussa subfuisse haud potuit, cur se exclusum quereretur. Evincat quod asserimus ipsa hæc Marini Bocconis,

conis, de qua sermo nobis est, conjuratio, quæ nec populum in partes suas pertraxit, aut plebem haud aliis innixa viribus quam maleferiatorum quorundam, quos *præmiis ingentibus pellectos*, quem pro se adduci adversarius, ipsemet Iustinianus affirmat. Anonymum hic rogare lubet, si publicam omnium caussam Bocchonius egit, si nullæ privatæ rationes eum impulerint, quid premiis opus erat nec publicè profuturis, nec privatim, nisi hoc nomine profutura dicere lubet, quod opes illius ac loculos afflictura essent, ac detritura, si non funditus exhaustura. Quidquid est, caussam non dicat adversarius quo minus authorem, quem pro se adducit, ac cujus authoritate caussam nostram jugulare se posse confidit, à nostris partibus stare demonstremus, contraq; ipsum validè, ni quid me fallo, retorqueamus. Est id ipsum porro longe falsissimum quod vult, non aliâ magis de causâ in querelas acerbas indignabundam plebem erupisse, *quod videret eo pacto spes omnes, ut Reipub. quandoque & ipsa admoveri posset*, sibi præcisas. Nimirum eadem illa habendorum in futurum comitiorum nova forma, ex adverso multis adytum ad Majora Comitia præstruxit, quos aut privatim virtus, aut publica in patriam bene merita, dignos reddiderant, qui præ cæteris æqualibus suis, haberentur eximii. Quin & illud quoque, quod ait, *Nobilibus haud minus ægre erat, &c.* quomodo probaturus sit noster, haud video. Eodem quo mox, etiamnum utar argumento. Si jam ante annum MCCXCVI summa rerum ad populum aut plebem spectavit, ecquid illud fuit, quod nobiles jure merito minus æquis animis accipere aut ferre potuerint? nullam ipsis ad id occasionem dicti nobis anni lege sufficiente. Tantum aberat ut totæ familiæ, utque etiam numero complures Reipublicæ clavo admoverentur; ne quidem mortalium ullus aut admotus fuisse, aut admoveri potuisse, eo quem nobis jam figuramus casu, dicendus est. Si

Rrr non

non spectavit ad populum rerum summa, si neque lex ea populum rerum summæ admovisse deprehenditur, quò tristes illæ nobilium querimoniæ? Pressius agamus. Populum lex illa aut sub se comprehendit ac proinde imperii capacem fecit, aut exclusit. Exclusisse si dicenda est, jam non erat quod causari posset ordo nobilium. Si demum illius beneficio, populus imperii capax evasit, quis non videt, nihil fuisse quod urere aut malè habere populum potuerit? Cœterum nec inclusiva nec exclusiva (ita loqui liceat) lex ista fuisse dicenda est. Nihil illa innovavit, sed cunctis, quo fuerant loco, etiamnum permanentibus, novam duntaxat formam electioni futuri Ducis assignavit. Voluit illa, ut in posterum XL & unius Virorum suffragiis Dux crearetur, quem ante illa tempora terni modo Electores eligere atque creare consueverant. Eadem illa inclusiva fuisse dici possit, quatenus bene de patria meritis ad honores viam stravit, non minus quam ulli ex ordine nobilium: eatenus quoque exclusiva, quod eos quibus per leges accedere ad Comitia haud liceret, nec ipsa admoveri iis passa sit. Ex quibus omnibus irrefragabili auctoramento manifestum evadit subsistere non posse, quæ adversarius adduxit, ut pote sibi ipsi non modo contraria, sed & falsa quoque.

Quæ porro hoc loco de privatis injuriarum offensionumve caussis innuit Adversarius, eque Bajamontanæ conjurationis Historiâ, (modo Historiæ mereatur nomen, non ineptiis minus, quam mendaciis sufferta narratio) recenset, talia non sunt, ut movere quemquam debeant. Quin imo si privatæ caussæ domesticæque injuriæ conjuratos exstimularint, ut fatetur atque adeo probat insuper & firmat Anonymus, non est ut ad interclusa Comitia, aut ad præstitutam novi Ducis electioni, assignatamve formam, nos convertamus; estque hic ille nobis, ut errori suo, ita & propriæ confessioni.

fessioni relinquendus; certe nec se judice absolvi poterit: malignus interim, & ex professo lividus, qui dolere ac queri etiamnum præsumat, quod nihil super hoc ipso ad posteros transmiserint qui conjurationis illius historiam scripsere, non secus ac si necessum fuisset prædictos scriptores calumniæ ipsius velificari sese debere hariolari, ac spiritu prophetico id ipsum ante capere eaque porro, quæ falsa esse scirent ipsimet chartis mandare & facta pro infectis, infecta pro factis, posteritati obtrudere.

CAPUT. XXIV.

In Conjuratorum historia Anonymi inscitia fuse taxata. Vanum Anonymi in conjuratorum tribunitiis concionibus præsidium. Fœda conjurationis justa detestatio. Bajamontanæ conjurationis occasio. Supplicium de Fontabono sumptum. Conjuratorum Avenionem ad Pontificem refugium. Legatio Pontificis ad Venetos instituta. Legationis caussa. Cordatum Venetorum responsum. Confutata Anonymi conjectura. Barocii facinus detectum, & punitum. Contarini, & Boteri auctoritas in Anonymum retorta. Falsa Anonymi comparatio inter Venetos & aliorum oppidorum, Venetis subditorum, cives instituta. Qui apud Venetos cives, dicti Cittadini. Prærogativa eorum circa commercia, & dignitates. Cancellarii Veneti dignitas & magnitudo.

ORdiri cum Tullio lubet; O magna vis veritatis, quæ sese contra hominum ingenia, solertiam, calliditatem, con-

traque fictas omnium insidias facile per se defendat. *Verum est*, ait adversarius, cujus hæc verba, *cum desperarent* (sermo ei, de conjuratis) *Petro Gardonico Duce Rempub. ad pristinam formam reductum iri ejus de medio tollendi inivisse consilia, ac alterum in illius locum sufficiendi, qui receptum ordinem non inverteret*, quæque his similia sunt. Unde quæso illi in rebus tam remotis tam exacta tamque quæsita cognitio veritatis, ad quam nec ii pervenire, aut penetrare potuere, quibus sua debet? Extranei scriptores hic altum silent; erat enim alioquin ipsos proculdubio allegaturus pro se. Ipsi si quid credimus Veneti scriptores, *muti sunt*, aut, ut alibi *mussant*, ac novissimo libri sui capite, *haud plura verba proferunt, quam si os lupato constrictum ipsis foret*. Plane hic nobis edisserat oportet, ecquod illud tempus fuerit, quo vaticinatrice potentiâ ipsum genii benignitas præditum voluerit, ut & nos huic illius (si Diis placet) veritati fidem quam meretur deferamus. Sic ego. Pars illa sive decretum super intercludendis (loquar hic cum adversario) Comitiis, atque excludenda plebe sive Ducem authorem habuerit, sive Capita Quadragintaviralis collegii, utique alibi quam in Quadragintavirali collegio nec non & Consilio Majore discuti ac ventilari haud potuit. Assumo. Dubium nulli quin conjuratis illis ad majora Comitia liber fuerit accessus, anno nempe MCCXCVI, Cur ergo id in examen deduci sunt passi, si alia ipsis mens ac diversa stabat sententia? Utiq; summoperè res illa populum, de cujus potissimum statu habebantur comitia, tangebat: populus quoque à partibus ipsorum futurus erat. Si modo contrarium sibi placere vel eminus ac è longinquo ostentare ipsis libuisset, certam atque indubiam, suisque in manibus sitam habebant victoriam. Si nihilominus præfractè tacere maluerint, ut ut quæ agitabantur essent ipsis exosissima, omnino malè fecisse ac contra officium viri ac civis boni,

sunt

ſunt dicendi. Neque enim ulla aut cauſſa aut ratio deterrere, aut ab officio dimovere debuerat. Quis hic pertinax ſilentium in ijs agnoſcat, qui jam ante, non aliâ de causâ quam quod ſua privatim intereſſe putaverant ijſdem in Comitijs, ipſimet Vegliæ Comiti ſeſe oppoſuerant, illiuſque allectioni ad Comitia interceſſerant? Si quod in Comitijs agebatur placebat, utique ſi ne verbo quidem uno minus ſibi placere teſtandum ſibi putarunt, quæ ratio, cur ad arma convolare eaque ſcelerata, & in patriæ viſcera convertenda, haud alio nomine ac nec aliâ de causâ voluiſſe, quiſquam exiſtimet? idque non è veſtigio aut confeſtim, ſed totis jam tum annis quatuordecim elapſis, ex quo decretum illud fomatum fuerat, ac uſu non minus, quàm conſenſu, receptum ac ſtabilitum? Clamat evidentia, ex æquo inaniloquum ac lividum, ne ſequius quid dicam, adverſarium hic eſſe, qui ſpecioſo veritatis obtentu malè cautis imponere conatur, quam conſpiratores illi fuere homines malè feriati, perditi, profligati, ac Libertatis patriæ ſuæ non hoſtes modo, verum & proditores.

Tædet, fateor, pigetque, quod adverſarium meum eo delapſum videam (quanquam & alibi id ipſum à nobis obſervatum) ut vel à nefandis ſacrilegiſque, ac nulli unquam bono ſat deteſtatis aut deteſtandis auxilium petat ac præſidium. Multus eſt (ô pudor!) in allegandis ipſorum conjuratorum concionibus, quaſi vero aut recti quippiam ab illis proficiſci queat, aut vir bonus exigere debeat, qui patriam, qui penates, qui divina humanaque omnia, in ferrum, in flammas dare, ipſumque adeo incendium ruinâ extinguere conantur, quaſi vero impuriſſimi mortales, ubi eorum animus ex corrupto corruptor evaſit, ubi nihil præter ſanguinem, præter cædem, præter parricidia improbo ac ſanguinario ore ſpirant, eructant, evomunt, aut aperte quod

volunt effari aut candidè profiteri ac professa veraciter proferre, quà velint, quà possint! Nemo sanæ mentis tantis in præjudicijs judicium quærat, aut inter rapidissimos quam violentissimorum affectuum torrentes tranquillæ veritatis Halcyonia. Vt ut nihil dicerem, ut ne in medio cuncta relinquere mens sit aut animus, misera, quin imo miserrima sit rerum regina ac gubernatrix, dia veritas, si quidem ab ijs debeat pendere, qui tyrannidem, qui anarchiam, qui tyrannide & anachiâ quavis deteriorem omnium rerum confusionem mol ti; ne quidem honesta vel in speciem ratione tutari sua possint. Ecquæ causa adsignari possit, aut ratio, cur Aristocraticum regimen, & re, & nomine cœteris præstantius, non turbare, non immutare, aut alterare modo, sed penitissime subvertere atque eradicare illi voluerint. Quam vasta, immania, atque execranda mortalium impurissimi designarint, argumento sit, quod statim ab oppresâ conjuratione placida, pacata, quietaque cuncta fuerint. nemo novare, nemo moliri quippiam, vel per somnium fuerit ausus, nedum conatus. Vsurpes illud Virgilianum,

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu composta quiescunt.

Quin imo, ut nihil æquè veritatem in lucem solet educere, quam tempus, occasionum transitus, ac detractum rebus actionibusve, quo cooperta prius fuerant, involucrum patuit brevi, nihil aliud istâ conjurantium rabie actum fuisse, quam ut Guelforum Gibellinorumque funesta secessio, acto profundè sulco larem apud Venetos defigeret. Illa, quam dixi, factio, tanquam ferale sidus eorum mentes afflaverat, egeratque transversas. Hujus præstigijs sideratis, quævis & facere & pati pronum fuit. Exemplo sit Franciscus Fontabonus, inter conjuratos haud postremus; quem cum summa Pa-

ma Patrum clementia ſupplicio exemiſſet, ut ſuem ad conſueta cœni illius volutabra relapſum, conſtans ſibi, ac pronæ in reum clementia oculis orbandum duntaxat decrevit, quo vel ipſo pacto, indignum ſeſe inter mortales ac cives ſuos qui ageret agnoſcere poſſet, cui communnis omnibus uſura hujus lucis ob flagitium eſſet erepta. Argumento pariter ſit, quod haud iſto rerum cardine ceſſandum rati Avenionem ad Joannem ejus nominis viceſimum ac ſecundum Romanum Pontificem ſeſe conjurati receperint ac fide factâ ſeſe actos extorres quod contra juratos hoſtes Eccleſiæ Gibellinos, Guelphorum partes conſtanter eſſent tutati, ſeque bello Ferrarienſi oppoſuiſſent, quod etiam eouſque Pontificis animum impulerint, ut ipſe ſibi decedere ratus, quicquid iſtorum (ſi dijs placet) exulum libertati abraderetur, eo conatus omnes intendere videri voluerit, ut quà domi, quà foris eſſent quam pacatiſſimæ Venetorum res. Haud alteri fini, Fratres Franciſcus Turrianus Minoritarum per Occitaniam provincialis, & Bernardus Guido Inquiſitor hæreticæ pravitatis per Galliæ regnum, legati Pontificij Venetias ablegati. Hi anno M CCC XVII, die menſis Septembris quartâ ſupra viceſimam inter cætera tria, hæc diſertim petiere: Primum erat ut Veneti inter ſeſe quà par eſſet concordiâ ac quiete degerent, Alterum (verba hic apponam ipſiſſima) *ut expulſos de civitate ipsâ, & toto diſtrictu ſeu dominio libertatis, ſolum ex partialitatis titulo, non pro criminibus manifeſtis, velitis reducere*, Tertium circa captivos à carcere qui attinebantur eximendos ac liberandos totum verſabatur. Non fraudabo hic lectorem meum inſigni Veneti candoris argumento, quod ut ut per ſe comprimis antiquitate ſuâ venerabile exiſtat, vel hoc ipſo nomine potentius apud homines ſervire neſcios, ac viros bonos ſeſe commendet, quod vel ex illo elucceſcat, quam ſemper alieni Veneti fuerint ab omni factione.

factione. Hoc legati, quos mox dicebam, responsi tulere. *Respondentes primo ad primum, quod de pace inter nos habendâ cavetur, cum purâ mente asserimus vobisque & sanctæ Matri Ecclesiæ affirmamus, quod à primævâ fundatione nostræ inclytæ civitatis, ex quadam quasi insitâ naturâ, animi civium nostrorum ad pacem & concordiam habendam, nutriendam, & perpetuò conservandam, nedum habilitati, quin imo creati & nati sunt: ideo absit quod intra Civitatem & Ducatum nostrum & terras nobis subjectas, & inter nostros concives, scismatum vel partialitatis cognitio vel materia habeatur. Propter quod vere scire potestis, & cognoscere potest & poterit Dominus noster summus Pontifex, quod in nobis, tanquam suis & Ecclesiæ Romanæ peculiaribus filijs, suum pacis quod optat desiderium est perfectissimè completum. Ad secundum, quod absit quod apud nos ex partialitatis titulo, quod nomen majoribus nostris horrendum fuit semper, & nobis est, & quod volumus nobis & nostris posteris fore incognitum, aliqui sint confinati, exules, vel expulsi, nec velit Deus, quod unquam in nostrâ Civitate vel Ducatu, opus sit medico talis plagæ, &c. Ad ultimum vero quod cum nomen partialitatis apud nos incognitum sit, nullos sub illo titulo habemus detentos*, &c. Si quidem Bajamontanæ factionis conjuratos defendere, eorum dicta ac facta protegere Anonymo lubet, non intercedo. Viderit ipse, quâ fronte tales sit defensurus, qui non alio in patriam suam beneficio memorandi veniant, quam quod velut Eridis in medium projecto pomo, discordiarum semina pro virili sparserint. Videat porro, quâ fronte eos in urbem introductos sit asserturus. Evincet ab alterâ parte sumtum de Fontabono supplicium, ipsi adversario notissimum, atque ab ipsomet citatum, quam non remisse in eos animadversum sit, qui tam nefanda consilia in publicum protrudere sunt aggressi. Ac sane causa non sit cur admissos in urbem dicat, cum illi met ipsi omnem moventes lapidem, Summi quoque Pontificis intercessionem haud alteri fini deprecati

precati fuerint quam ut denuo in urbes admitti possent. Quidquid sit nunquam probabit Adversarius Ferrariensi bello agitatam Bajamontana conjuratione Venetorum Rempub. imperatorijs sese partibus sociasse, quod omni procul dubio factura fuerat si quidem factiones, istæ apud ipsos invaluissent ac Bajamontani conjurati eo nomine, quod Guelphorum partes sectarentur, ac non potius, quod adversum patriam suam scelestam inijssent conjurationem, extorres acti fuissent. Progredior. Vult Anonymus postquam tempestas illa desævisset, melius aliquando Reipub sese res habuisse, sic tamen ut novis subinde fluctibus agitari ac ferri non desierit. Argumento ipsi est quod complures familias Majoribus Comitijs circa ea tempora fuisse adscriptas, deprehendat. Verum & hic quoque aut errore peccat aut malitia. Bajamons in quadriennium exulare jussus cum patriæ finibus excessisset, moxque Patavio petito nova indies moliretur, perpetuo exilio mulctatus est. atque hinc anno MCCC XXVIII. novissima mensis Ianuarij die, factum decretum, cujus nos jam ante meminimus. Fuit & insuper circa eadem tempora Barocij detectum facinus, & de auctore sumptum supplicium. Atque hi quidem sunt illi fluctus, qui Rempub. Venetam tunc temporis exagitarunt exercueruntque. Cæteroquin tamen, nunquam quocumque demum loco res forent, actum, ut quispiam majoribus adscisceretur Comitijs, nisi cui id ob bene merita, immensi beneficij loco concedendum videbatur. Fallitur in eo Adversarius, quod simul & semel admissos ad dicta multoties Comitia putet eos, quorum meritis id datum diximus. Caussæ cognitione opus hic erat, fidemque suorum in patriam benemeritorum ut facerent illorum Comitiorum candidati, erat necesse; quod sane tractum successumque, (ut ICti. loquuntur) temporis requirebat. Vt ait ille, nihil in fluctu

cernitur. Nec ſunt vel ipſa in bene meritos abſque judicio ſpargenda beneficia, ſed cum delectu conferenda, donanda, non prodigenda, atque id agendum quam maxime, ut bene merentibus honos deferatur, honori bene meritorum gloria reſpondeat. Quos ergo virtus ſua, quos grata virtutum remuneratio Comitiorum participes reddidere, vel quivis videat eos non aliunde, temporis utique intercapedine diſtinctos ſeparatoſque fuiſſe. Nec eſt quod Valeriorum hic gentem nobis objiciat adverſarius. Excuſſum id jam ante nobis, monſtratumque, fruſtra hic ſeſe miſerum torquere. Nec felicior ſane Anonymus in allegandis ad firmanda, quæ aſſerit, Boteri ac Contarini Cardinalis authoritatibus, quæ ſi penitius introſpiciantur longe ab illius opinione divortant. Ait Contarinus. *Probe à majoribus noſtris cautum fuiſſe ne plebs admitteretur ad conventum hunc civium, in quo eſt ſumma Reip. poteſtas.* Sic dico. Si ſtandum Contarini teſtimonio, ut vel Adverſario largiente omnino ſtandum, nihil æquè certum quam non ſpectaſſe apud Venetos ad populum ſummam rerum, ex quo priſcis Venetis id quam maximo opere curæ cordique fuiſſe deprehenditur, ut plebs procul ab adminiſtratione Reipub. ætates ageret. Boterus itidem nihil aſſerit, quam id, quod huc uſque à nobis probatum fuit, dum inquit, *Rerum ſummæ apud Venetos haud alios præfuiſſe, quam nobiles è nonnullis familijs viros, qui vel à principio in unum ſeſe collegerant* (agnoſce Anonyme vel te allegante nobiles fuiſſe primos urbis Venetæ conditores) *vel qui diverſis exinde de cauſis iiſdem ipſis ſeſe adjunxiſſent.*

Eſt ſuum ſcorpionibus in cauda venenum. Adverſarius ut infixo legentum mentibus aculeo, finem calumniandi faciat, comparationes inſtituit inter cives urbis Venetæ, & cives aliorum oppidorum, quæ ditioni Venetæ ſunt obnoxia. Hæc ait formam aliquam habere Reipub., ſua conſilia, ſuos magiſtratus, ei vero, qui inter cives apud Venetos princi-

pem

pem locum obtineat, ne fas quidem esse aspirare ad aliquem istiusmodi gradum. Ita sese componit Anonymus, perinde ac si in urbibus, quæ Venetum supra se imperium agnoscunt, omnes ex æquo dignitatum ac magistratuum gerendorum, qua capaces forent, qua participes, ac non potius ea ipsa Nobilium in illis oppidis foret prærogativa, qui quidem Nobiles Dominatricis Venetorum urbis supra se imperium agnoscentes, demandatæ sibi ac concreditæ rerum summæ cum Imperio præsint, idque (quod notandum) eundem ferme ad modum quo qui in ipsa Venetorum Repub. viri nobiles, patricijque. Argumentum adversarii in ipsum contorquere si vellemus, ac suis ipsum telis petere, esset id nobis in proclivi, nec foret, quod nobis imputaret, aut in quo redarguere nos posset. Sed enim vero agendum ut ingenue ita & solidè. Sic ergo dicendum. Cives apud Venetos sunt, qui majorum suorum beneficio, patrem, avum, proavum, civem habuere, quique proinde nullo mechanicæ sordidæve artis exercitio, jam in ternum generationis gradum, se ac suos sustentarunt: sive qui alibi aut nobilibus, aut patritijs orti parentibus, in urbe Veneta larem fixere, eoque, quo jam dixi modo, ætatem exegere, aut quos speciale indultum civibus asscripsit. Tales qui sunt insignibus ac luculentis omnino prærogativis gaudent, unde non minus ad ipsos pro re nata utilitas derivari, quam honor obvenire consuevit ac dignitas. Utilitas circa commerciorum compendia ut plurimum versatur, inter quæ non est è postremis, quod dimidio minora vectigalia cives Veneti persolvant, quam extranei. Hinc fit ut mercatorum quilibet, qui præfinita requisitaque à statutis ac legibus Reip. implevit (puta, exempli gratia, quod totum decennium sedem fortunarum suarum Venetijs collocaverit, aut quid simile) innumeris beneficijs gaudeat, quæ ipsius utilitatem

emolumentumque, idque privative, leges similiter innumeræ destinarunt, quæque exacto quadriennio Quadragintaviralium Criminale collegium in singulos distribuit, prout æquum iis bonumve videtur, aut alias ipsi quoque digni censentur, quibus istiusmodi compendia obveniant. Sub his quoque comprehendi videas scribas omnes, ac cunctos porro, quibus aut describendi aut custodiendi, quæ in acta referuntur, cura demandata est, nec non & asservandi sententias a Magistratibus latas, item consiliorum ac collegiorum per universam urbem placita. Comprehenduntur & illi, ad quos ratiocinia sive computi spectant (Venetis *Ragionati*) hique non privati modo, sed & quorum est ratiocinia publica examinare, quæ vendita ac distracta sunt exigere, præfecti similiter annonæ, eorumque quæ in bellorum usus aut paranda aut habenda, asservanda veniunt, ac, ut me contraham, infiniti alii ministri publici, quos sibi ad expediendas etiam magni momenti ac ponderis res peculiares habet ex civium (*Citadinos* vocant) numero Venetorum Resp. idque non honestes modo conditionibus, verum & luculentis. Honorum dignitatumque minime vulgata relucere videas in hoc ipso ordine. Sane si demum ea dignitas acceptissima; cujus beneficio quam plurimos tibi devincire bene merendo, sublevando, aut adjuvando queas, primas hic cives Venetos tenere fatendum est, utpote è quorum numero atque ordine, admoveri non pauci semper solent administrandis annuis proventibus reditibusque quam plurimorum laicalium collegiorum, (*Confraternitates* ac *scolæ magnæ* vulgo nuncupantur) qua sua functione ad pios usus legata distribuendo, defunctorum elogia circa pias causas executioni mandando, proclivem multum habent occasionem quam optime de paupertinæ sortis hominibus (quorum, ut scimus, maxima ubique copia) quam optime merendi, eorum

rum ſtudia & cum applauſu ac votis, quam gratiſſimæ recordationis affectuſque teſtimonia provocandi conſequendique. Agmen omnium (ne ſingula percenſendo moleſtus ſim) ducit magnus Cancellarius Venetiarum, ſive Cancellarius Ducalis. Illius conditio multum ſplendida eſt ac luculenta, plurimiſque inſuper prærogativis excellens. Præ cæteris hoc habet eximij, quod non terminetur præfinito aliquot annorum ſpatio, ſed perpetua ſit & ad extremum vitæ ſpiramentum duret. Hanc ipſam dignitatem multoties juvenis admodum (virtus modo dignum reddat) conſequitur, quin imo emenſo vitæ curriculo, non raro dignitatis inſignia ad hæredem tranſmittit. Huic arcana Reip. committuntur quamplurima publici quoque tabularij ſuprema demandata eſt cura. Ipſe ubi res & occaſio fert, conſiliis intereſt, idque in aulis quoque externorum principum, haud alium ferme ad modum habetur, quam ipſimet Reip. legati, quos non niſi ex illuſtriſſimis eminentiſſimiſque nobilium familiarum viris conſtare, aut eligi ſolitos notius eſt, quam ut dici debeat. Nihil eorum, quæ in deliberationem veniunt ipſum fugit; in omnia penetrat, eo eſt æſtimio, quo apud ſummos reges Secretarii ſtatus. In vivis dum eſt, ipſis quoque patritiis multum venerabilis degit, poſt obitum, publico funere effertur, comitante dē more multum frequente ſenatu, atque ipſo etiamnum duce. Taceo nunc Publicos ſcribas, prætereo plurimos longe qui a ſecretis ſunt, eorumque diſtinctos ordines ac gradus, cumque iis ipſis, prærogativas illorum inter ſe, quæ cuncta quanto in plures diſpeſcuntur, quantoque ſeſe ulterius exporrigunt, quanto diffundunt latius, tanto potentius & erroris & improbæ ſugillationis adverſarium redarguunt, atque convincunt. Errat interim & hic quoque noſter homo, quod habendæ libertatis modum ab ipſa libertate non diſcernat. Romæ quoſ-

dam optima conditione cives, quosdam mediocri, & quæ infra mediocritatem erat a pessima deterrimaque nec hilum remotâ conditione, censitos scimus, etiam tum cum Romanorum propria libertas fuit. Nec eam ob causam rationemve Romanorum civium libertati quippiam decessit, aut decessisse scripto quispiam, (quod sciam) reliquit. Quod ipsum si nostræ dissertationi applicamus, nec ovum ovo nec lac lacti fuerit similius. Solonis leges Atheniensibus latas sciens prætereo, quæ de Spartanis Xenophon prudens omitto, ne in re clara ac per se manifesta longior sim. Videt interim, ut spero, mecum benignus lector, hoc agere adversarium, nec aliud sibi infausto scripto suo voluisse, quam ut dum Venetos cives publicarum functionum capaces haud esse defendit, ansam ij inde arripiant querelarum, seditionum, factionumque, quibus aut ambitione impotens animus, aut privatam sortem supergressus, æqualitatem, quæ ad miraculum clara & par sibi apud Venetos tot sæculis viguit, ultra non ferant, ac è medio sublatam velint. Frustra. Optima respub. ex optimis civibus constituitur. Optimi mortalium Veneti, optimos cives habent. Constat illis intemerabilis obsequii fides, constat suis sese limitibus coercens, suo se modulo dimetiens, sibi sufficiens, seque ipsa contenta libertas. Est nobilibus erga cives, est civibus in nobiles officiorum tenor inoffensus juxta, ac perpetuus. Nulla alterutri ordinum certamina, nullæ contentiones, præterquam ut ne amore, officio, fide aut benefactis alter alterum vincat. Ad hoc unum contumaces, toti patriæ suæ sese devotos gerunt, cujus tanta ipsis caritas, ut eam non sensu suo, sed ipsius salute metiantur.

FINIS.

INDEX.

A.

Impe-

Liber-

M.

Oble-

O.

P.

FINIS.

E R R A T A.

PAg. 8. lin. 16. judicavit, quantum, lege, judicavit, quantum assequor. 9. 9. quoque, quoque. ibid. 18. eidem libertati, dele. 1. 10. 7. Alterâ, altera: 11, 3. postest, potest. ibid 8. debemus, pone. ibid. 11. Neque, Atque. 12, 25. Dominium, dominum. ibid. 29. lib. lib. 13. 2. mens, meus. ibid. 20. exercituumque, exercitiumque. 14, 20. in fiu, nec, nos. ibid. 26. eurorîbus, erroribus. 17. 8. eamque, eaque. ibid. 26. fervitutes, pone. 1. ibid. 27. factæ, facta, 10. 23. neguantia, negantis. 21, 18. non est vel, non est, vel. 22. 20. invicem, in vicem. 30. se suos, se suosque. 24. 22. & 23. insullas, insulas. ibid. 31. *turmatum, globatumque, turmatim, globatimque*. 25. 1. nos docent. Si quoque, nos docent, si quoque, 26, 30. Astqualia, Ast qualis. 27, 15. strusta, structa. 30, 6. ss. ff. 34, 21. judicium, judicum. ibid. 32. Dominium, dominum. 36, 7. inque in earum, inque earum. 38, 3. concurrant, concurrat. ibid 15. faciendæ, faciendo. 39, 18. Sigonii quam, Sigonii potius, quam. ibid. Cœnomiannorum, Cœnomannorum. 40, 2. babuit in, habuit, in. ibid. 3, neque ex magna contra, neque eâ magna, contrà. 41, 17 imo, nno. ibid. 32. celeritatis, celeritati. 44, 15. Honorius a Gothis, Honorius, a Gothis. ibid. 28. viiutis, virtutis. ibid. 29. simulacro gentiles, simulacro, gentiles. 45, 4. Sigonius quinque, Sigonius, quinque. ibid. 15. quo, quà. ibid. 19. jam, tam. 46, 2. Sigonius dirâ, Sigonius, dirà. 47, 22. elanguessere, elanguisse. 48, 5. suis fæderati, fæderati suis. ibid. 29. Sigovius, Sigonius. 49, 9. Equirium, Equilium. ibid. 16. avaritiam, avaritia. 52, 18. obtimatibus, optimatibus. 53, 11. concesserint Patavinos &c. concesserint, Patavinos &c. ibid. 13. Scardo, Scardeo ibid. 23. est debeantur illa, ex &c. est, debeantur illa ex &c. 54. 3. S.P.R. S.P.Q. 61. 5. proposito, propositi. 64, 7. fuerint. Sabini, fuerint: Sabini. ibid. 11. legem, legum. 66, 7. ceratos, creatos. ibid. 14. ceratione, creatione. ibid. 22. illa, epistola, illa epistola. 75, 28. ἀνέκδοτα, Procopiana, ἀνέκδοτα Procopiana. 79, 5. Bagandæ, Bagaudæ. ibid. 7. Bagandis, Bagaudis. ibid. 8. explicuerat in, explicuerat, in. ibid. 17. Bagandas, Bagaudas. 80, 3. promiscue fuerítque, promiscue, fuerítque. ibid. 8. fortunis, fortunia. ibid. 15. non modo opes eius, non modo opibus, non modo opes eius opibus. ibid. 31 Veneriæ, Venetæ. 81, 6. Athilano, Attilano. 85, 1. Bagandis, Bagaudis. de ita ibid. sæpius. 92. 14. censuerit exposuit veneros, censuerit, exposuit, venetos. ibid. 28. tamem, tamen. 98, 7. libertam, libertatem. ibi. 16. Trractatus, Tractatus. ibid. 20. incerta, in certa. ibid. 26. uper, super. 96, 11. gloriessent. gloria essent. ibid. 13. adijuri, adiuti. ibid. 15. ipsis aut venetorum, ipsis, aut cuiquam, venetorum. 103, 1. ubi quem tanto modo fastu crepabas formidabilis: ubi, quem tanto modò fastu crepabas, formabilis. &c. 105, 11. Sigonia, Sigonio. 106, 4. quod, quam. ibid. 18. visti, victi. 107, 2. arguere societatem, arguere: societatem. 109, 6. vere, verò 110, 20 attendere dubium, attenderet dubium. 111, 11. immobor, immorabor. 112. 6. apentem, agentem. ibid. 14. illud, illudi, 113. 16. ex Procopio Ioannis. 114, 2. Addnam, Abduam. ibid. 16. πλεῖστα. πλεῖστα. ibid. 23. ἐδίτι, ἐδίτι 116, 22. jam tam, jam tum. 117, 5. in vicem, invicem. ibid. 26. uilque, urque. 122, 11. hinc ad causæ, hinc causæ. ib. 19. repellerenta, repellerent ib. 20. Sufficerint, Suffecerint. ib. 31. primavæ, primævæ. 125, 4. quid, ultra, quid ultra. 129, 7. subsistere, substitere. 130, 22. postlimio, postliminiò. 133, 6. succellioribus. successoribus. 134, 15. ab, ad. ibid. 31. fit, sit. 136, 28. verborm, verborum. 137, 27. & scriptis. Sed &. in scriptis: sed &. ibid. 28. adscripsit, interim, adscripsit. interim. 138, 30. Concil. Conclus. 140, 17. impressio, impresso. 141, 15. expectarem onstraverat, expectare monstraverat. ibid. 26. Magnus quid, Magnus, quid. 143, 24. Imperatis, imperantis. 144. condemnatum accipiendum, condemnatum. accipiendum. 145, 25. commendat, à fide, commendat à fide. 146, 24. Dicam amplius eo, &c. Dicam amplius, eo. &c. 147, 20. dispectus, despectus. 148. 8. Venetorum originem, Venetorum Ducum originem. 150, 18. interesset cordate, interesset, cordate. 151 8. largiamur potuit, largiamur, potuit. ibid. effatu. Iustinianus, effatu Iustinianus. ibid. 9. theoninis, leoninis. 152, 2. contientem, continentem. 153, 13. in nervum Ravennatem. in nervum, Ravennatem. &c. 154. 21. teferente, referente. ibid. 26. Pontilicicem, Pontificem. 155, 26. rerum jam. rerum, jam. 156, 14. llius, illius. ibid. 23. nt, in. 159, 19. Diaconis. Diaconus. 160, 13. occurere, occurrere. 163, 8. parricidali, securi, parricidali securi. 167, 28. Earchos, Exarchos. 168. 26. civili, civilis. 171, 6. fucti, functi. ibid. 24. Protædri, Proædri. 173, 20, hon infirmum; etiam, &c non infirmum, etiam ultro. &c. 175. 8. eum. cum. ibid 15. sint, sunt. ibid. 29. fuise, fuisse. 176. 15. justimam. justissimam. 180. 24. damnabi, damnabit. 185, 1. inferatur, inferatur. ibid. 3. Gradiensiumque, Gradensiumque. ibid 30. familiar itati. familliaritati. 186, 31. prilegii, privilegii. 188. 11. Venetos, utrique. Venetos utrique 189. 30. Imperii, Venetum, Imperii Venetum. 191. 31. dicerenturque simul. dicerenturque: simul, &c. 194. 3. vel eo, vel eò. ibid. 21. Vene os, Venetos. 196. 8 9. possit, nos, possit. Nos, &c. ibid. 30. opinior, opinor. 197. 7. esset occupat, esset, occupat. ibid. 9. circumvenereiur, circumveniretur. 198. 4. prætexit, pertexit. ibid. 30. audivi, audivit. 200, 28. legationem, legatum. 202, 8. pellectis. perlectis. ibid. 25. horentes, florentes.

florenter 205. 18. allegaturus, allegaturus. 107, 1. ab N.C. ab V. C. ibid. 11. amer, tamen. 208, 3. di, id. ibid. 22. nimirium, nimirum. 209, 31. viritate, veritate. ibid. 31. & 240. 1. citat. Constantini, &c. citat, Constantini, 210. 4. edissere, edissetere, 211, 2c. aggressu est, aggressus est, 212. 10. donatum, deratum. 213, 24. certò, certè, 214. 1, 2. Hos opimas. Fallere, &c. Hos opimus. Fallere, &c. 217, 8. nullam, ullam, ibid. 17. juri, juris, ibid. 20. qui imperium concedit alia, &c. qui privilegium concedit alia, &c. 219 23. ut unde, ut inde. 212. 1. Spartharius, Spatharius, ibid. 6. Sparthario, Spathario, ibid. 10. dilicti, delicti 223. 23. sin posterius jam, &c. Sin posterius, jam, &c. 224. 4. billum, bellum. 2. 6. 5. aduxit, adduxit, 227. 19. Ecquanam, Ecquonam, 218. 4. illatorum, illatum, ibid. 8. faciet, faciet, 231. 8. Hinc, hinc, 132. 20. ferant, ferant, ibid. 21. sese, Beneventani, &c. sese Beneventani, &c. 234. 8. Largior. & hoc, &c. Largior & hoc, &c. ibidem. 32. induxisse, indixisse. 236. 20. insulus, insulis. 238. 3. quosve hæredes si quando instinere, &c. quosve, hæredes si quando instituere, &c. ibid. 15. sint, sunt, ibid. 18. cæteris, cæteros, 239. 19. Fradonicum. Tradonicum. ibid. 24 Fradonico, Tradonico, 240, 9. æquidem, equidem, 241 9. Privilegiam, Privilegium, ibid. 13. ligitime, legitimè, ibid. 17. infra intra, ibid. 20. quamadmodum, quemadmodum, 242. 2. insiderant, insederant. 243, 15. unde nacti sunt ab, &c. unde nacti sunt, ab &c. ibid, 18. fuisque leges, suisque legibus, 244. 20. affectus, effectus, 245. 23. haud gravatim hæc se adversario, haud gravatim adversario, 247. 6. sequa, siqua, ibid. 15. *Prima esto ad hoc, &c. Prima esto, ad hoc, &c. 252. 6. mitteni, mittendi, ibid. 10. divinat, in verrem, declamat. in verrem. 1. 253. 26. facultate, facultate, 258. 18. possessionem, possessoren, ibid. 29. qui probanda, &c. qui in probanda, &c. 262. 8. debeat, debeant. 265. 17. libeas, liberas, 268. 17. placuit, placare, 269. 5. 6. delubra, Deum, &c. delubra Deum, &c. 274. 4. Ligorninm, Ligurinum, 275. 12. reperitur nempe cum, &c. reperitur, nempe cum, &c. 276. 3. 4. sibi haud habuisse, &c. sibi habuisse, &c. 278. 10. annuis, annuus. 281. 15. fortune, fortunæ, ibid. 26. exardente, ex ardente, 282. 4. aut ob sequium, aut obsequium. ibid. 25. Romanorum Mauritaniæ, &c. Romanorum, Mauritaniæ, ibid. 27. solvere pecuniam, &c. solvere solent pecuniam, &c. ibid. 27, 28. minime non excudere, &c. 286. minime excidere, &c. 286. 8. emim, enim. 287. 10. dicammodo, dicam modò, 288. 7. polliciti fuere, Venetorum, &c. polliciti fuere Venetorum, &c 289. 5. tribus, tributi, 290. 21. vocavi, vocari, ibid. 24. ob Synceram, ob sinceram. 291. 5. Dominium, dominium, ibid. 6. erogo, ergo, ibi. 10. descenderit, descenderint, ibi. 18, quid Venetos duo? quid Venetos dico, 293. 13. 14. arcendi conatus sint, &c, arcendi conatus occasionem sint &c. 294. 18. istimonia, testimonia. ibi. 28. effectus, affectus, 295. 20. civtares, civitates, 296. 22. sibi Imperatori, sibi Imperatorique, 297. 31. inibat, videbat, 300. 26. tutati, tutati, 302. 24. soieri, solere, 304. 5. crederent condirione, pacis, &c. crederent, condiciones pacis, &c. ibid. 8, 9. navas, naves, 306. 4. imo eodem, imo eodemque ibid. 17. neque immerito. Receptum, &c. Neque immerito receptum, &c. 307. 25. quilibet, quidlibet, 308. 12. ad eam revocandam sit, &c. ad eam revocandam adjectum sit, &c. 310. 26. cesseriit, cesserint. 311. 14. Abduam, Abduam, 312. 22. relencebimus, recensebimus. 316. 28. remanentes, remittentes. 317. 14. repudiatæ, repudiatâ, 318. 10. supponerent, seponerent. Ibidem, 17. Iustiniam, Iustiniani. ibidem, 24. ipsi, ipsis. 319. 8. Tuberone, Dalmata, Tuberone Dalmata, 320. 3. quod tamen retegere, quod retegere. 321. 1. canium canum, ibidem. 30. injuriassi, injurias si. ibid. 14. obeveniret, obveniret. 322, 31. nullæ ea oratione in, &c. nullæ in ea oratione. 323. 2. quum, quin. ibid. 5. domina, dominum. ibid. 10. fide. fide. ibid. 27. nimirum, numm sim. 324. 11. Patavinum, Patavium 327. 15. Ac, Ad. 331. 20. persidorum, perfidorum. 333. 8. Principium, principium. 335. 24. primis primus, 336. 17. statim exequi regnum, &c. statim exequi, regnum ibid. 21. recte, rectæ. ibid. 27. tametsi, tamen etsi. 340. 15. formidalose, formidolose. ibid. 10. timere vos, ne amittatur dicere, &c. timere vos ne amittatur, dicere, &c. ibid. 23. cujusmodi, ejusmodi. 341. 23. infractas, infractam, 342. 14. circa, citra. 344. 1. dimissæque, demisseque. ib. 7. nequo, ne quò. ib. 14. 15. dididitii, deditii. 347. 21. ipsis, ipsos. 349. 16. facultatem, facultatem. 351. 4. Episcopo, Episcopum. 355. 5. obtinnit, obtinuit. ibid. 11. adducere, addicere. 356. 2. ermo, sermo. ibid. 18. Respub. Reipub. 358. 6. aliis. alios. ibid. 32. dliberate, deliberate. 359. 12. patrones, patronos. 363. 14. m. 6, in 6. ibid. 21. clientis, clientes. 368. 8. atqui, at qui. 370. 25. inventuros, apud, &c. inventuros apud, &c. 372. 2. adjitus, aditus. ibid. 6. manuscriptos duos multum, &c. manuscriptos duos Codices multum, &c. 373. 15. evidentiam quæ tota est, ab adversis, &c. evidentiam, quæ tota est ab adversis, &c. ibid. 31. primæ, primo. 374. 15. politicè, politice. ibid. 16. lemna, lemma. 375. 16. recte, rectæ. 376. 9. cui nos, cui mos. ibid. 23. Improbos, improbos. 377. 17. 24. Ciani, Ziani. 379. 6. lemna. lemma. ibid. 15. sequamur, sequemur. 380. 19. electis, electos. ibid. 21. electis, electi. 381. 26. quæ, quo 383. 11. CIↃCCVXVI. CIↃCCXCVI 384. 16. Consilio. Rogatorum, &c. Consilio Rogatorum, &c. 385. 5. muneribus postliminio, &c. muneribus functi postliminio, &c. ibid. 23. sive, sine, ibid. 31. sive, sine. 386. 25. subjacientium,

Xxx 2 subj-

subjacentium. 387. 9. quod, quot, 389. 2. quod, quot. 390. 29. consensu, consessu. 391. 20. festo D. dedicationis, festo dedicationis. 392. 8. addimus super Reip. addimus Reip. 394. 6. gento, gente. ibid. suntque, atque. 397. 3. Aprilis die 20 Maij, &c. Aprilis die 20 Maii, &c. ibid. 18. eligendi essent placuisse, &c. eligendi essent, placuisse, &c. ibid. 26. quod diximus plureis, etiam quam, &c. quod diximus, plureis etiam quam, &c. 399. 22. quæ, quà. 401, 16. majoribus, ordinata, &c. majoribus ordinata. ibid. 20. Venætianum, Venetiarum, 405. 8. Laconum, Lycurgus, &c. Laconum Lycurgus, &c. ibid. 29. clvaum, clavum. ibid. 30. nequidem, ne quidem. 407. 5. substractiones, substructiones. ibid. 7. fuisse; manuum, &c. fuisse, manuum, &c. 408. 14. obsidio, auxilio. 410. 19. concordia. Vel invhi, &c. concordia; vel invhi, &c. ibid. 28. ooeram, operam. 411. 9. Equibus, E quibus 412. 2. extorturum, extorturam. 413. 13. animum, nimium. ibid. 16. frustra fuere, frustra fuere? ibid 30. Taurisum, Tarvisum. 414, 5. Demertius, Demetrius. Ibid. 27. e ordinum, exordium. 415. 10. Æquilani, Equilani. ibid. 22. inter cedebat, intercedebat. ibid. 25. violatua, violatura. luxatura, laxatura. 416. 3. supex, super. ibid. 14. 15. factiore, factione. ibid. 24. consperantibus, conspirantibus. ibid. 26. Dux, Dux. ibid. 29. Comites, comites. 417. cxi, xci. 418. 2. ixc, xci. ibid. 9. ad, ac. ibid. 14. Orseolum, Vrseolum. ibid. 24. posteru, posterum. 420. 20. desingnemus, designemus. ibid. 21. Siani, Ziani. 421. 17. venti, Veneti. 422. 23. quisuper, Qui soper. 423. 25. præ ertim, præsertim. 425. 12. Extincta gens ut in, &c. Extincta gens in, &c. 426. 14. Cianum, Zianum. ibid. 22. muniis nobilibus, &c. muniis, nobilibus, &c. ibid. 27. præserium, præsertim. ibid. 29. fore Tarrum, &c. fore. Patrum, &c. 428, 5. sexexasse, sed exasse. ibid. 18. 19. electus Dux ab, &c. electus. Dux ab &c. 430. 5. quartam partem. Balduinus, &c. quartam partem Balduinus, [illegible] 432. 9. in arma, arma. ibid. 10. Cræte, Cretæ. ibid. 19. edacta, redacta. ibid. 24. stabilmentum, stabilimentum, 433. 1. Chronicus, Chronicis. 434. 17. & plura, & quæ plura. 435. 16. Populis, Populus. ibid. 23. ageretur tunc populari vociferatione, plebes, &c. ageretur, tunc populari vociferatione plebes, &c. 436. 9. fuisset, fuisset. ibid. 22. Zeni, Ziani. 437. 14. intercedisse, intercidisse. ibi. nihil minus gestat, &c. nihil minus: gestat, &c. ibid. 29. nollent ipsis, &c. nollent, ipsis, &c. ibid. 30. electio, erat, &c. electio erat, &c. 438. 4. eum, enim. ibid. quispiam, ut credat imperret, &c. quispiam, ut credat, imperret. ibid. 6. tumultus, tumultus. ibid. 20. ex equijs, exequijs. 439. 8. inposterum, in posterum. ibid. 25. LX & 1. XL & 1. 441. 23. vetro, retrò. 445. 29. Rei. p. Reip. 448. 25. æstimatootes, æstimatores. 449. 10. fas, fas. ibi. 16. fuisse, fuisse. 455. 13. aliquando, aliquantò. 457. 13. Anonymi, Anonymo. ibid. 18. commemota, commemorat. 458. 21. Gradonicus, Gradenicus. 461. 1. adque, atque. 462. 15. applicare ut ne, &c. applicare ne, &c. 464. 17. ea ipsa, eo ipso. ibid. 32. uerit, fuerit. 466. 18. exillium, exilium. ibid. 23. esset. haberet, &c. esset, haberet. &c. 470, 6. utrum, utque. ibid. 24. vidices, vindices. 471. 27. gerendos promoti, gerendos magistratus promoti. 473. 11. CIƆ IƆCCCCXI, CIƆ CCCCXI. ibid. 18. simpliciter, & in, &c. simpliciter, in, &c. 474. 2. sacrilegium, sacrilegum, ib. 21. tabuliis, tabulis. ib. 28. cap. XXI. ca. XXI. 475. 17. fallo, rvideri, &c. fallor, videri. 477. 1. ut diaria, ut ad diaria, 481, 7. hodierum, hodiernum. ibid. 4. absentum, absentium. ibid. 15. quod, quæ. 483. 14. postimino, postliminio. ibid. 23. qnam, quam. 486, 19. Quid. Quod. 487. 15. exclusus, exclusos. 490. 2. sollicitos ipsum, &c. sollicitos id ipsum, &c. 491. 3. tantique, tantisque. ibid. 16. tuearture duobus, &c. tueatur. è duobus, &c. 496. 24. desiderer, desideret 497. 4. adduci, adducit. ibidem. 19. adiitum, aditum. 499. 6. debere hariolari, &c. debere scivisse, hariolari. &c. 500. 3. Gardonico. Gradonico. 502. 9. anachià, anarchià. 503. 21. cætera tria, hæc, &c. cætera, tria hæc, &c. ibidem. 26. qui, quo. 505. 1. urbes, urbem. ibid. 10. desævisset, desævisset. 507. 32. quæ ipsius, &c. quæ in ipsius, &c. 508. 19. honestes, honestis.